

MISCELLANEA
PHILOLOGA ET PAEDAGOGICA

TYPIS MANDAVIT E. J. GIBBEN.

MISCELLANEA

PHILOLOGA ET PAEDAGOGICA.

EDIDERUNT

GYMNASIORUM BATAVORUM DOCTORES
SOCIETATE CONJUNCTI.

FASCICULUS I.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD J. G. BROESE.
A. MDCCCXLIX.

CURARUNT SOCIORUM NOMINE

J. G. HULLEMAN, A. EKKER, J. C. G. BOOT.

PRAEFATIO.

Quum ante hos duodecim annos Doctorum in Gymnasiis Batavis Societas *edere* Symbolas Literarias *institueret, colligere hoc opusculo et philologas observationes ac dissertationes studuit, et quaecunque ad patria Gymnasia ac rem scholasticam spectarent. Undecim annorum spatio novem deinceps secuta sunt* Symbolarum *volumina, pro collectaneorum copia vel inopia citius modo divulgata, modo tardius. Collatum ita aliquantum est ad antiquarum literarum studia alenda et illustranda monimenta. fuit certe sociis, collegis aliisque viris philologis occasio publicandi quae sibi in quocunque literarum genere vel invenisse nova viderentur vel illustrasse obscura vel correxisse falsa. Ut vero* Symbolarum *edendarum consilium ab initio duplex fuisse diximus, philologum et paedagogicum, ita sensim sensimque earum natura mere philologa facta est nec quidquam scholae datum. Quod quibus ex causis repetendum sit, non indagamus. Tantum monemus, nos utile neque ab his temporibus alienum duxisse antiquum morem revocare suumque rebus scholasticis et paedagogicis locum reddere, ita quidem ut prior et potior libri pars, Latine scripta, disputationibus et observationibus literariis pateat, posterior sermone patrio ea complectatur, quae pertineant ad scholam ipsumque quo fungimur munus. Quod quum etiam inscriptione opusculi indicandum esse videretur, titulum ei dedimus* Miscellanea philologa et paedagogica.

Atque haec pauca universe monuisse sufficeret, nisi de altera hac parte, qualis jam prodit, proprie quaedam dicenda essent; quod dum agimus, simul quid velimus, quid optemus, declarabimus certius.

Initium duximus a relationibus de collegis superiore anno vita defunctis. Memoravimus porro de Gymnasiorum quorundam mutationibus, sive hae cernuntur tantum in creatis recens praeceptoribus, seu pertinent omnino ad Scholarum restaurationes. Qua in re si qui forte alia omissa querantur, alia non diligentissime exposita, teneant nos relata non tam conquirere debuisse quam variis modis omnia fere exquirere. Sic intelligent quam fuerit nobis difficilis iste labor, excusabunt errores, denique curabunt, ne quid tale in posterum nos ignoremus quod sciant ipsi. Esse cupimus alteram Miscellaneorum *partem quasi tabularium, unde petant posteri Gymnasiorum Batavorum historiam.*

Quod interposuimus huic fasciculo Statisticam Tabulam, *quam vocant, Scholarum et Gymnasiorum patriorum omnium, quae publicis auspiciis reguntur, id quidem novum non est: similis enim tabula jam addita fuit secundo* Symbolarum *volumini, a.* CIƆIƆCCCXXXVIII *edito; sed tot tantasque mutationes subierunt deinde pleraque Gymnasia, ut novam dare σύνοψιν quam maxime necessarium videretur. Quod negotium quot quantisque curis constiterit, dici vix potest. Quamvis enim prima capita nobis suppeditaverint partim* HENR. VOLLENHOVEN, *partim etiam* H. WYNBEEK *et* B. SCHREUDER, *Viri Ampl., qui hoc tempore publicae institutioni praesunt prospiciuntque; quamvis summam ipsi adhibuerimus diligentiam, ut ab omnibus patriae oris de multis fieremus certiores; tamen innumerae, quibus haec res premebatur, difficultates superari satis non potuerunt. Sed jacta sunt fundamenta, quibus porro superstruatur. Quodsi exiguae ipsis operae parcere collegae nolent, poterit aliquando consummatius exstrui suoque genere perfectum aedificium. Atque hoc consilium proximo fasciculo ratum facere cogitamus.*

Statisticam *quam diximus* Tabulam *excipiunt quae de*

publico examine, nuper m. Augusto habito ex Regio Decreto d. 23 m. Maji a. CIↃIↃCCCXLV, *a Viris Ampl., Clar., Doct. publice sunt relata. Quod de re ipsa gravissima nos nullum tulimus judicium, id quidem mirabitur nemo. Post quartum annum quos tulerit idem illud Decretum fructus, egregie docuerunt ipsi qui judices sederunt. A nobis adeo, quibus horum* Miscellaneorum *edendorum cura commissa est, quis plura postulabit? Id tantum curavimus, ut saltem de superiore anno non ignoraretur, quod hactenus omnino celatum est, e quali institutione profecti quot juvenes ad lectiones Academicas audiendas admissi fuerint, quot non fuerint.*

Talia continet et continebit in posterum alterius partis sectio prior. Addentur, si quas acceperimus, observationes paedagogicae. Posterior sectio ut nunc complectitur opportune nobis missam censuram Grammaticae Graecae ROB. ENGERI, *quam e Germanicis convertit in Belgica* GUIL. BECKERUS, *ita similibus argumentis tractandis deinde patebit. Videant modo socii ne quid materiae nos deficiat.*

In hoc volumine edendo quid potissimum egerimus et spectaverimus, in ceteris quos deinceps edemus fasciculis adornandis quae subsidia nobis praestari velimus, satis superque declaravimus. Quibus vera doctrina Gymnasiorumque salus curae est, eos sane non frustra erimus exhortati. Sic Miscellanea philologa et paedagogica *non minus nostri temporis commoda quam antiquitatis studia promovebunt; sic erunt fortasse nobis etiam αἱ δεύτεραί πως φροντίδες* σοφώτεραι.

Scribebamus
Non. Jan. CIↃIↃCCCXLIX.

J. G. HULLEMAN.
A. EKKER.
J. C. G. BOOT.

ARGUMENTUM.

Pars I.

Pars II.

M. TULLII CICERONIS

COMMENTARII

RERUM SUARUM

SIVE

DE VITA SUA.

FINXIT

W. H. D. SURINGAR.

(*Liber Tertius*).

Ex noto fictum cet.

HORAT. A. P. 240.

LIBER TERTIUS.

I. 1. Itaque [1], ut initio mihi, designato consuli, nuntiabatur, legem agrariam tribunos plebis designatos conscribere, cupiebam, quid cogitarent, cognoscere. Etenim arbitrabar, quoniam eodem anno gerendi nobis essent magistratus, esse aliquam oportere inter nos rei publicae bene administrandae societatem. 2. Quum familiariter me in eorum sermonem insinuarem ac darem; celabar, excludebar, et, quum ostenderem, si lex utilis plebi Romanae mihi videretur, auctorem me atque adiutorem futurum: tamen aspernabantur hanc liberalitatem meam: negabant, me adduci posse, ut ullam largitionem probarem. Finem feci offerendi mei, ne forte mea sedulitas aut insidiosa aut impudens videretur. Interea non desistebant clam inter se convenire, privatos quosdam adhibere, ad suos coetus occultos noctem adiungere et solitudinem. Quibus rebus quanto in metu fuerimus, ex civium sollicitudine, in qua illis temporibus fuerunt, facile quivis assequi coniectura poterat. 3. Ineunt tandem magi-

1) de l. Agraria II. c. 5. 11.

stratus tribuni plebis. Concio tandem exspectatur P. Rulli, quod et princeps erat agrariae legis, et truculentius se gerebat, quam ceteri: qui iam designatus, alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior, quam ante, barbaque maiore: ut oculis et adspectu denuntiare omnibus vim tribuniciam, et minitari rei publicae videretur. Legem hominis concionemque exspectabam. Lex initio nulla proponitur: concionem in primis advocari iubet: summa cum exspectatione concurritur. 4. Explicat orationem sane longam, et verbis valde bonis. Unum erat, quod mihi vitiosum videbatur, quod tanta ex frequentia inveniri nemo potuit, qui intelligere posset, quid diceret. Hoc ille utrum insidiarum causa fecerit, an hoc genere eloquentiae delectetur, nescio. Tamen, si qui acutiores in concione steterant, de lege agraria nescio quid voluisse eum dicere, suspicabantur. Aliquando tandem, me designato, lex in publicum proponitur. Concurrunt iussu meo plures uno tempore librarii: descriptam legem ad me afferunt.

II. 5. Omni [1] hoc asseveratione confirmare possum, hoc animo me ad legendam legem cognoscendamque venisse, ut, si eam populo accommodatam atque utilem esse intellexissem, auctor eius atque adiutor fuissem. Non enim natura, neque dissidio, neque odio penitus insito bellum nescio quod habet susceptum consulatus cum tribunatu, quia persaepe seditiosis atque improbis tribunis plebis boni et fortes consules

---

1) Ibid. c. 6. § 14.

obstiterunt, et quia vis tribunicia nonnunquam libidini restitit consulari. Non potestatum dissimilitudo, sed animorum disiunctio dissensionem facit. 6. Itaque hoc animo legem sumpsi in manus, ut eam cuperem esse aptam populi Romani commodis, et eiusmodi, quam consul, re, non oratione, popularis, et honeste et libenter posset defendere. Atque ego a primo capite legis, usque ad extremum, reperio, nihil aliud cogitatum, nihil aliud susceptum, nihil aliud actum, nisi ut decem reges, aerarii, vectigalium, provinciarum omnium, totius rei publicae, regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarum domini constituerentur, legis agrariae simulatione atque nomine. 7. Scriptum [1] erat enim: QVAE IN MVNICIPIA, QVASQVE IN COLONIAS DECEMVIRI VELINT, DEDVCANT COLONOS QVOS VELINT: ET IIS AGROS ASSIGNENT, QVIBVS IN LOCIS VELINT: ut, quum totam Italiam militibus suis occupassent, nobis non modo dignitatis retinendae, sed ne libertatis quidem recuperandae spes relinqueretur. Capuam [2] deduci colonos volebant: illam urbem huic urbi rursus opponere, illuc opes suas deferre, et imperii nomen transferre cogitabant: qui locus, propter ubertatem agrorum abundantiamque rerum omnium, superbiam et crudelitatem genuisse dicitur, ibi nostros colonos, delectos ad omne facinus, Decemviri erant collocaturi. In [3] id, inquam, oppidum homines nefarii rem publicam nostram transferre conabantur, quo in oppido maiores nostri nullam omnino rem publicam esse voluerunt. 8. Videte [4], quantum intervallum sit inter-

1) de l. Agraria I. c. 6. § 17. — 2) Ibid. § 18. — 3) de l. Agraria II. c. 32. § 87. — 4) Ibid. c. 33. § 89.

iectum inter maiorum nostrorum consilia, et inter istorum hominum dementiam! Illi Capuam, receptaculum aratorum, nundinas rusticorum, cellam atque horreum Campani agri esse voluerunt: hi, expulsis aratoribus, effusis ac dissipatis fructibus nostris, eamdem Capuam sedem novae rei publicae constituebant, molem contra veterem rem publicam comparabant.

III. 9. His [1] ego rebus restiti vehementer atque acriter, neque passus sum, homines ea, me consule, expromere, quae contra rem publicam diu cogitassent. Lacesso Rullum et collegas; in concionem voco; populo Romano disceptatore uti volo. Confirmo [2], hac lege agraria, pulchra atque populari, dari populo nihil, condonari certis hominibus omnia; ostentari populo Romano agros, eripi etiam libertatem; privatorum pecunias augeri, publicas exhauriri; denique, quod est indignissimum, per tribunum plebis, quem maiores praesidem libertatis custodemque esse voluerunt, reges in civitate constitui. 10. Ergo [3] qualem Kalendis Ianuariis acciperem rem publicam, intelligebam; plenam sollicitudinis, plenam timoris: in qua nihil erat mali, nihil adversi, quod non boni metuerent, improbi exspectarent. Omnia turbulenta consilia contra hunc rei publicae statum, et contra publicum otium partim iniri, partim, nobis consulibus designatis, inita esse dicebantur. Sublata erat de foro fides, non ictu aliquo novae calamitatis, sed suspicione ac perturbatione iudiciorum, infirmatione rerum iudicatarum: novae

---

1) de l. Agraria I. c. 7. § 22. — 2) de l. Agraria II. c. 6. § 15. — 3) Ibid. c. 3. § 8.

dominationes, extraordinaria, non imperia, sed regna, quaeri putabantur.

IV. 11. Quae [1] quum ego non solum suspicarer, sed plane cernerem: (neque enim obscure gerebantur:) dixi non solum [2] in concione, ubi est id dictu facillimum, sed in ipso senatu, in quo esse locus huic voci non videbatur, popularem me futurum esse consulem, prima mea illa oratione Kalendis Ianuariis, qua [3] de periculo salutis ac libertatis locutus sum. Et [4] quare poteram non esse popularis, quum viderem haec omnia, pacem externam, libertatem propriam generis ac nominis Romani, otium domesticum, denique omnia, quae cara atque ampla sunt, in fidem et quodam modo in patrocinium mei consulatus esse collata? 12. In [5] altera ad populum de lege agraria, urbanam plebem [6], quam nimium in re publica posse et *exhauriendam esse* in senatu dixerat tribunus plebis — hoc enim verbo est usus: quasi de aliqua sentina, ac non de optimorum civium genere loqueretur — admonui, ut, si [7] me audire vellet, retineret istam possessionem gratiae, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum: nisi forte mallet, relictis his rebus, atque hac luce rei publicae, in Sipontina siccitate, aut in Salapinorum pestilentiae finibus, Rullo duce, collocari. 13. Denique [8] ostendi totam legem, quum ad paucorum dominationem esset scripta, tum

---

1) Ibid. c. 4. § 9. — 2) Ibid. c. 3. § 6. — 3) de l. Agraria I. c. 7. § 21. — 4) de l. Agraria II. c. 4. § 9. — 5) ad Att. II. 1. § 3. — 6) de l. Agraria II. c. 26. § 70. — 7) Ibid. c. 27. § 71. — 8) de l. Agraria III. c. 3. § 13.

ad Sullanae assignationis rationes esse accommodatissimam. Ad [1] eam rem recitavi caput legis XL, de quo ego consulto apud populum ante non feceram mentionem, ne aut refricare obductam iam rei publicae cicatricem viderer, aut aliquid, alienissimo tempore, novae dissensionis commovere. Ait [2] ergo tribunus plebis: QVAE POST MARIVM ET CARBONEM, CONSVLES, AEDIFICIA, AGRI, LACVS, STAGNA, LOCA, POSSESSIONES, (coelum et mare praetermisit, cetera complexus est,) PVBLICE DATA, ASSIGNATA, VENDITA, CONCESSA SVNT: EA OMNIA EO IVRE SINT, VT, QVAE OPTIMO IVRE PRIVATA SINT. 14. Haec [3] tribunus plebis promulgare ausus est, ut, quod quisque post Marium et Carbonem consules possideret, id eo iure teneret, quo qui optimo privatum! Ergo hac lege ius civile, causae possessionum, praetorum interdicta tollebantur. Erant enim multi agri lege Cornelia publicati, nec cuiquam assignati neque venditi, qui a paucis hominibus impudentissime possidebantur. His cavebat, hos defendebat, hos privatos faciebat: hos, inquam, agros, quos Sulla nemini dederat, Rullus non populo assignare volebat, sed eis condonare, qui possidebant. 15. Ego [4] autem — qui otii et concordiae patronum me in hunc annum populo Romano professus essem, et qui [5] initio orassem Patres Conscriptos suum ut mihi studium ad communem dignitatem defendendam profiterentur, quo perficerem id, quod maxime res publica desiderabat, ut senatus auctoritas, quae apud maiores nostros fuit,

1) Ibid. c. 2. § 4. — 2) Ibid. § 7. — 3) Ibid. c. 3. § 11. — 4) Ibid. c. 2. § 4. — 5) de l. Agraria I. c. 9. § 27.

eadem nunc longo intervallo rei publicae restituta esse videretur — ego [1] senatum et bonos omnes, legis agrariae maximarumque largitionum metu liberavi. Ego agrum Campanum, si dividi non oportuit, conservavi: si oportuit, melioribus auctoribus reservavi. Nam [2] lex agraria tota a me reprehensa et abiecta est.

V. 16. Nunc [3] reliquum consulatum meum exponam. Sunt [4] autem maximae res in hac memoria atque aetate nostra. Plura [5] etiam acciderunt, quam vellem. Sed [6] sunt haec leviora: illa vero gravia atque magna. 17. Nunquam [7] vehementius actum est quam me consule, ne solveretur. Armis et castris tentata res est ab omni genere hominum et ordine. Quibus ita restiti, ut hoc tantum malum de re publica tolleretur: nec enim ulla res vehementius rem publicam continet, quam fides: quae esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum. Nunquam nec maius aes alienum fuit, nec melius nec facilius dissolutum est: fraudandi enim spe sublata solvendi necessitas consecuta est. 18. Actum [8] etiam est de senatore legando sine procuratione. Quod [9] quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatus pertinere videbatur, tamen approbante senatu frequentissimo, nisi mihi levis tribunus plebis tum intercessisset, sustulissem. Minui tamen tempus, et, quod erat infinitum, annuum feci. Ita turpitudo manet, diuturnitate sublata. Iam illud apertum est profecto, nihil

---

1) in Pison. c 2. § 4. — 2) pro Sulla c. 23. § 65. — 3) in Pison. c. 3. § 7. — 4) de Legib. I. c. 3. § 8. — 5) in Pison. c. 20. § 46. — 6) pro Plancio c. 35. § 86. — 7) de Offic. II. c. 24. § 84. — 8) de Provinc. consul. c. 11. § 28. — 9) de Legib. III. c. 8. § 18.

esse turpius, quam quempiam legari, nisi rei publicae causa. Omitto, quemadmodum isti se gerant atque gesserint, qui legatione hereditates, aut syngraphas suas persequuntur. In hominibus est hoc fortasse vitium. Sed quaero, quid reapse sit turpius, quam sine procuratione senator legatus, sine mandatis, sine ullo rei publicae munere? 19. Porro [1] in meo consulatu L. Otho, vir fortis, meus necessarius, equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque lex haec, quae ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque iucunditatis est restitutus. Nam delectant homines, mihi crede, ludi, etiam illos, qui dissimulant, non solum eos, qui fatentur.

VI. 20. Ego [2] autem in C. Rabirio, perduellionis reo, XL annis ante me consulem interpositam senatus auctoritatem sustinui contra invidiam atque defendi. Nam [3] me quum amicitiae vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meae vitae perpetua consuetudo, ad C. Rabirium defendendum est adhortata; tum vero, ut id studiosissime facerem, salus rei publicae, consulare officium, consulatus denique ipse, mihi una a populo cum salute rei publicae commendatus, coëgit. 21. Non enim C. Rabirium culpa delicti, non invidia vitae, non denique veteres, iustae, gravesque inimicitiae civium, in discrimen capitis vocaverunt: sed ut illud summum auxilium maiestatis atque imperii, quod nobis a maioribus est traditum,

---

1) pro Murena c. 19. § 40. — 2) in Pison. c. 2. § 4. — 3) pro Rabirio perduell. reo c. 1. § 2.

de re publica tolleretur: ut nihil posthac auctoritas senatus, nihil consulare imperium, nihil consensio bonorum contra pestem ac perniciem civitatis valeret, idcirco in his rebus evertendis unius hominis senectus, infirmitas solitudoque tentata est. Sic [1] enim existimabam, post hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculosam, magis ab omnibus providendam, neque a tribuno plebis susceptam, neque a consule defensam, neque ad populum Romanum esse delatam. Agebatur enim nihil aliud in hac causa, quam ut nullum esset posthac in re publica publicum consilium, nulla bonorum consensio contra improborum furorem et audaciam: nullum extremis rei publicae temporibus perfugium et praesidium salutis. 22. T. Labienus — popularis [2] vero tribunus plebis, custos defensorque iuris et libertatis! qui [3] civibus Romanis in concione ipsa carnificem, qui vincula adhiberi putat oportere: qui in Campo Martio, comitiis centuriatis, auspicato in loco, crucem ad civium supplicium defigi et constitui iubet — is [4] igitur arguebat, occisum esse a C. Rabirio L. Saturninum. At id C. Rabirius multorum testimoniis, Q. Hortensio copiosissime defendente, antea falsum esse docuerat. Labienus [5] vero causam suscepit antiquiorem memoria sua, (nam causa ante mortua erat, quam ille natus esset) nec intellexit, primum, quos homines et quales viros mortuos summi sceleris argueret, deinde, quot ex iis, qui vivebant, eodem crimine in summum capitis periculum arcesseret. 23. Neminem [6] enim fuisse dixi ex iis omnibus, qui illo

---

1) Ibid. c. 2. § 4. — 2) Ibid. c. 4. § 12. — 3) Ibid. § 11. — 4) Ibid. c. 6. § 18. — 5) Ibid. c. 9. § 25. — 6) Ibid. c. 11. § 31.

die Romae fuerint, quin arma ceperit, quin consules secutus sit: quum [1] ad arma consules ex senatus consulto vocavissent: quum armatus M. Aemilius, princeps senatus, in comitio constitisset, qui, quum ingredi vix posset, non ad insequendum sibi tarditatem pedum, sed ad fugiendum impedimento fore putabat: quum denique Q. Scaevola, confectus senectute, praepeditus morbo, mancus, et membris omnibus captus ac debilis, hastili nixus, et animi vim, et infirmitatem corporis ostenderet: quum L. Metellus, Ser. Galba, C. Serranus, P. Rutilius, C. Fimbria, Q. Catulus, omnesque, qui tum erant, consulares, pro salute communi arma cepissent: quum omnes praetores, cuncta nobilitas ac iuventus accurreret, Cn. et L. Domitii, L. Crassus, Q. Mucius, C. Claudius, M. Drusus: quum omnes Octavii, Metelli, Iulii, Cassii, Catones, Pompeii: quum L. Philippus, L. Scipio, quum M. Lepidus, quum D. Brutus, quum P. Servilius, quum Q. Catulus, admodum tum adolescens, quum C. Curio, quum denique omnes clarissimi viri cum consulibus essent. 24. Quid tum C. Rabirium facere conveniebat? utrum inclusum atque abditum latere in occulto, atque ignaviam suam tenebrarum ac parietum custodiis tegere: an in Capitolium pergere, atque ibi se cum ceteris ad mortem propter vitae turpitudinem confugientibus, congregare? an cum Mario, Scauro, Catulo, Metello, Scaevola, cum bonis denique omnibus coire, non modo salutis, verum etiam periculi societatem? 25. At [2] occidit Saturninum Rabirius. — Utinam [3] hanc mihi facultatem causa concederet, ut possem hoc praedi-

1) Ibid. c. 7. § 21. — 2) Ibid. c. 11. § 31. — 3) Ibid. c. 6. § 18.

care, C. Rabirii manu L. Saturninum, hostem populi Romani, interfectum! Libenter [1], inquam, confiterer, si vere possem, aut etiam, si mihi esset integrum, C. Rabirii manu L. Saturninum esse occisum: et id facinus pulcherrimum esse arbitrarer. Quod si [2] fecisset, non supplicium fuissem deprecaturus, sed praemium postulaturus. Etenim, si Scaevae, servo Q. Crotonis, qui occidit L. Saturninum, libertas data est: quod equiti Romano praemium dari par fuisset?

VII. 26. Praeterea [3] ego adolescentes bonos et fortes, sed usos ea conditione fortunae, ut, si essent magistratus adepti, rei publicae statum convulsuri viderentur, meis inimicitiis, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione privavi. Durum [4] fateor: quid enim crudelius, quam homines honestis parentibus ac maioribus natos a re publica submoveri? Sed ita legibus Sullae cohaerebat status civitatis, ut, his solutis, stare ipsa non posset. Sic [5] multa, quae honesta natura videntur esse, temporibus fiunt non honesta. 27. Et [6] quum boni consulis sit, non solum videre, quid agatur, verum etiam providere, quid futurum sit, legem [7] de ambitu tuli; sed [8] tuli ex senatus consulto, tuli sine vi, tuli salvis auspiciis, salva lege Aelia et Fufia: quae mea lex dilucide vetat, BIENNIO, QVO QVIS PETAT, PETITVRVSVE SIT, GLADIATORES DARE, NISI EX TESTAMENTO PRAESTITVTA DIE. 28. Sed [9] quid

1) Ibid. § 19. — 2) Ibid. c. 11. § 31. — 3) in Pison. c. 2. § 4. — 4) Fragm. orat. de Proscript. Filiis (in edit. Orellii T. IV. P. II. p. 455). 5) de Offic. III. c. 25. § 95. — 6) pro Murena c. 2. § 4. — 7) Ibid. c. 3. § 5. — 8) in Vatin. c. 15. § 37. — 9) de Provinc. Consul. c. 11. § 26.

est, quod in hac causa maxime homines admirentur et reprehendant meum consilium, quum ego idem multa decrerim, quae magis ad hominis dignitatem, quam ad rei publicae necessitatem pertinerent? Etenim [1], me consule referente, primum decem dierum supplicatio decreta est Cn. Pompeio, Mithridate interfecto confectoque Mithridatico bello, et mea sententia primum duplicata est supplicatio consularis: mihi enim senatus assensus est, quum, eiusdem Pompeii literis recitatis, confectis omnibus maritimis terrestribusque bellis, supplicationem dierum duodecim decrevit. 29. Et [2] ex Macedonia, provincia sua, rediens vir omni dignitate ornatissimus, L. Torquatus, magnis rebus gestis, me referente, ab senatu imperator est appellatus; homo [3] amantissimus patriae, maximi animi, summi consilii, singularis constantiae: qui, quum esset aeger tempore coniurationis Catilinariae, tamen omnibus rebus illis interfuit: nunquam est a me digressus: studio, consilio, auctoritate unus adiuvit plurimum, quum infirmitatem corporis animi virtute superaret.

VIII. 30. Eodem [4] anno L. Lucullus, quum victor a Mithridatico bello revertisset, inimicorum calumnia triennio tardius, quam debuerat, triumphavit. Nos enim consules introduximus paene in Urbem currum clarissimi viri. Qui [5] ad Mithridaticum bellum missus a senatu, non modo opinionem vicit omnium, quae de virtute eius erat, sed etiam gloriam superiorum. 31. Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo laus impe-

---

1) Ibid. § 27. — 2) in Pison. c. 19. § 44. — 3) pro Sulla c. 12. § 34. — 4) Academ. prior. c. 1. § 3. — 5 Ibid. § 1.

ratoria non admodum exspectabatur, qui adolescentiam in forensi opera, quaesturae diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto gerente, in Asia, pace, consumpserat. Sed incredibilis quaedam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usus disciplinam. Itaque, quum totum iter et navigationem consumpsisset partim in percontando a peritis, partim in rebus gestis legendis, in Asiam factus imperator venit, quum esset Roma profectus rei militaris rudis. 32. Habuit enim divinam quamdam memoriam rerum — verborum maiorem Hortensius: sed, quo plus in negotiis gerendis res, quam verba prosunt, hoc erat memoria illa praestantior — quam fuisse in Themistocle, quem facile Graeciae principem ponimus, singularem ferunt. Qui quidem etiam pollicenti cuidam, se artem ei memoriae, quae tum primum proferebatur, traditurum, respondisse dicitur, *oblivisci se malle discere:* credo, quod haerebant in memoria quaecunque et audierat, et viderat. Tali ingenio praeditus Lucullus adiunxerat etiam illam, quam Themistocles spreverat, disciplinam. Itaque, ut literis consignamus, quae monumentis mandare volumus: sic ille in animo res insculptas habebat. 33. Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit, proeliis, oppugnationibus, navalibus pugnis, totiusque belli instrumento et apparatu, ut ille rex, post Alexandrum maximus, hunc a se maiorem ducem cognitum, quam quemquam eorum, quos legisset, fateretur. In eodem tanta prudentia fuit in constituendis temperandisque civitatibus, tanta aequitas, ut hodie stet Asia Luculli institutis servandis et quasi vestigiis persequendis. Sed, etsi magna cum utilitate rei publicae, tamen diutius, quam vellem, tanta vis virtutis

atque ingenii peregrinata abfuit ab oculis et fori, et curiae.

Sed [1] ad eam partem sermonis, ex qua egressi sumus, revertamur.

IX. 34. Ego [2] Antonium collegam, cupidum provinciae, multa in re publica molientem, patientia atque obsequio meo mitigavi. De [3] quo nihil dico, praeter unum: nunquam illum in illo summo timore ac periculo civitatis, neque communem metum omnium, neque propriam nonnullorum de ipso suspicionem, aut infitiando tollere, aut dissimulando sedare voluisse. In quo collega sustinendo atque moderando, meam in illum indulgentiam, coniunctam cum summa custodia rei publicae, vere laudare quivis solebat. 35. Nam [4] mihi quidem quasi haec conditio consulatus data esset, ut omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque perferrem: tuli non solum fortiter, sed etiam libenter, dummodo meis laboribus senatui populoque Romano dignitas salusque pareretur. Ergo [5] multa tacui, multa pertuli, multa concessi, multa meo quodam dolore, in publico timore sanavi. Magnum [6] enim in re publica versari furorem, et nova quaedam misceri et concitari mala iampridem videbam: et, (dicendum [7] est enim, quod sentio) iamdiu [8] in periculis coniurationis insidiisque versabamur. Sed, nescio quo pacto, omnium scelerum ac veteris furoris et audaciae maturitas in nostri consulatus tempus erupit.

---

1) de Legib. II. c. 3. § 7. — 2) in Pison. c. 2. § 5. — 3) pro Sextio c. 3. § 8. — 4) in Catilin. IV. c. 1. § 1. — 5) Ibid. § 2. — 6) Ibid. c. 3. § 6. — 7) pro Murena c. 9. § 22. — 8) in Catilin. I. c. 13. § 31.

X. 36. Memini [1] me ante diem XII Kalendas Novembres dicere in senatu, fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem VI Kalendas Novembres, C. Mallium, audaciae satellitem atque administrum Catilinae. Non me fefellit, non modo res tanta, tam atrox, tamque incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies. Dixi ego idem in senatu, Catilinam caedem optimatum contulisse in ante diem V Kalendas Novembres, tum, quum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi, quam illius consiliorum reprimendorum causa profugerunt. 37. Sed [2] nihil agebat, nihil moliebatur, nihil cogitabat, quod ego non modo non audirem, sed etiam non viderem, planeque sentirem. Num [3] infitiari potuit, se illo ipso die meis praesidiis, mea diligentia circumclusum, commovere se contra rem publicam non potuisse, quum ipse, discessu ceterorum, nostra tamen qui remansissemus, caede contentum se esse dicebat? Quid? quum se Praeneste Kalendis ipsis Novembribus occupaturum nocturno impetu esse confideret: sensitne, illam coloniam meo iussu meis praesidiis, custodiis, vigiliisque esse munitam? 38. Sed [4] ille ut vitiis suis commoveretur, ut legum poenas pertimesceret, ut temporibus rei publicae concederet, non erat postulandum. Neque enim is fuit Catilina, ut ipsum aut pudor a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocaret.

XI. 39. Etenim [5] videbamus Catilinam interea alacrem atque laetum, stipatum choro iuventutis, valla-

1) Ibid. c. 3. § 7. — 2) Ibid. § 8. — 3) Ibid. § 7. — 4) Ibid. c. 9. § 22. — 5) pro Murena c. 24. § 49.

tum indicibus atque sicariis, inflatum quum spe militum, tum collegae mei, quemadmodum dicebat ipse, promissis, circumfluentem colonorum Arretinorum et Fesulanorum exercitu; quam turbam, dissimillimo ex genere, distinguebant homines perculsi Sullani temporis calamitate. Vultus erat ipsius plenus furoris; oculi, sceleris: sermo, arrogantiae: sic ut ei iam exploratus et domi conditus consulatus videretur. 40. Omnia [1] norat, omnium aditus tenebat: appellare, tentare, sollicitare poterat, audebat: erat ei consilium ad facinus aptum: consilio autem neque lingua, neque manus deerat. Iam ad certas res conficiendas certos homines delectos ac descriptos habebat. Neque vero, quum aliquid mandaverat, confectum putabat. Nihil erat, quod non ipse obiret, occurreret, vigilaret, laboraret: frigus, sitim, famem ferre poterat. 41. Atque [2] ut eius diversa studia in dissimili ratione perspicere possitis; nemo erat in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinae esse fateretur: nemo in scena levior et nequior, qui se non eiusdem prope sodalem fuisse commemoraret. Atque idem tamen, stuprorum et scelerum exercitatione assuefactus, frigore, et fame, et siti, ac vigiliis perferendis, fortis ab istis praedicabatur, quum industriae subsidia, atque instrumenta virtutis, in libidine audaciaque consumeret.

XII. 42. Tandem [3] iam aperte rem publicam universam petiit: templa deorum immortalium, tecta Urbis, vitam civium omnium, Italiam denique totam,

---

1) in Catilin. III. c. 7. § 16. — 2) in Catilin. II. c. 5. § 9. — 3) in Catilin. I. c. 5. § 11.

ad exitium et vastitatem vocavit. Voluit [1] ille senatum interficere, leges incendere, interimere patriam: quibus stantibus nullum domicilium sceleri suo fore putavit. 43. Quae [2] quidem ego neque mea prudentia, neque humanis consiliis fretus prohibui; sed multis, et non dubiis deorum immortalium significationibus, omnia [3] sic egi, ut res maximae minimo motu, pericula summa nullo tumultu, bellum intestinum ac domesticum, post hominum memoriam crudelissimum ac maximum, me uno togato duce et imperatore, sedaretur. Nam [4] toti Urbi, templis, delubris, tectis ac moenibus subiectos prope iam ignes circumdatosque restinximus: iidemque gladios in rem publicam destrictos retudimus, mucronesque a iugulis civium deiecimus.

XIII. 44. Quae quoniam in senatu illustrata, patefacta, comperta sunt per me; iam exponam breviter: ut et quanta, et quam manifesta, et qua ratione investigata et comprehensa sint, scire possint, qui ignorant et exspectant. 45. Quid [5] autem iam de nocte illa dicam, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novembrium me consule, qua inter falcarios ad M. Laecam, Catilinae denuntiatione, convenerunt complures [6] eiusdem amentiae scelerisque socii? quae nox [7] omnium temporum coniurationis acerrima fuit atque acerbissima. Tum Catilinae dies exeundi, tum ceteris manendi conditio, tum descriptio totam per Urbem caedis atque incendiorum constituta est. 46. Per-

---

1) in Pison c. 7. § 15. — 2) in Catilin. II. c. 13. § 29. — 3) Ibid. § 28. — 4) in Catilin. III. c. 1. § 2. — 5) pro Sulla c. 18. § 52. — 6) in Catilin. I. c. 4. § 8. — 7) pro Sulla c. 18. § 52.

crebuerunt [1] illius nefarii gladiatoris voces, quas habuisse in concione domestica dicebatur, quum *miserorum fidelem defensorem* negasset *inveniri posse, nisi eum, qui ipse miser esset: integrorum et fortunatorum promissis saucios et miseros credere non oportere: quare qui consumpta replere, erepta recuperare vellent, spectarent, quid ipse deberet, quid possideret, quid auderet: minime timidum, et valde calamitosum esse oportere eum, qui esset futurus dux et signifer calamitosorum.*

XIV. 47. Hoc [2] tempore, quum arderet acerrime coniuratio, quum Catilina egrederetur ad exercitum, Lentulus in Urbe relinqueretur, Cassius incendiis, Cethegus caedi praeponeretur, Autronio, ut occuparet Etruriam, praescriberetur, quum omnia ordinarentur, instituerentur, pararentur: quum [3] distribueret Catilina partes Italiae: statueret, quo quemque proficisci placeret: deligeret, quos Romae relinqueret, quos secum educeret: describeret Urbis partes ad incendia: confirmaret, se ipsum iam esse exiturum: diceret, paullulum sibi esse etiam tum morae, quod ego viverem: reperti sunt duo equites Romani, qui illum ista cura liberarent, et sese illa ipsa nocte paullo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur. Tum [4] Cornelius, id quod tandem aliquando confessus est, illam sibi officiosam provinciam depoposcit, ut, quum prima luce consulem salutatum veniret, intromissus

1) pro Murena c. 25. § 50. — 2) pro Sulla c. 19. § 53. — 3) in Catilin. I. c. 4. § 9. — 4) pro Sulla c. 18. § 52.

meo more et iure amicitiae, me in meo lectulo trucidaret. Neque [1] enim, me stante, et manente in Urbis vigilia, unquam se illi rem publicam delere posse duxerunt. 48. Haec [2] ego omnia, vixdum etiam coetu dimisso, comperi; domum meam maioribus praesidiis munivi atque firmavi: exclusi eos, quos Catilina mane ad me salutatum miserat, quum illi ipsi venissent, quos ego iam multis ac summis viris ad me id temporis venturos esse praedixeram: denique [3] hoc curavi, ut id omnes viderent, quod antea fuisset occultum. 49. Quare, [4] ut incendium patriae, omissa omni cogitatione, restinguerem, ego [5] provinciam Galliam, senatus auctoritate exercitu et pecunia instructam et ornatam, quam cum Antonio commutavi, quod ita existimabam tempora rei publicae ferre, in concione deposui, reclamante populo Romano. Ante [6] oculos enim mihi obversabatur rei publicae dignitas, quae me ad sese rapiebat, haec minora relinquere hortabatur. Nulla [7] erat natio, quam pertimescebamus: nullus rex, qui bellum populo Romano facere poterat: omnia erant externa unius virtute terra marique pacata. Domesticum bellum manebat: intus insidiae erant: intus erat inclusum periculum: intus erat hostis. Cum luxuria nobis, cum amentia, cum scelere certandum erat. Huic ego me bello ducem professus suscepi inimicitias hominum perditorum.

XV. 50. Non [8] deerat rei publicae consilium, ne-

1) in Pison. c. 7. § 16. — 2) in Catilin. I. c. 4. § 10. — 3) pro Sulla c. 2. § 4. — 4) Philipp. XI. c. 10. § 23. — 5) in Pison. c. 2. § 5. — 6) pro Sextio c. 3. § 7. — 7) in Catilin. II. c. 5. § 11. — 8) in Catilin. I. c. 1. § 3.

que auctoritas senatus. Habebamus enim senatus consultum in Catilinam vehemens et grave. Quo [1] ex senatus consulto confestim interfectum esse Catilinam conveniebat. At vivebat Catilina: et vivebat non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupiebam scilicet me esse clementem: cupiebam in tantis rei publicae periculis me non dissolutum videri. 51. Sed tandem me ipse inertiae nequitiaeque condemnavi. Castra erant in Italia contra rem publicam in Etruriae faucibus collocata: crescebat in dies singulos hostium numerus: eorum autem imperatorem castrorum ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu videbamus intestinam aliquam quotidie perniciem rei publicae molientem. Ego [2] autem has partes lenitatis et misericordiae, quas me natura ipsa docuit, semper egi libenter: illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivi, sed ab re publica mihi impositam sustinui, sicut huius imperii dignitas in summo periculo civium postulabat: et tum, quum res publica vim et severitatem desiderabat, vici naturam, et tam vehemens fui, quam cogebar, non quam volebam. 52. Ergo [3] hoc, quod iampridem factum esse oportuerat, certa de causa nondum adducebar, ut facerem. Etenim [4] nonnulli erant in senatu, qui aut ea, quae imminebant, non viderent, aut ea, quae videbant, dissimularent: qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt, coniurationemque nascentem non credendo corroboraverunt: quorum auctoritatem secuti multi, non solum improbi, ve-

1) Ibid. c. 2. § 5. — 2) pro Murena c. 3. § 6. — 3) in Catilin. I. c. 2. § 5. — 4) Ibid. c. 12. § 30.

rum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent. Intellexi, si iste, quo intenderat, in Malliana castra pervenisset, neminem tam stultum fore, qui non videret coniurationem esse factam, neminem tam improbum, qui non fateretur. Hoc autem uno interfecto, intellexi, hanc rei publicae partem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi potuisse. 53. Quod si se eiiceret, secumque suos educeret, et eodem ceteros undique collectos naufragos aggregaret: exstingueretur atque deleretur non modo haec tam adulta rei publicae pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium. Quod si [1] autem ex tanto latrocinio iste unus tolleretur: videremur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati, periculum autem resideret et esset inclusum penitus in venis atque in visceribus rei publicae. Ut saepe homines aegri morbo gravi, quum aestu febrique iactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur; deinde multo gravius vehementiusque afflictantur: sic hic morbus, qui erat in re publica, relevatus istius poena, vehementius, vivis reliquis, ingravesceret.

XVI. 54. Quae [2] quum ita essent, quum [3] domi meae paene interfectus essem, senatum in aedem Iovis Statoris convocavi: rem omnem ad Patres Conscriptos detuli. Quo quum Catilina venisset, quis eum senator appellavit? quis salutavit? quis denique ita adspexit, ut perditum civem, ac non potius, ut importunissimum hostem? Quin etiam principes eius

---

[1]) Ibid. c. 13. § 31. — [2]) Ibid. c. 8. § 20. — [3]) in Catilin. II. c. 6. § 12.

ordinis partem illam subselliorum, ad quam ille accesserat, nudam atque inanem reliquerunt. 55. Hic ego quaesivi a Catilina, in nocturno conventu apud M. Laecam fuisset, necne. Quum ille, homo audacissimus, conscientia convictus, primo reticuisset: patefeci cetera; quid ea nocte egisset, quid in proximam constituisset, quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta, edocui. Quum haesitaret, quum teneretur; quaesivi, quid dubitaret proficisci eo, quo iampridem pararet: quum arma, quum secures, quum fasces, quum tubas, quum signa militaria, quum aquilam illam argenteam, cui ille etiam sacrarium scelerum domi suae fecerat, scirem esse praemissam. 56. Quamobrem [1] haec fere dixi in senatu:

»Quid [2] est, Catilina, quod iam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare coetus nefarios, nec privata domus parietibus continere voces coniurationis tuae potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? Muta iam istam mentem, mihi crede: obliviscere caedis, atque incendiorum. Teneris undique: luce sunt clariora nobis tua consilia omnia. Quid [3] est, Catilina, quod te iam in hac urbe delectare possit? in qua nemo est, extra istam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat; nemo, qui non oderit. 57. Nunc [4] vero, quae tua est ista vita? Sic enim iam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur. Venisti paullo ante in senatum. Quis te ex hac tanta frequentia, tot ex tuis amicis ac necessariis salutavit?

---

1) in Catilin. I. c. 9. § 22. — 2) Ibid. c. 3. § 6. — 3) Ibid. c. 6. § 13. — 4) Ibid. c. 7. § 16.

Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, quum sis gravissimo iudicio taciturnitatis oppressus? Quid? quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt? quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt, simul atque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt? Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? 58. Servi mehercle mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? et, si me meis civibus iniuria suspectum tam graviter atque offensum viderem; carere me adspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici mallem: tu, quum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium iustum et iam tibi diu debitum, dubitas, quorum mentes sensusque vulneras, eorum adspectum praesentiamque vitare? 59. Si te parentes timerent atque odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses; ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes: nunc te patria, quae communis est omnium nostrum parens, odit ac metuit, et iamdiu te nihil iudicat, nisi de parricidio suo cogitare. Huius tu neque auctoritatem verebere, neque iudicium sequere, neque vim pertimesces? Quae tecum, Catilina, sic agit, et quodam modo tacita loquitur: *Nullum aliquot iam annis facinus exstitit, nisi per te: nullum flagitium sine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera: tu non solum ad negligendas leges et quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui,*

tuli: nunc vero me totam esse in metu propter te unum: quidquid increpuerit, Catilinam timeri: nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat; non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe: si est verus, ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam. 60. Haec [1] si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiam si vim adhibere non possit? Quid? quod tu te ipse in custodiam dedisti? quid? quod, vitandae suspicionis causa, apud M' Lepidum te habitare velle dixisti? a quo non receptus, etiam ad me venire ausus es, atque, ut domi meae te asservarem, rogasti. Quum a me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse iisdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem moenibus contineremur; ad Q. Metellum praetorem venisti. A quo repudiatus, ad sodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum demigrasti: quem tu videlicet et ad custodiendum te diligentissimum, et ad suspicandum sagacissimum, et ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipse iam dignum custodia iudicarit? 61. Quae [2] quum ita sint, Catilina, perge, quo coepisti: egredere aliquando ex Urbe: patent portae: proficiscere. Nimium diu te imperatorem tua illa Malliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos: si minus, quam plurimos. Purga Urbem. Magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit. Nobiscum versari

---

1) Ibid. c. 8. § 19. — 2) Ibid. c. 5. § 10.

iam diutius non potes: non feram, non patiar, non sinam. 62. Quamobrem [1], ut saepe iam dixi, proficiscere: ac, si mihi inimico, ut praedicas, tuo conflare vis invidiam; recta perge in exsilium: vix feram sermones hominum, si id feceris: vix molem istius invidiae, si in exsilium ieris iussu consulis, sustinebo. Sin autem servire meae laudi et gloriae mavis; egredere cum importuna sceleratorum manu: confer te ad Mallium: concita perditos cives: secerne te a bonis: infer patriae bellum; exsulta impio latrocinio, ut a me non eiectus ad alienos, sed invitatus ad tuos isse videaris. 63. Quamquam quid ego te invitem, a quo iam sciam esse praemissos, qui tibi ad Forum Aurelium praestolarentur armati? cui sciam pactam et constitutam esse cum Mallio diem? a quo etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus perniciosam esse confido et funestam futuram, cui domi tuae sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse praemissam? Tu ut illa diutius carere possis, quam venerari, ad caedem proficiscens, solebas? a cuius altaribus saepe istam impiam dexteram ad necem civium transtulisti. 64. Ibis [2] tandem aliquando, quo te iam pridem tua ista cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. Neque enim tibi haec res affert dolorem, sed quamdam incredibilem voluptatem. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. Nunquam tu non modo otium, sed ne bellum quidem, nisi nefarium concupisti. Nactus es ex perditis, atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis, con-

---

1) Ibid. c. 9. § 23. — 2) Ibid. c. 10. § 25.

flatam improborum manum. Hic tu qua laetitia perfruere? quibus gaudiis exsultabis? quanta in voluptate bacchabere, quum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam, neque videbis? 65. Ad huius vitae studium meditati illi sunt, qui feruntur, labores tui: iacere humi non modo ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum: vigilare non solum ad insidiandum somno maritorum, verum etiam bonis occisorum. Habes, ubi ostentes illam praeclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium; quibus te brevi tempore confectum esse senties."

XVII. 66. Ita [1] igitur, frequenti senatu, Catilinam excitavi, atque eum de his rebus iussi, si quid vellet, quae ad me allatae essent, dicere. Atque ille, ut semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indicavit atque induit. Tum enim dixit, *duo corpora esse rei publicae, unum debile, infirmo capite: alterum firmum, sine capite: huic, quum ita de se meritum esset, caput, se vivo, non defuturum.* Congemuit senatus frequens, neque tamen satis severe pro rei indignitate decrevit. Nam partim ideo fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant: partim, quia timebant. 67. Tum erupit e senatu, triumphans gaudio, quem omnino vivum illinc exire non oportuerat: praesertim quum idem ille in eodem ordine paucis diebus ante Catoni, fortissimo viro, iudicium minitanti ac denuntianti, respondisset, *si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua,*

---

1) pro Murena c. 25. § 51.

sed ruina restincturum. 68. His [1] tum rebus commotus, et quod homines iam tum coniuratos cum gladiis in Campum deduci a Catilina sciebam; descendi in Campum cum firmissimo praesidio fortissimorum virorum, et cum illa lata insignique lorica, non quae me tegeret, (etenim sciebam Catilinam non latus aut ventrem, sed caput et collum solere petere,) verum ut omnes boni animadverterent, et, quum in metu et periculo consulem viderent, id quod est factum, ad opem praesidiumque meum concurrerent. Itaque quod [2] exspectavi, sum assecutus, ut omnes factam esse aperte coniurationem contra rem publicam viderent. Homo [3] videlicet timidus et permodestus vocem consulis ferre non potuit: simul atque ire in exsilium iussus est, paruit, ivit. Aurelia [4] via profectus est.

XVIII. 69. Tandem [5] aliquando igitur L. Catilinam, furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, populo Romano atque huic urbi ferrum flammamque minitantem, ex Urbe vel eiecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem verbis prosecuti sumus. Atque hunc quidem unum huius belli domestici ducem perdidimus, magnificeque vicimus, quum illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium coniecimus. 70. O fortunatam [6] rem publicam, si quidem hanc sentinam huius urbis eiiceret! Uno mehercule Catilina exhausto, relevata mihi et recreata res publica videbatur. Quid enim mali aut sceleris fingi aut excogitari potest, quod non ille conceperit? quis tota

1) Ibid. c. 26. § 52. — 2) in Catilin. II. c. 4. § 6. — 3) Ibid. c. 6. § 12. — 4) Ibid. c. 4. § 6. — 5) Ibid. c. 1. § 1. — 6) Ibid. c. 4. § 7.

Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis sicarius, quis parricida, quis testamentorum subiector, quis circumscriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quae mulier infamis, quis corruptor iuventutis, quis corruptus, quis perditus inveniri potest, qui se cum Catilina non familiarissime vixisse fateatur? quae caedes per hosce annos sine illo facta est? quod nefarium stuprum non per illum? 71. Iam vero quae tanta in ullo unquam homine iuventutis illecebra fuit, quanta in illo? qui alios ipse amabat turpissime, aliorum amori flagitiosissime serviebat, aliis fructum libidinum, aliis mortem parentum, non modo impellendo, verum etiam adiuvando, pollicebatur. Nunc vero quam subito, non solum ex Urbe, verum etiam ex agris, ingentem numerum perditorum hominum collegerat? Nemo, non modo Romae, sed nec ullo in angulo totius Italiae, oppressus aere alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris foedus adsciverit.

XIX. 72. Sed [1] quum viderem, si illum, ut erat meritus, morte multassem, fore, ut eius socios invidia oppressus persequi non possem: rem huc deduxi, ut tum palam pugnare possemus, quum hostem aperte videremus. Illud vero moleste tuli, quod ex Urbe parum comitatus exierit. Utinam ille omnes secum suas copias eduxisset! Tongilium mihi eduxit; quem amare in praetexta coeperat: Publicium et Munatium; quorum aes alienum contractum in popina nullum rei publicae motum afferre poterat. Reliquit quos viros! quanto alieno aere! quam valentes! quam no-

1) Ibid. c. 2. § 4.

biles! 73. Hunc [1] vero si secuti fuissent sui comites: si ex Urbe exiissent desperatorum hominum flagitiosi greges: o nos beatos, o rem publicam fortunatam, o praeclaram laudem consulatus mei! Non enim erant mediocres hominum libidines, non humanae audaciae, ac tolerandae: nihil cogitabant, nisi caedes, nisi incendia, nisi rapinas. Patrimonia sua profuderant: fortunas suas abligurierant: res eos iampridem, fides deficere nuper coeperat: eadem tamen illa, quae erat in abundantia, libido permanebat. 74. Quod si in vino et alea commissationes solum et scorta quaesivissent, fuissent illi quidem desperandi, sed tamen fuissent ferendi. Hoc vero quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus? qui mihi accubantes in conviviis, complexi mulieres impudicas, vino languidi, confecti cibo, sertis redimiti, unguentis obliti, debilitati stupris, eructabant sermonibus suis caedem bonorum, atque Urbis incendia. Quibus ego confidebam impendere fatum aliquod: et poenas iamdiu improbitati, nequitiae, sceleri, libidini debitas, aut instare iam plane, aut certe iam appropinquare.

XX. 75. Principio, [2] ut Catilina erupit ex Urbe, quum sceleris sui socios, huiusce nefarii belli acerrimos duces Romae reliquisset: semper vigilavi et providi, quemadmodum in tantis et tam absconditis insidiis salvi esse possemus. Nam tum, quum ex Urbe Catilinam eiiciebam, aut reliquam coniuratorum

---

[1]) Ibid. c. 5 § 10. — [2]) in Catilin. III. c. 1. § 3.

manum simul exituram, aut eos, qui restitissent, infirmos sine illo ac debiles fore putabam. Atque ego, ut vidi, quos maximo furore et scelere esse inflammatos sciebam, eos nobiscum esse, et Romae remansisse: in eo omnes dies noctesque consumpsi, ut, quid agerent, quid molirentur, sentirem ac viderem. 76. Quae [1] quum ita essent, populus Romanus, quemadmodum iam antea, tecta sua custodiis vigiliisque defendit: mihi, ut Urbi sine motu ac sine ullo tumultu satis esset praesidii, consultum ac provisum est. Coloni omnes municipesque nostri, certiores a me facti de hac nocturna excursione Catilinae, facile urbes suas finesque defenderunt. Gladiatores, quam sibi ille maximam manum et certissimam fore putavit, potestate nostra continebantur. Q. Metellus, quem ego, prospiciens hoc, in agrum Gallicanum Picenumque praemisi, hominis motus conatusque prohibuit: quocum [2] ita mihi dispertitum officium fuit in rei publicae salute retinenda, ut ego Urbem a domesticis insidiis et ab intestino scelere, ille Italiam et ab armatis hostibus et ab occulta coniuratione defenderet. 77. Itaque [3] ut comperi, legatos Allobrogum belli Transalpini et tumultus Gallici excitandi causa a P. Lentulo esse sollicitatos, eosque in Galliam ad suos cives, eodemque itinere cum literis mandatisque ad Catilinam esse missos, comitemque iis adiunctum T. Vulturcium, atque huic datas esse ad Catilinam literas: facultatem mihi oblatam putavi, ut, quod erat difficillimum, quodque ego semper optabam a diis immortalibus,

---

1) in Catilin. II. c. 12. § 26. — 2) Epist. ad Q. Metellum (ad Fam. V. 2. § 1. — 3) in Catilin. III. c. 2. § 4.

tota res non solum a me, sed etiam a senatu et a populo manifesto deprehenderetur.

XXI. 78. Itaque [1] confestim L. Flaccum et C. Pomptinum, praetores, fortissimos atque amantissimos rei publicae viros, ad me vocavi: rem omnem exposui: quid fieri placeret, ostendi. Illi autem, qui omnia de re publica praeclara atque egregia sentirent, sine recusatione ac sine ulla mora negotium susceperunt, et, quum advesperasceret, occulte ad pontem Mulvium pervenerunt, atque ibi in proximis villis ita bipartito fuerunt, ut Tiberis inter eos et pons interesset. Eodem autem et ipsi, sine cuiusquam suspicione, multos fortes viros eduxerunt, et ego ex praefectura Reatina complures delectos adolescentes, quorum opera in re publica assidue utebar, praesidio cum gladiis miseram. 79. Interim tertia fere vigilia exacta, quum iam pontem Mulvium magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent, unaque Vulturcius, fit in eos impetus: educuntur et ab illis gladii et a nostris. Res erat praetoribus nota solis: ignorabatur a ceteris. Tum [2], interventu Pomptini atque Flacci, pugna, quae erat commissa, sedatur. Literae, quaecunque erant in eo comitatu, integris signis, praetoribus traduntur: ipsi comprehensi, ad me, quum iam dilucesceret, deducuntur. 80. O nox [3] illa, quae paene aeternas huic urbi tenebras attulisti, quum Galli ad bellum, Catilina ad Urbem, coniurati ad ferrum et flammam vocabantur: quum ego te, Flacce, coelum noctemque contestans, flens flentem obtestabar: quum tuae fidei optimae et

---

1) Ibid. § 5. — 2) Ibid. c. 3. § 6. — 3) pro Flacco c. 40. § 102.

spectatissimae salutem Urbis et civium commendabam! Tu, tum, Flacce, praetor, communis exitii nuntios cepisti: tu inclusam in literis rei publicae pestem deprehendisti: tu periculorum indicia, tu salutis auxilia ad me et ad senatum attulisti. Quae tibi tum gratiae sunt a me actae! quae a senatu! quae a bonis omnibus! Quis tibi, quis C. Pomptino, fortissimo viro, quemquam bonum putaret unquam honorem ullum denegaturum?

XXII. 81. Atque [1] horum omnium scelerum improbissimum machinatorem, Cimbrum Gabinium, statim ad me, nihil dum suspicantem, vocavi. Deinde item arcessitur L. Statilius, et post eum C. Cethegus. Tardissime autem Lentulus venit, credo quod literis dandis, praeter consuetudinem, proxima nocte vigilarat. 82. Quum vero summis ac clarissimis huius civitatis viris, qui, audita re, frequentes ad me mane convenerant, literas a me prius aperiri, quam ad senatum deferri, placeret; ne, si nihil esset inventum, temere a me tantus tumultus iniectus civitati videretur: negavi me esse facturum, ut de periculo publico non ad consilium publicum rem integram deferrem. Etenim, si ea, quae erant ad me delata, reperta non essent: tamen ego non arbitrabar in tantis rei publicae periculis mihi esse nimiam diligentiam pertimescendam. 83. Senatum frequentem celeriter coëgi. Atque interea statim, admonitu Allobrogum, C. Sulpicium, praetorem, fortem virum, misi, qui ex aedibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret. Ex quibus ille

---

1) in Catilin. III. c. 3 § 6.

maximum sicarum numerum et gladiorum extulit. 84. Introduxi [1] Vulturcium sine Gallis: fidem ei publicam, iussu senatus, dedi: hortatus sum, ut ea, quae sciret, sine timore indicaret. Tum ille, quum vix se ex magno timore recreasset, dixit: a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata et literas, ut servorum praesidio uteretur, et ad Urbem quam primum cum exercitu accederet: id autem eo consilio, ut, quum Urbem omnibus ex partibus, quemadmodum descriptum distributumque erat, incendissent, caedemque infinitam civium fecissent, praesto esset ille, qui et fugientes exciperet, et se cum his urbanis ducibus coniungeret. 85. Introducti autem Galli, iusiurandum sibi et literas a P. Lentulo, Cethego, Statilio ad suam gentem datas esse dixerunt: atque ita sibi ab his et a L. Cassio esse praescriptum, ut equitatum in Italiam quam primum mitterent: pedestres sibi copias non defuturas: Lentulum autem sibi confirmasse ex fatis Sibyllinis haruspicumque responsis, se esse tertium illum Cornelium, ad quem regnum huius urbis atque imperium pervenire esset necesse: Cinnam ante se et Sullam fuisse: eumdemque dixisse, fatalem hunc esse annum ad interitum huius urbis atque imperii, qui esset decimus annus post Virginum absolutionem, post Capitolii autem incensionem vicesimus. Hanc autem Cethego cum ceteris controversiam fuisse dixerunt: quod Lentulo et aliis, caedem Saturnalibus fieri, atque Urbem incendi placeret; Cethego nimium id longum videri.

XXIII. 86. Ac [2], ne longum sit, tabellas proferri

---

1) Ibid. c. 4. § 8. — 2) Ibid. c. 5. § 10.

iussimus, quae a quoque dicebantur datae. Primum ostendimus Cethego signum: cognovit. Nos linum incidimus: legimus. Erat scriptum ipsius manu Allobrogum senatui et populo, sese, quae eorum legatis confirmasset, esse facturum: orare, ut item illi facerent, quae sibi legati eorum recepissent. Tum Cethegus, qui paullo ante aliquid tamen de gladiis ac sicis, quae apud ipsum erant deprehensae, respondisset, dixissetque, se semper bonorum ferramentorum studiosum fuisse: recitatis literis debilitatus atque abiectus, conscientia convictus, repente conticuit. 87. Introductus est Statilius: cognovit et signum et manum suam. Recitatae sunt tabellae in eamdem fere sententiam: confessus est. 88. Tum ostendi tabellas Lentulo, et quaesivi, cognosceretne signum. Annuit. — »Est vero, inquam, notum signum, imago avi tui, clarissimi viri, qui amavit unice patriam et cives suos: quae quidem te a tanto scelere etiam muta revocare debuit." — Leguntur eadem ratione ad senatum Allobrogum populumque literae. Si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Atque ille primo quidem negavit: post autem aliquanto, toto iam indicio exposito atque edito, surrexit: quaesivit a Gallis, quid sibi esset cum iis: quamobrem domum suam venissent; itemque a Vulturcio. Qui quum illi breviter constanterque respondissent, per quem ad eum, quotiesque venissent, quaesissentque ab eo, nihilne secum esset de fatis Sibyllinis locutus: tum ille subito, scelere demens, quanta conscientiae vis esset, ostendit. Nam, quum id posset infitiari, repente praeter opinionem omnium confessus est. Ita eum non modo ingenium illud, et dicendi exercitatio, qua

semper valuit, sed etiam, propter vim sceleris manifesti atque deprehensi, impudentia, qua superabat omnes, improbitasque defecit. 89. Vulturcius vero subito proferri literas atque aperiri iussit, quas sibi a Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat. Atque ibi vehementissime perturbatus Lentulus, tamen et signum suum et manum cognovit. Erant autem scriptae sine nomine, sed ita: *Qui sim, ex eo, quem ad te misi, scies. Cura, ut vir sis, et quem in locum sis progressus, cogita; et vide, quid iam tibi sit necesse. Cura, ut omnium tibi auxilia adiungas, etiam infimorum.* 90. Gabinius deinde introductus, quum primo impudenter respondere coepisset, ad extremum nihil ex iis, quae Galli insimulabant, negavit. 91. Ac mihi quidem quum illa certissima sunt visa argumenta atque indicia sceleris, tabellae, signa, manus, denique uniuscuiusque confessio, tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnunquam inter se adspiciebant, ut non iam ab aliis indicari, sed indicare se ipsi viderentur.

XXIV. 92. Vidi [1] autem simul hoc, nisi, recenti memoria senatus, auctoritatem huius indicii monumentis publicis testatus essem, fore, ut aliquando aliquis patrimonio naufragus, inimicus otii, bonorum hostis, aliter indicata haec esse diceret, quo facilius, vento aliquo in optimum quemque excitato, posset in malis rei publicae portum suorum malorum aliquem invenire. Itaque introductis in senatum indicibus,

---

1) pro Sulla c. 14. § 41.

constitui senatores, qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent. At quos viros! non solum summa virtute et fide, cuius generis in senatu facultas maxima: sed etiam, quos sciebam memoria, scientia, consuetudine et celeritate scribendi, facillime, quae dicerentur, persequi posse: C. Cosconium, qui tunc erat praetor: M. Messallam, qui tum praeturam petebat: P. Nigidium, App. Claudium. Credo esse neminem, qui his hominibus ad vere referendum aut fidem putet, aut ingenium defuisse. 93. Quid [1] deinde?. quid feci? Quum scirem, ita indicium in tabulas publicas relatum, ut illae tabulae privata tamen custodia, more maiorum, continerentur: non occultavi, non continui domi, sed describi ab omnibus statim librariis, dividi passim et pervulgari atque edi populo Romano imperavi. Divisi toti Italiae, emisi in omnes provincias: eius indicii, e quo salus oblata esset omnibus, expertem esse neminem volui. Itaque credo, locum in orbe terrarum esse nullum quo in loco populi Romani nomen sit, quin eodem perscriptum hoc indicium pervenerit.

XXV. 94. Indiciis [2] expositis atque editis, senatum consului, de summa re publica quid fieri placeret. Dictae sunt a principibus acerrimae ac fortissimae sententiae, quas senatus sine ulla varietate est consecutus. 95. Primum mihi gratiae verbis amplissimis aguntur, quod virtute, consilio, providentia mea, res publica periculis sit maximis liberata: deinde L. Flaccus et C. Pomptinus, praetores, quod eorum

---

1) Ibid. c. 15. § 42. — 2) In Catilin. III. c. 6. § 13.

opera forti fidelique usus essem, merito ac iure laudantur: atque etiam viro forti, collegae meo, laus impertitur, quod eos, qui huius coniurationis participes fuissent, a suis et a rei publicae consiliis removisset. 96. Atque ita censuerunt, ut P. Lentulus, quum se praetura abdicasset, tum in custodiam traderetur: itemque uti C. Cethegus, L. Statilius, P. Gabinius, qui omnes praesentes erant, in custodiam traderentur: atque idem hoc decretum ést in L. Cassium, qui sibi procurationem incendendae Urbis depoposcerat: in M. Caeparium, cui ad sollicitandos pastores Apuliam esse attributam, erat indicatum: in P. Furium, qui erat ex iis colonis, quos Fesulas L. Sulla deduxit: in Q. Manlium Chilonem, qui una cum hoc Furio semper erat in hac Allobrogum sollicitatione versatus: in P. Umbrenum, libertinum hominem, a quo primum Gallos ad Gabinium perductos esse constabat. Atque ea lenitate senatus est usus, ut ex tanta coniuratione, tantaque vi ac multitudine domesticorum hostium, novem hominum perditissimorum poena, re publica conservata, reliquorum mentes sanari posse arbitraretur. 97. Atque etiam supplicatio diis immortalibus pro singulari eorum merito meo nomine decreta est: quod mihi primum post hanc urbem conditam togato contigit: et his decreta verbis est, QVOD VRBEM INCENDIIS, CAEDE CIVES, ITALIAM BELLO LIBERASSEM. Quae supplicatio si cum ceteris supplicationibus conferatur, hoc intersit, quod ceterae bene gesta, haec una, conservata re publica, constituta est. 98. Atque illud, quod faciendum fuit, primum factum atque transactum est. Nam P. Lentulus, quamquam, patefactis indiciis et confessionibus suis, iudicio senatus,

non modo praetoris ius, verum etiam civis amiserat, tamen magistratu se abdicavit: ut, quae religio C. Mario, clarissimo viro, non fuerat, quo minus C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, praetorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo puniendo liberaremur.

XXVI. 99. Tum [1] ego institui referre ad Patres Conscriptos, tamquam integrum, et de facto, quid iudicarent, et de poena, quid censerent. Duae [2] dictae sunt sententiae: una D. Silani, qui censebat, eos, qui haec delere conati erant, morte esse multandos: altera C. Caesaris, qui mortis poenam removebat, ceterorum suppliciorum omnes acerbitates amplectebatur. Uterque et pro sua dignitate et pro rerum magnitudine in summa severitate versabatur. 100. Alter eos, qui nos omnes, qui populum Romanum vita privare conati sunt, qui delere imperium, qui populi Romani nomen exstinguere, punctum temporis frui vita et hoc communi spiritu, non putat oportere: atque hoc genus poenae saepe in improbos cives in hac re publica esse usurpatum recordatur. 101. Alter intelligit, mortem a diis immortalibus non esse supplicii causa constitutam, sed aut necessitatem naturae, aut laborum ac miseriarum quietem esse. Municipiis dispertiri iubet. Adiungit gravem poenam municipibus, si quis eorum vincula ruperit: horribiles custodias circumdat, et digna scelere hominum perditorum sancit, ne quis eorum poenam, quos condemnat, aut per senatum, aut per populum levare possit. Bona praeterea pu-

1) in Catilin. IV. c. 3. § 6. — 2) Ibid. c. 4. § 7.

blicari iubet. Vitam solam relinquit nefariis hominibus; quam si eripuisset, multos uno dolore dolores animi atque corporis, et omnes scelerum poenas ademisset. 102. M. autem Cato[1], quum esset designatus tribunus plebis, obtulit in discrimen vitam suam: dixit eam sententiam, cuius invidiam capitis periculo sibi praestandam videbat: dixit vehementer: egit acriter: ea, quae sensit, prae se tulit: dux, auctor, actor rerum illarum fuit: non quo periculum suum non videret; sed in tanta rei publicae tempestate nihil sibi, nisi de patriae periculis, cogitandum putabat. 103. Ego[2], quod in hac causa vehementior eram, non atrocitate animi movebar, (quis enim est me mitior?) sed singulari quadam humanitate et misericordia. Videbar enim mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem: cernebam animo sepultam patriam, miseros atque insepultos acervos civium: versabatur mihi ante oculos adspectus Cethegi, et furor in civium caede bacchantis. Quum vero mihi proposueram regnantem Lentulum, sicut ipse se ex fatis sperasse confessus est, purpuratum esse hunc Gabinium, cum exercitu venisse Catilinam, tum lamentationem matrumfamilias, tum fugam virginum atque puerorum, ac vexationem Virginum Vestalium perhorrescebam: et, quia mihi vehementer haec videbantur misera atque miseranda, idcirco, in eos, qui ea perficere voluerunt, me severum vehementemque praebui. 104. Quae[3] omnia, quia Cato verbis

---

1) pro Sextio c. 28. § 61. — 2) in Catilin. IV. c. 6. § 11. — 3) ad Att. XII. 21. § 1.

luculentioribus et pluribus comprehenderat, perscribendaque censuerat, idcirco in eius sententiam est facta discessio; qua [1] in re manifestum erat, quid gravitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret: quae in tempestate saeva quieta est, et lucet in tenebris, et pulsa loco manet tamen, atque haeret in patria, splendetque per sese semper, neque alienis unquam sordibus obsolescit.

XXVII. 105. Sic [2] ego L. Catilinam, caedem senatus, interitum Urbis, non obscure, sed palam molientem, egredi ex Urbe iussi, ut, a quo legibus non poteramus, moenibus tuti esse possemus. Sic ego tela extremo mense consulatus mei intenta iugulis civitatis, de coniuratorum nefariis manibus extorsi. Sic ego faces iam accensas ad huius urbis incendium, comprehendi, protuli, exstinxi. 106. Sic [3] ego consul, quum exercitus perditorum civium, clandestino scelere conflatus, crudelissimum et luctuosissimum exitium patriae comparasset: quum ad occasum interitumque rei publicae Catilina in castris, in his autem templis atque tectis dux Lentulus esset constitutus, meis consiliis, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, quinque hominibus comprehensis atque confossis, incensione Urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitu rem publicam liberavi. Sic ego vitam omnium civium, statum orbis terrae, urbem hanc denique, sedem omnium nostrum, arcem regum ac

1) pro Sextio c. 28. § 60. — 2) in Pison. c. 2. § 5. — 3) pro Sulla c. 11. § 33.

nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperii, quinque hominum amentium ac perditorum poena redemi.

XXVIII. 107. Atque [1], ut de eorum constantia atque animo in rem publicam dicam, quorum tacita gravitas et fides de unoquoque loquitur, neque cuiusquam ornamenta orationis desiderat: potest quisquam dicere unquam meliores, fortiores, constantiores consulares fuisse, quam iis temporibus et periculis, quibus paene oppressa est res publica? Quis non de communi salute apertissime, quis non fortissime, quis non constantissime sensit? Neque [2] enim princeps tunc ad salutem esse potuissem, si esse alii comites noluissent. 108. Neque [3] ego praecipue de consularibus disputo. Nam haec et hominum ornatissimorum, qui praetores fuerunt, et universi senatus communis est laus: ut constet, post hominum memoriam nunquam in illo ordine plus virtutis, plus amoris in rem publicam, plus gravitatis fuisse; neminem fuisse ex illo honoris gradu, qui non omni studio, virtute, auctoritate, incubuerit ad rem publicam conservandam. Quis [4] dicat sententias consularium fuisse leniores, Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottae, L. Caesaris, C. Pisonis, etiam M' Glabrionis, Silani, Murenae, designatorum consulum!

XXIX. 109. Quidquid [5] autem ego constitui, quid-

---

1) pro Sulla c. 29. § 82. — 2) Ibid. c. 3. § 9. — 3) Ibid. c. 29. § 82. — 4) ad Att. XII. 21. § 1. — 5) Philipp. II. c. 5. § 11.

quid gessi, quidquid egi, id omne fuit ex senatus consilio, auctoritate, sententia. Ergo [1] placuit consulatus meus P. Servilio, ut eum primum nominem ex illius temporis consularibus, qui proxime est mortuus: placuit Q. Catulo, cuius semper in hac re publica vivet auctoritas: placuit duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortensio, C. Curioni, C. Pisoni, M' Glabrioni, M' Lepido, L. Volcatio, C. Figulo, D. Silano, L. Murenae, qui tum erant consules designati. 110. Placuit idem, quod consularibus, M. Catoni, qui [2] me suis sententiis saepissime ornavit; qui oratione, qui praedicatione, qui summis laudibus in senatu, in concionibus ad coelum extulit; cuius ego semper tanta esse verborum pondera putavi, ut uno verbo Catonis cum mea laude coniuncto omnia assequi me arbitrarer: qui idem mihi supplicationem decrevit togato, non, ut multis, re publica bene gesta, sed, ut nemini, re publica conservata. 111. Tum [3] Crassus etiam surrexit ornatissimeque de meo consulatu locutus est; ut ita diceret, se, quod esset senator, quod civis, quod liber, quod viveret, mihi acceptum referre; quoties coniugem, quoties domum, quoties patriam videret, toties se beneficium meum videre. 112. Maxime [4] vero consulatum meum Cn. Pompeius probavit; qui, ut me primum decedens ex Syria vidit, complexus et gratulans, meo beneficio patriam se visurum esse dixit. Sed quid singulos commemoro? Frequentissimo senatui sic placuit, ut esset nemo, qui mihi non, ut parenti, gratias ageret;

---

1) Ibid. § 12. — 2) Epist. ad M. Catonem (ad Fam. XV. 4. § 11.) — 3) ad Att. I. 14. § 3. — 4) Philipp. II. c. 5. § 12.

qui non mihi vitam suam, fortunas, liberos, rem publicam referret acceptam. 113. Ergo [1], frequentissimo senatu, Q. Catulus, princeps huius ordinis et auctor publici consilii, me *parentem patriae* nominavit. Mihi vir clarissimus, L. Gellius, audiente senatu, civicam coronam deberi a re publica dixit. Mihi togato senatus, non, ut multis, bene gestae, sed, ut nemini, conservatae rei publicae singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit.

XXX. 114. Quamquam [2] haec omnia ita sunt a me administrata, ut deorum immortalium nutu atque consilio et gesta et provisa esse videantur. Idque quum coniectura consequi possumus, quod vix videtur humani consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse; tum vero ita praesentes opem et auxilium nobis tulerunt, ut eos paene oculis videre possemus. Nam, ut illa omittam, visas nocturno tempore ab occidente faces ardoremque coeli, ut fulminum iactus, ut terrae motus, ceteraque, quae tam multa, nobis consulibus, facta sunt, ut, quae fierent, canere dii immortales viderentur: hoc certe, quod sum dicturus, neque praetermittendum, neque relinquendum est. 115. Nam profecto memoria tenemus omnes, Cotta et Torquato consulibus, complures in Capitolio turres de coelo esse percussas, quum et simulacra deorum immortalium depulsa sunt, et statuae veterum hominum deiectae, et legum aera liquefacta; tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus:

---

1) in Pison. c. 3. § 6. — 2) in Catilin. III. c. 8. § 18.

quem inauratum in Capitolio parvum atque lactentem, uberibus lupinis inhiantem fuisse meminimus. Quo quidem tempore quum haruspices ex tota Etruria convenissent, caedes atque incendia, et legum interitum, et bellum civile ac domesticum, et totius Urbis atque imperii occasum appropinquare dixerunt, nisi dii immortales omni ratione placati, suo numine prope fata ipsa flexissent. 116. Itaque illorum responsis tunc et ludi decem per dies facti sunt, neque res ulla, quae ad placandum deos pertineret, praetermissa est: iidemque iusserunt, simulacrum Iovis facere maius, et in excelso collocare, et contra, atque ante fuerat, ad orientem convertere: ac se sperare dixerunt, si illud signum solis ortum, et forum, curiamque conspiceret, fore, ut ea consilia, quae clam essent inita contra salutem Urbis atque imperii, illustrarentur, ut a senatu populoque Romano perspici possent. Atque illud ita collocandum consules illi locaverunt: sed tanta fuit operis tarditas, ut [1] redemptor, qui columnam illam de Cotta et de Torquato conduxerat faciendam, non inertia aut inopia tardior fuisse, sed a diis immortalibus ad istam horam reservatus esse videretur: ut [2], quo die mane per forum meo iussu et coniurati, et eorum indices in aedem Concordiae ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur. Quo collocato, atque ad populum senatumque converso, omnia et senatus, et populus, quae erant contra salutem omnium cogitata, illustrata vidit et patefacta. 117. Iam [3] vero illa Allobrogum

---

1) de Divinat. II. c. 21. §. 47. — 2) in Catilin. III. c. 9. § 21. — 3) Ibid. § 22.

sollicitatio sic a Lentulo ceterisque domesticis hostibus, tanta res tam dementer credita et ignotis et barbaris, commissaeque literae nunquam essent profecto, nisi a diis immortalibus huic tantae audaciae consilium esset ereptum. Quid vero? ut homines Galli ex civitate male pacata, quae gens una restabat, quae populo Romano bellum facere et posse et non nolle videretur, spem imperii et rerum amplissimarum ultro sibi a patriciis hominibus oblatam negligerent, nostramque salutem suis opibus anteponerent: id non divinitus factum esse putamus? praesertim qui nos non pugnando, sed tacendo superare potuerunt.

XXXI. 118. Quo [1] etiam maiore erant isti odio supplicioque digni, qui non solum hominum domiciliis atque tectis, sed etiam deorum templis atque delubris sunt funestos ac nefarios ignes inferre conati. Quibus ego si me restitisse dicam, nimium mihi sumam, et non sim ferendus: ille, ille Iupiter restitit: ille Capitolium, ille haec templa, ille hanc urbem, ille cives omnes salvos esse voluit. Diis ego immortalibus ducibus hanc mentem, voluntatemque suscepi, atque ad haec tanta indicia perveni. 119. Et [2] libenter quidem versus memini, quos in secundo de Consulatu Urania musa pronuntiat:

> Omnia iam cernes divina mente notata:
> Nam primum astrorum volucres, te consule, motus,
> Concursusque graves stellarum ardore micantes
> Vidisti, et claro tremulos ardore cometas;

---

1) Ibid. c. 9. § 22. — 2) de Divinat. I. c. 11. § 17.

Multaque misceri nocturna strage putasti.
Iam vero variae nocturno tempore visae
Terribiles formae bellum motusque monebant:
Multaque per terras vates oracla furenti
Pectore fundebant tristes minitantia casus;
Atque ea, quae lapsu tandem cecidere vetusto,
Haec fore, perpetuis signis clarisque frequentans
Ipse deûm genitor coelo terrisque canebat.
120. Nunc ea, Torquato, quae quondam, et consule Cotta,
Lydius ediderat Tyrrhenae gentis haruspex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans, stellanti nixus Olympo,
Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit,
Et Capitolinis iniecit sedibus ignes.
Tum species ex aere vetus generosaque Nattae
Concidit, elapsaeque vetusto numine leges,
Et divôm simulacra peremit fulminis ardor.
Hic silvestris erat Romani nominis altrix,
Martia, quae parvos Mavortis semine natos
Uberibus gravidis vitali rore rigabat:
Quae tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit atque avulsa pedum vestigia liquit.
121. Tum quis non, artis scripta ac monumenta volutans,
Voces tristificas chartis promebat Etruscis?
Omnes civili generosa ab stirpe profectam
Vitare ingentem cladem pestemque monebant:
Vel legum exitium constanti voce ferebant,
Templa deûmque adeo flammis urbemque iubebant
Eripere, et stragem horribilem caedemque vereri:
Atque haec fixa gravi fato ac fundata teneri;
Ni post, excelsum ad columen formata decore,
Sancta Iovis species claros spectaret in ortus.
Tum fore, ut occultos populus sanctusque senatus
Cernere conatus posset, si solis ad ortum
Conversa, inde patrum sedes populique videret.

122. Haec tardata diu species multumque morata,
Consule te, tandem celsa est in sede locata;
Atque una fixi ac signati temporis hora
Iuppiter excelsa clarabat sceptra columna,
Et clades patriae flamma ferroque parata
Vocibus Allobrogum patribus populoque patebat.
Rite igitur veteres, quorum monumenta tenetis,
Qui populos urbesque modo ac virtute regebant
Rite etiam vestri, quorum pietasque fidesque
Praestitit et longe vicit sapientia cunctos,
Praecipue coluere vigenti numine divos.

XXXII. 123. Quoniam [1] igitur, ut dixi, supplicatio decreta fuit ad omnia pulvinaria, celebrare omnes iussi illos dies cum coniugibus ac liberis. Nam multi saepe honores diis immortalibus iusti habiti sunt ac debiti, sed profecto iustiores nunquam. Erepti enim cives ex crudelissimo ac miserrimo interitu, et erepti sine caede, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione, togati, me uno togato duce et imperatore, vicerunt. 124. Etenim omnes civiles dissensiones, licet [2] essent huiusmodi, quae non ad delendam, sed ad commutandam rem publicam pertinerent, tamen internecione civium diiudicatae sunt. In hoc autem uno post hominum memoriam maximo crudelissimoque bello, quale bellum nulla unquam barbaria cum sua gente gessit, quo in bello lex haec fuit a Lentulo, Catilina, Cassio, Cethego constituta, ut omnes, qui salva Urbe salvi esse possent, in hostium numero ducerentur, ita me gessi, ut omnes salvi conservarentur: et, quum hostes tantum civium su-

1) in Catilin. III. c. 10. § 23. — 2) Ibid. § 25.

perfuturum putassent, quantum infinitae caedi restitisset, tantum autem Urbis, quantum flamma obire non potuisset, et Urbem et cives integros incolumesque servavi. 125. Et [1], si non minus nobis iucundi atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur; quod salutis certa laetitia est, nascendi incerta conditio, et quod sine sensu nascimur, cum voluptate servamur: profecto, quoniam illum, qui hanc urbem condidit, ad deos immortales benevolentia famaque sustulimus, esse nunc et apud posteros in honore debebit is, qui eamdem hanc urbem conditam amplificatamque servavit. 126. Sit [2] Scipio clarus ille, cuius consilio atque virtute Hannibal in Africam redire atque ex Italia decedere coactus est: ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas urbes huic imperio infestissimas Karthaginem Numantiamque delevit: habeatur vir egregius L. Paullus ille, cuius currum rex potentissimus quondam et nobilissimus, Perses honestavit: sit in aeterna gloria Marius, qui bis Italiam obsidione et metu servitutis liberavit: anteponatur omnibus Pompeius, cuius res gestae atque virtutes iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur. Erit profecto inter horum laudes aliquid loci nostrae gloriae: nisi forte maius est patefacere nobis provincias, quo exire possimus, quam curare, ut etiam illi, qui absunt, habeant, quo victores revertantur. 127. Quamquam est uno loco conditio melior externae victoriae, quam domesticae, quod hostes alienigenae aut oppressi serviunt, aut recepti beneficio se obligatos putant: qui

---

1) Ibid. c. 1. § 2. — 2) in Catilin. IV. c. 10. § 21.

autem ex numero civium, dementia aliqua depravati, hostes patriae semel esse coeperunt, eos, quum a pernicie rei publicae repuleris, nec vi coërcere, nec beneficio placare possis. Quare mihi cum perditis civibus aeternum bellum susceptum esse videbam.

XXXIII. 128. Et [1] iam extremis diebus consulatus mei, res eas, quas gesseram, vexare cupiebant Tribuni plebis novi. Ego [2] autem — ut semel Nonarum illarum Decembrium, iunctam invidia ac multorum inimicitiis, eximiam quamdam atque immortalem gloriam consecutus sum — non destiti eadem animi magnitudine in re publica versari et illam institutam ac susceptam dignitatem tueri. 129. Metellum [3] vero quum comperissem omnem sui tribunatus conatum in meam perniciem parare atque meditari, egi cum Claudia, uxore Celeris, et cum Metellorum sorore, Mucia, cuius erga me studium pro Cn. Pompeii necessitudine multis in rebus perspexeram, ut eum ab illa iniuria deterrerent. At ille pridie Kal. Ianuarias, qua iniuria nemo unquam in infimo magistratu improbissimus civis affectus est, ea me consulem affecit, quum rem publicam conservassem, atque abeuntem magistratu concionis habendae potestate privavit: cuius iniuria mihi tamen honori summo fuit. 130. Nam, quum ille mihi nihil, nisi ut iurarem, permitteret; magna voce iuravi verissimum pulcherrimumque iusiurandum: *rem publicam* [4] *atque hanc urbem mea unius opera esse salvam;* quod [5] populus item ma-

1) pro Sextio c. 5. § 11. — 2) ad Att. 1. 19. § 6. — 3) Epist. ad Metell. Celerem (ad Fam. V. 2. § 6.) — 4) in Pison. c. 3. § 6. — 5) Epist. ad Metell. Celerem (ad Fam. V. 2. § 7.)

gna voce me vere iurasse iuravit. Mihi [1] enim populus Romanus universus illa in concione non unius diei gratulationem, sed aeternitatem immortalitatemque donavit, quum meum iusiurandum tale atque tantum, iuratus ipse, una voce et consensu approbavit. Quo quidem tempore is meus domum fuit e foro reditus, ut nemo, nisi qui mecum esset, civium esse in numero videretur.

131. Exposui breviter Consulatum meum. Qui ita est a me peractus, ut nihil sine consilio senatus, nihil non approbante populo Romano egerim; ut semper in Rostris curiam, in senatu populum defenderim; ut multitudinem cum principibus, equestrem ordinem cum senatu coniunxerim: quam [2] coniunctionem si in consulatu confirmatam meo perpetuam in re publica teneremus, confirmavi senatoribus, nullum posthac malum civile ac domesticum ad ullam rei publicae partem esse venturum.

XXXIV. 132. Commentarium [3] consulatus mei Graece compositum misi ad Atticum, quem [4] rogavi, ut, si placeret liber, curaret, ut et Athenis esset et in ceteris oppidis Graeciae. Sed [5] is mihi literas et Commentarium consulatus mei Graece a se scriptum reddidit. In quo laetatus sum me aliquanto ante de iisdem rebus Graece item scriptum librum L. Cossinio ad eum perferendum dedisse. Nam, si ego ipsius librum ante legissem, furatum me a se esse diceret. Quamquam Attici illa — legi enim libenter — horridula mihi atque incompta visa sunt; sed

---

1) in Pison. c. 3. § 7. — 2) in Catilin. IV. § 7. § 15. — 3) ad Att. I. 19. § 10. — 4) ad Att. II. 1. § 2. — 5) Ibid. § 1.

tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant, et, ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. 133. Meus autem liber totum Isocrati μυροθήκιον atque omnes eius discipulorum arculas ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit. Quamquam ad me rescripsit iam Rhodo Posidonius, se, nostrum illud ὑπόμνημα quum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iisdem rebus scriberet, miseram, non modo non excitatum esse ad scribendum, sed etiam plane deterritum. Quid quaeris? conturbavi Graecam nationem. Ita, vulgo qui instabant, ut darem sibi, quod ornarent, iam exhibere mihi molestiam destiterunt. 134. In [1] hoc autem si quid erit, quod homini Attico minus Graecum eruditumque videatur, non dicam, quod, ut opinor, Panhormi Lucullus de suis historiis dixerat, se, quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et σόλοικα dispersisse. Apud me si quid erit eiusmodi, me imprudente erit et invito. 135. Latinum etiam perficere cogitabam. Et [2] quoniam laudis avidissimi semper fuimus, tertium [3] poëma meditabar, ne quod genus a me ipso laudis meae praetermitteretur. Quamquam non ἐγκωμιαστικὰ erant haec, sed ἱστορικά, quae scribebamus. 136. Epistolam [4] etiam ad Cn. Pompeium de meis rebus gestis et de summa re publica misi, in qua furorem incredibilem, biennio ante conceptum, erupisse in meo consulatu scripsi. Quam [5] ego mihi obfuisse non intelligo: rei publicae video prodesse potuisse; nam [6]

---

1) ad Att. I. 19. § 10. — 2) ad Att. I. 15. § 1. — 3) Ibid. I. 19. § 10. — 4) pro Sulla c. 24. § 67. — 5) pro Plancio c. 34. § 85. — 6) ad Att. I. 16. § 11.

hercule multa et iucunda consuetudine coniuncti inter nos eramus, usque eo, ut nostri isti comissatores coniurationis, barbatuli iuvenes, illum in sermonibus Cnaeum Ciceronem appellarent. 137. Fuit [1] etiam mihi commodum, — quod in eis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat Demosthenes, et quod se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat, ut σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος videretur, — curare, ut meae quoque essent orationes, quae consulares nominarentur. Quarum una est in senatu Kal. Ian.; altera ad populum de lege agraria; tertia de Othone; quarta pro Rabirio; quinta de proscriptorum filiis; sexta, quum provinciam in concione deposui; septima, qua Catilinam emisi; octava, quam habui ad populum postridie, quam Catilina profugit; nona in concione, quo die Allobroges involgarunt; decima in senatu, Nonis Decembr. Sunt praeterea duae breves, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae. Quibus ex libris perspicientur et quae gesserim et quae dixerim.

XXXV. 138. Neque [2] etiam mihi licuit, neque integrum fuit, ut meum laborem hominum periculis sublevandis non impertirem. Nam quum praemia mihi tanta pro hac industria essent data, quanta antea nemini: labores, per quos ea ceperim, quum adeptus essem, deponere, fuisset hominis et astuti et ingrati. Itaque [3] consul defendi C. Pisonem, qui, quia consul fortis constansque fuerat, incolumis est rei publicae conservatus. 139. Defendi item consul L. Murenam,

---

1) ad Att. II. 1. § 3. — 2) pro Murena c. 4. § 8. — 3) pro Flacco c. 39. § 98.

consulem designatum. Magni [1] enim intererat, id quod ego multis repugnantibus egi atque perfeci, esse Kalendis Ianuariis in re publica duo consules. Habebat [2] Murena eos accusatores, non qui odio inimicitiarum ad accusandum, sed qui studio accusandi ad inimicitias descenderant. Nam, ut omittam Servium Sulpicium, quem intelligo non iniuria L. Murenae, sed honoris contentione permotum, accusabat paternus amicus, Cn. Postumius, vetus, ut ait ipse, vicinus ac necessarius; qui necessitudinis causas complures protulit, simultatis nullam commemorare potuit: accusabat Ser. Sulpicius, sodalis filii, cuius ingenio paterni omnes necessarii munitiores esse debebant: accusabat M. Cato, qui quamquam a Murena nulla re unquam alienus fuit, tamen ea conditione nobis erat in hac civitate natus, ut eius opes et ingenium praesidio multis etiam alienissimis, vix cuiquam inimico, exitio esse deberent. 140. Mihi [3] autem cum Murena et vetus et magna amicitia erat; quae in capitis dimicatione a Ser. Sulpicio non idcirco debebat obrui, quod ab eodem in honoris contentione fuerat superata. Quae si causa non fuisset, tamen vel dignitas hominis, vel honoris eius, quem adeptus erat, amplitudo, summam mihi superbiae crudelitatisque famam inussisset, si hominis, et suis et populi Romani ornamentis amplissimi, causam tanti periculi repudiassem. Ego [4] vero ipse me existimarem nefarium, si amico; crudelem, si misero; superbum, si consuli defuissem. Quare quod dandum erat amicitiae, large datum est a me: quod tribuendum erat officio, fidei, religioni,

---

1) pro Murena c. 37. § 79. — 2) Ibid. c. 27. § 56. — 3) Ibid. c. 4. § 8. — 4) Ibid. § 10.

id ita moderatus sum, ut meminerim, me contra amici studium pro amici periculo dicere. Et [1] a quo tandem erat aequius consulem defendi, quam a consule? Quis mihi in re publica poterat aut debebat esse coniunctior, quam is, cui res publica a me tradebatur sustinenda, magnis meis laboribus et periculis sustentata? 141. His [2] tantis in rebus tantisque in periculis, nemo [3] iudicum, clarissimis viris accusantibus, audiendum sibi de ambitu putavit, quum, bellum iam gerente Catilina, omnes, me auctore, duos consules Kalendis Ianuariis scirent esse oportere. Ita semper graves et sapientes iudices in rebus iudicandis, quid utilitas civitatis, quid communis salus, quid rei publicae tempora poscerent, cogitaverunt. 142. Ergo [4] in sequentis anni custodia L. Murenam fortuna posuit: consulem [5] non cupidum, consulem (quod maxime tempus hoc postulabat) fortuna constitutum ad amplexandum otium: scientia, ad bellum gerendum: animo et usu, ad quod vellet negotium; qui [6], maximo beneficio populi Romani ornatus, fortunatus videbatur, quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquissimum, consulatum attulisset.

1) Ibid. c. 2. § 3. — 2) Ibid. c. 38. § 83. — 3) pro Flacco c. 39. § 98. — 4) pro Murena c. 31. § 64. — 5) Ibid. c. 38. § 83. — 6) Ibid. c. 40. § 86.

DE GRAECORUM DIEBUS FESTIS.

SCRIPSIT

DIDER. JAN. VAN STÉGEREN.

PROOEMIUM.

§ 1.

De Graecorum festorum origine.

Ut rite de festorum judicemus origine, ad ipsius populi nobis redeundum incunabula est, ad ea nempe tempora, quibus Graeci, nondum civitatum et legum vinculo conjuncti, per religionem et sacerdotes, magna saltem ex parte, primum excoli coeperunt. Antea enim per tribus et familias dispersi vivebant: habebant suos principes, quos tamquam duces in bello sequebantur et ut judices et magistratus in pace consultabant, sed nulla aderat conjunctio vere civilis sive politica quae dicitur. Haec demum per communia exstitit sacra, illa praesertim aetate quum longe arctiore quam postea vinculo res religiosae atque civiles jungebantur [1]. *Περικτίονες* et *ἀμφικτίονες* maxime, stir-

[1]) Cf. Aeschyl. Agam. 844 sqq.; Cic. de Divin. I. 43.

pes atque tribus omnino communi origine oriundae, ad templa et sacra communia confluebant, ubi ita sponte sua ex hominum frequentia et Graecorum indole ad festam hilaritatem omni aetate proclivi, πανηγύρεις illae exstiterunt, quas jam apud Homerum agnoscit Thucydides [1], ubi in insulam Delum Iones cum uxoribus et liberis conveniunt, Apollini festum celebrantes. Quid quod idem ille Thucydides, κριτικώτατος sane antiquissimae Graeciae historiae indagator, ubi data opera originem τῶν ξυνοικίων, festi Athenis, exponit, rem non aliter narrat? Fuisse nempe ante Thesea Atticae urbes inter se separatas et singulas suos magistratus habuisse, quibus a Theseo sublatis et uno senatu constituto, quo cuncti convenirent, quum tamen suam quisque habitandi sedem retinerent, eoque more a Theseo posteris tradito, mansisse ab eo tempore Deae ξυνοίκια, ἑορτὴν δημοτελῆ. Antea vero eam, quae nunc esset Acropolis et quod sub eam ad meridiem ejus maxime vergit, urbem fuisse, ejusque rei testimonia esse templa ibi posita, et alia, et Jovis Olympii et Pythium et Terrae et in Lacubus Dionysi: cui etiam tum facerent Athenienses antiquiora Dionysia eodem tempore, quo Atheniensium coloni Iones [2]. Nec aliter Strabo [3] et Dionysius [4] hac de

---

1) Thucyd. III. 104.

2) Idem II. 15. Quibuscum cff. Stephan. de Urb. v. Ἀθῆναι. Plutarch. Thes. 24; Schol. Aristoph. Pac. 1019 sq. Thucyd. I. 10; Hermann, Lehrb. der gottesd. Alterth. d. Gr. p. 273.

3) Strabo IX. p. 419 C.

4) Dionys. Halic. Antiq. Rom. IV. p. 229. Inter recentiores praeclare rem explicuerunt Heeren. Ideën, ed. prim. V. III. 1. p. 189 sqq., tum maxime Heusdius, Diatr. in civit. ant. inde ab orig. et p. 9. sq.

re judicarunt, ex quibus locis simul, quam arcte festorum et ipsarum civitatum origo fuerit conjuncta, manifesto apparet.

Maxime autem ad τὸ συγγενὲς pertinuisse antiquissima illa ἀμφικτιόνων vel περικτιόνων festa, et ex rei natura et ex disertis antiquorum testimoniis patet. Sic teste Herodoto omnes Iones celebrabant Πανιώνια, festum antiquissimum, cujus jam in Homeri carminibus mentio fieri putabatur [1]: similiter Pamboeotia ab omnibus Boeotis agebantur, quae ideo cum Panioniis conferuntur [2]: omnes Boeoti Δαίδαλα celebrabant [3]: simile Ionum festum habebatur Ἀρτέμιδι τρικλαρίᾳ [4]. Ita Παναθήναια θυσίαν ἐποίησε κοινήν Theseus [5], quum antea Ἀθήναια dicerentur : omnes Iones Apaturia agebant [7], omnes Dores Apollinem colebant Carneum [8], cet.

Hanc vero ipsam ob causam, ut hoc obiter moneamus, festa et ritus qui in illis obtinent, maximi saepe sunt momenti ad tribus vel coloniae cujusdam ori-

---

1) Herod. I. 147, II. 178; Strabo IX. 384; Diodor. Sic. XV. 49; Eustath. ad Iliad. II. 577. p. 237, 12. ed. Lips.; Pausan. VII. 24. 4.

2) Eustath. ad Iliad. II. 503. p. 217, 5.

3) Pausan. IX. 3.

4) Pausan. VII. 19 et VIII, 13.

5) Plutarch. Thes. 24; Pausan. VIII. 2.

6) Istes apud Harpocrat. v. Παναθήναια.

7) Herod. I. 147. Cf. Plutarch. de Herod. malign. 19.

8) Pausan. III. 13. 3 et 26. 5. Cf. de Hecalesiis Plutarch. Thes. 14, de aliis similibus Dionys. Halic. Antiq. Rom. IV. p. 229 et μέθοδ. γραμμ. p. 35, 30; Schol. Theocr. XVII. 61 sq. ibique Cl. Geel, et auctores apud v. Limburg Brouwer, hist. de la Civil. des Grecs, v. VIII. p. 310 sqq.; Wachsmuth, Hellen. Alterthumsk. ed. 2da, locis in ind. v. πανηγύρεις. Tittman, Griech. Staatsverf. p. 667 sqq.; Hermann, Griech. Staatsalterth. locis in ind. v. Festversammlungen.

ginem explicandam, cujus rei memorabilia sunt exempla apud Plutarch. Quaest. Gr. 35 et Pausan. IV. 34, 6 [1]. Etenim, ut recte observat Heeren. l. l. p. 200, talia festa erant antiquissima, eorumque participes magis secundum tribus quam per civitates censebantur, quare etiam haec *κατ' ἐξοχὴν πάτρια* dicebantur, quum alia, quae deinde ab Areopago erant sancita, *ἐπιθέτους ἑορτάς* vocarent [2].

Ad antiquissimam hanc festorum originem pertinet porro suavissima Platonis narratio [3], ex qua simul quantum, nec immerito, momentum iis tribuerint Graeci, manifesto apparet. Ipsi nempe Dii, inquit, generis humani laborum miseriti, *ἀναπαύλας τε αὐτοῖς τῶν πόνων ἐτάξαντο, τὰς τῶν ἑορτῶν ἀμοιβὰς τοῖς θεοῖς, καὶ Μούσας, Ἀπόλλωνά τε μουσηγέτην, καὶ Διόνυσον, ξυνεορταστὰς ἔδοσαν, ἵν' ἐπανορθῶνται τὰς γενομένας τροφὰς ἐν ταῖς ἑορταῖς μετὰ θεῶν.* Nec aliter Aristoteles [4] pristina sacrificia et festa maxime post fruges collectas tamquam primitias Diis obtinuisse dicit: tunc enim imprimis homines esse otiatos et genio indulsisse; unde Horatius [5]:

---

1) Cf. Schol. Pind. Pyth. VIII. 113 ed. Heyn: *ὡς καὶ ἐν Αἰγίνῃ Ἡραίων ἀγομένων κατὰ μίμησιν τοῦ ἐν Ἄργει ἀγῶνος· ἄποικοι γὰρ Ἀργείων Αἰγινῆται. Δίδυμος δέ φησι τὰ Ἑκατόμβαια αὐτὸν νῦν λέγειν ἐπιχώριον ἀγῶνα Αἰγινητῶν διὰ τὴν συγγένειαν.* Verissime autem de his Plutarch. de Isid. et Osir. 37: *αἱ γὰρ εἰρημέναι περὶ τὰς ἑορτὰς καὶ τὰς θυσίας οἰκειότητες ἐναργεστέραν τῶν μαρτύρων τὴν πίστιν ἔχουσιν.*

2) Harpocrat. et Suid. v. *ἐπιθέτ. ἑορτ.*

3) Plato de Legg. L. II. init. Cff. Sympos. p. 188 sqq., Protag. p. 322. A, et v. Heusde, Socrat. School, ed. prim. V. I. p. 101 sq.

4) Aristot. Moral. Nicom. IX. 11. p. 1160, 20 Bekk.

5) Horat. Epist. II. 1. 138. Cf. Plutarch. Quaest. Gr. VI.

Agricolae prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta levantes tempore festo
Corpus, et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, et pueris et conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium, memorem brevis aevi.

Plura omnino talia festa habuerunt Graeci, quibus, frugibus coactis, primitias Diis offerebant, festae hilaritati indulgentes, e. g. Dionysia, Haloa, Thalusia, Pyanepsia [1], Kronia [2], Thargelia [3], alia. Nec tantum post messes, verum etiam variis aliis opportunitatibus hoc modo ἀμοιβὰς τοῖς θεοῖς, gratum animum pro beneficio accepto significabant. Sic Hecatae agebantur χαριστήρια τῆς νίκης· [4] Προχαριστήρια, antiquissimum festum a Lycurgo dictum, ab omnibus magistratibus agebatur [5]: ἱκεσία Apollini habebatur illo die, quo qui cum Theseo erant, servati sunt [6], cetera, de quibus singulis deinde fusius sumus acturi. Hoc tantum in praesentia observasse sufficiat, religionem et gratum erga Deos animum alteram fuisse causam, quare festa instituerent Graeci.

Multa praeterea festa vel criminis expiandi vel calamitatis averruncandae causa instituta sunt, ut e. g. Brauronia, Thargelia, Xanthica, Diasia, sacra Myiagri Alipherae ad averruncandas muscas [7], προηρό-

1) Bekker, Anecd. Gr. I. 246.
2) Philochorus apud Macrob. Saturn. I. 10.
3) Photius Lex. s. v. Cf. Hermann. Lehrb. d. Gottesd. Alt. d. Gr. p. 234.
4) Plutarch. de Herod. malign. 26.
5) Suid. v.
6) Etymol. M. v.
7) Pausan. VIII. 26.

σιον [1], Carnea apud Spartanos [2]: ipsa adeo Olympicorum ludorum instauratio Iphito, tempore bellorum et calamitatum publicarum Deum Delphicum consulenti, ab oraculo praescribebatur [3]. Longe plurima vero festa in memoriam vel reportatae victoriae vel facti cujusdam memorabilis agebantur, cujus generis plura enumerat Plutarchus, de Glor. Athen. 7 [4]. Omnes porro antiqui agones, ut disertis verbis testatur Scholiastes Pindari, in memoriam mortuorum agebantur [5].

Haec igitur de festorum publicorum origine universe nobis sufficiant. Praeter haec enim multa privata et domestica celebrare solebant festa et sacra, imprimis Athenienses, omni tempore propter δεισιδαιμονίαν et religiosissimum Deorum cultum conspicui [6], quare Xenophon eos duplo plura quam cunctas reliquas Graeciae civitates festa celebrare dicit [7]; et quasi ne omnia haec quidem sufficerent, praeterea ἐπίβδας iis addebant, quibus cibis et potu priorum dierum utebantur [8], quum insuper plurimi dies certis diis essent consecrati, ut νουμηνία, septimus quisque dies

1) Schol. Aristoph. Equit. 729 et Plut. 1054.

2) Schol. Theocr. V. 83.

3) Pausan. V. 4. 4. Cff. auctt. apud de Wall, de sacrificiorum expiatoriorum origine et caussis, maxime p. 23 sqq. et 88 sqq. et Wachsmuth, l. l. V. II. p. 571.

4) Cf. Non posse suav. vivi sec. Epicur. 18.; Hesych., Suid. et Etym. M. v. χαλκεῖα; Eustath. ad Iliad. II. 552. V. I. p. 230, 35. Schol. Aristoph. Acharn. 961.

5) Pindar. Isthm. init. Cff. Hygin. fabul. 170 et 273; Tertullian. de spectac. 11 sq.

6) Cff. Acta Apostol. 17. 22: Aristoph. Nub 302 sqq. ibique Schol.

7) De Athen. Rep. III. 2 et 8. Cff. Plutarch. Lyc. 30; Maxim. Tyr. Dissert. III fin.; Justin. VI. 9.

8) Timaei Lex. s. v. ibique Ruhnken.

Apollini, quartus Mercurio, octavus Theseo [1]. Ipse adeo Plato in libris de Legibus non minus 365 instituit [2], ut nempe semper aliquis magistratus sacrificaret: ex qua festorum multitudine etiam factum ut apud Aristophanem annus judicum decem tantum computetur mensium, duobus scilicet in festa consumtis [3]. Ovidii enim illud:

Nos quoque tangit honos: festis gaudemus et aris
  Turbaque coelestis ambitiosa sumus [4]

penitus Graecis, Atheniensibus maxime, persuasum fuisse videtur.

Domestica vero illa festa, arctissime cum sacris familiarum conjuncta, magna ex parte quoque ad antiquissima pertinent tempora, et apud nullos non populos opportunitate nuptiarum, partus, similium, sponte oriuntur. Apud Graecos autem ideo majoris quam apud plerosque alios populos sunt momenti, quod ut in aliis rebus, sic in his quoque domesticis festis plurima ad civitatem referebantur, e. g. in *ἀμφιδρομίοις*, *ἀπατουρίοις*, aliis, prouti deinde, ubi de singulis his festis agemus, pluribus videbimus.

---

§ 2.

Festorum characterismus.

Ἑορτή, χρόνος ἱερὸς κατὰ νόμους, in definitionibus

---

1) Suid. v. πεπεμμένου πλακ.; Schol. Aristoph. Plut. 1126; Plutarch. Thes. 36.

2) L. VIII. init.

3) Aristoph. Vesp. 663 ibique Schol.

4) Fast. V. 297.

Platonicis habetur [1]; quod quam verum sit, vel inde patet, quod nulla festa nisi legibus sancita a Graecis celebrabantur. Quam ob causam etiam ἐπιθέτοι ἑορταί, quae deinde instituebantur, semper ab Areopago comprobari et sanciri debebant [2], et Plato, ubi L. VIII de Legibus inde ab initio de festis agere incipit, summa cautione totam rem tractat et auxilium adeo Dei Delphici invocat. Nihil enim magis verebantur Graeci, Athenienses maxime, quam hac in re imprudenter et inconsulto agere: in religione καινοτομεῖν summum habebatur nefas, ut vel ex tota eorum historia unicuique notum; quare prudentiam proavorum hac in re maxime laudat Isocrates, loco classico in Areopag. Cap. XI [3]. Quibus plane consentanea sunt quae refert Plutarchus, Olympum fecisse νόμους ἁρμονικούς, quibus sua etiam aetate Graeci in deorum festis utebantur [4], et narratio de Timotheo, cui chordas nimias Ephori resecuerunt, apud eundem Instit. Lacon. 17 [5].

Maximi igitur magistratus eorum curam gerebant, ut omnia recte ex patrio ritu peragerentur. Sic πολεμάρχοι curabant Ἀφροδίσια [6]: apud Platonem νομοφύλακες universe omnia quae ad festa pertinent administrant [7]: Lycurgus orator leges tulit de certamine

---

1) p. 413 A. ed. Tauchn.

2) Cf. p. 60 n. 2.

3) Cff. omnino Dionys. Halic. Ant. Rom. IV. p. 474 sq. et Aristot. Rhetor. ad Alex. III. p. 1423 Bekker.

4) De Musica 7.

5) Cf. Vita Agidis, 10 et de profect. in virt. 13.

6) Xenoph. Hellen. V. 4. 4.

7) De Legg. L. VIII init.

poëtico in Χύτροις [1]; ipse Archon cum ἐπιμεληταῖς ordinabat Dionysia et Thargelia [2]. Βασιλεύς praeerat Mysteriis, Lenaeis, λαμπαδοφορίοις et patriis sacrificiis [3]: ipse Pericles ἀγωνοθέτης in Panathenaeis fuit, cet. [4].

Summa itaque pietate et religione, antiquioribus maxime temporibus, dies festi celebrabantur, quippe ipsi Dii iis interesse credebantur, prouti jam ex Homero notum [5]. Superbe et contumaciter in festis se gerere, quantopere Athenienses piaculo habuerint, vel ex tota Demosthenis Midiana luculenter patet [6], et impuri quique corpore quaestum faciebant, severis legibus iis arcebantur [7], unde etiam factum ut Aphrodisia e. g. Corinthi separatim a meretricibus age-

1) Plutarch. X Orat. vit. Lycurg. 7.

2) Pollux VIII. 9. 89; Demosth. adv. Midiam p. 517. Unde Hadrianus Imperator sua etiam aetate τὰ Διονύσια, τὴν μεγίστην παρ' αὐτοῖς (τοῖς Ἀθηναίοις) ἀρχὴν ἄρξας, ἐν τῇ ἐσθῆτι τῇ ἐπιχωρίῳ λαμπρῶς ἐπετέλεσεν, Dio Cass. LXIX. 16.

3) Pollux VIII. 9. 90.

4) Plutarch. Pericl. 13 Cf. Demosth. adv. Timocr. p. 708, 20 sq. Reisk. De decem ἀθλοθέταις in Panathenaeis vid. Pollux VIII. 9. 93 et Schol. Aristoph. Nub. 37: de decem ἱεροποιοῖς, qui plurima curabant sacra Poll. VIII. 9. 107. Cff. auctt. apud Hermann. Griech. Staatsalterth. p. 336.

5) Cf. omnino hac de re locus memorabilis Athenaei VIII. 65; Eustath. ad Odyss. III. 436. V. I. p. 137. 10. et ad III. 336. V. I. p. 132. 5; Athen. V. 18; Ovid. Fast. VI. 305 sq.; pulcherrima templi Aesculapii Epidauri inscriptio apud Clement. Alex. Strom. V. I. p. 652.

ἁγνὸν χρὴ νηοῖο θυώδεος ἐντὸς ἰόντα
ἔμμεναι· ἁγνείη δ' ἐστι, φρονεῖν ὅσια.

Menand. apud eund. 14. p. 720. et Hippocrat. de morbo sacr. 2 fin.

6) Cf. Lucian. Nigrin. 14.

7) Demosth. in Androt. p. 616, 10; Schol. Aristoph. Pac. 968; Sueton. Nero 34.

rentur [1]. *Εὐφημία* omnino maximopere in festis observabatur, unde haec prima lex in omnibus rebus sacris a Platone dicitur [2], et in Demetriis tantum *αἰσχρολογεῖν* licebat [3]. Quam sancte autem longe etiam posterioribus temporibus hanc religionem servaverint Athenienses ex vetere fortuna nihil praeter animos servantes, docet narratio Livii XXXI. 14.

Magno igitur quoque splendore, summa munificentia, ut satis notum, festa agebantur, maxime apud Athenienses, omnium Graecorum facile religiosissimos. Testis sit luculentissimus Platonis locus, ubi Athenienses Jovem Ammonem rogant, cur semper in pugna Lacedaemoniis sint inferiores, quum tamen *πλείστας μὲν θυσίας καὶ καλλίστας τῶν Ἑλλήνων ἄγομεν, ἀναθήμασί τε κεκοσμήκαμεν τὰ ἱερὰ αὐτῶν, ὡς οὐδένες ἄλλοι· πομπάς τε πολυτελεστάτας καὶ σεμνοτάτας ἐδωρούμεθα τοῖς θεοῖς ἀν' ἕκαστον ἔτος, καὶ ἐτελοῦμεν χρήματα ὅσα οὐδ' οἱ ἄλλοι ξύμπαντες Ἕλληνες* [4], et Plutarchus, ubi narrat Athenienses plura in Bacchas, Phoenissas, Oedipodas impendisse quam in bella adversus Persas et Spartam [5]. Hinc etiam factum ut sumtus in festa variis nominibus impensi haud ultimum in multiplicibus Atheniensium *λειτουργίαις* obtineant locum, ut vel ex uno Lysiae loco adv. Diogit. p. 906 Reisk.

---

1) Athen. XIII. 33. Cf. Plaut. Poenul. I. 2. 53 sqq.

2) De Legg. VII. p. 802 A. Cf. 821 D.

3) Diod. Sic. V. 4. Cf. jusjurandum *γεραιρῶν* apud Demosth. adv. Neaer. p. 1371, 20 et Pollux I. 32. De pietate in ipsis ludis et certaminibus cf. amicus A. de Jongh, Pindar. p. 48 sq.

4) Alcib. II. 19.

5) De gloria Athen. 6 Cff. Demosth. Philipp. I. p. 50, 5; Aristot. Oecon. II. p. 1347, 25 Bekk.

manifesto apparet [1]. Propter quam insanam prorsus interdum luxuriam jam a Platone Comico in fabula ἑορταὶ ridentur [2]; posterioribus autem imprimis temporibus ita crevit illa dementia, ut universae adeo civitati exitiosa existeret. Sic Justinus e. g. de Atheniensibus narrat, eos post Epaminondae maxime mortem omnem pecuniam publicam non ut olim in classem exercitusque, sed in dies festos apparatusque ludorum effudisse, et cum auctoribus nobilissimis poëtisque theatra celebrasse, frequentius scenam quam castra visentes, versificatoresque meliores quam duces laudantes. Tunc vectigal publicum, quo antea milites et remiges alebantur, cum urbano populo dividi coeptum est. Quibus rebus effectum est, ut inter otia Graecorum sordidum et obscurum adeo Macedonum nomen emergeret, et Philippus, obses triennio Thebis habitus, Epaminondae et Pelopidae virtutibus eruditus, regnum Macedoniae, Graeciae et Asiae cervicibus velut jugum servitutis imponeret [3]. Eodem prorsus modo Tarentinos tandem plane pessumdatos esse novimus per nimia festa et incredibilem in iis luxuriam [4].

Pulchra et pura in festis adhibebant vestimenta [5].

1) Cf. id. Apol. de crim. Largit. p. 698; Plutarch. Nic. 3; Xenoph. Memor. III. 3. 12.

2) Fragm. ed. Mein. p. 624 sq.

3) Eadem de re saepius jam conqueritur Demosth. e. g. Olynth. I. p. 14 et III. p. 31 R. Cf. Theophrast. apud Cicer. de off. II. 16.

4) Strabo VI. p. 280 C; Dio Cass. fragm. Ursin. CXLV; Plato de Legg. I. p. 637 B; Xenoph. de Rep. Athen. III. 8; Athen. XII. 30. De incredibili plane Alexandrina aetate in festis luxuria cf. Athen. V. 5 sqq.

5) Fabul. Aesop. 423; Schol. Aristoph. Plut. 1199; Harpocr. v. λαμπάς; Suid. v. ἀτραβατικάς.

Laeta enim imprimis festorum Graecorum erat indoles, unde Hesychius, v. *χαρμόσυνα· ἑορταὶ Ἀθήνησιν*. Paucissimis exceptis, quae fere peregrinam declarant originem, ut Adonia, *ἐπαχθὴς ἑορτὴ* apud Boeotos [1], *νηστεία* in Thesmophoriis, quam idem Plutarchus ex Aegypto repetit [2], — sed paucissimis exceptis omnia eorum festa laetitia erant plena: ut ipsos deos hilariter convivantes et ridentes sibi informabant, sic ipsi quoque Graeci in festis eorum omni hilaritati et laetitiae indulgebant [3]. Musica semper in iis audiebatur: nulla *τελετὴ ἀρχαία* sine saltatione; in Dionysiis omnia erant *ὄρχησις*· in insula Delo adeo ne sacrificia quidem ulla sine saltatione et musica fiebant [4], et tamquam memorabile quid ab Apollodoro causa affertur, quare etiam tunc in Paro sine tibiis et coronis sacrificia Gratiis fierent [5]. Ipsum Chori nomen, qui tantas in festis implet partes, a *χαίρω* derivatur [6]! Apud Spartanos autem, et ipsos bellicosiores, ipse chorus similem ideo referebat characterem, quippe *ἐμβατήριοι ῥυθμοὶ* non minus in choro quam in bello habebantur [7]. Carnea erat festum plane militare [8]: in *γυμνοπαιδιαῖς*, Hyacinthiis, aliis festis

---

1) Plut. de Is. et Osir. 69.

2) Cf. Wilkinson, Manners and Customs of the ancient Egyptians, V. II. p. 323 sq.

3) Cf. Heeren, l. l. p. 83.

4) Lucian. de Saltat. 15, 16, 22; Plato Euthyd. p. 277 D; Heeren, l. l. p. 478 sq.

5) Apollod. III. 15. 7.

6) Etymol. Gud. s. v.; Plato de Legg. II. p. 654.

7) Plut. Instit. Lacon. 16.

8) Athen. IV. 19; Eustath. in Iliad. *Ω* fin.

δειναὶ καρτερήσεις apud eos memorantur [1], qua de re infra pluribus acturi sumus.

Vidimus jam Platonem l. l. de Legg. L. II in. ipsis diis festorum institutionem tribuisse, ut homines gauderent et *ἀναπαύλας τῶν πόνων* haberent: nec alia profecto tota festorum erat ratio. Quae Cicero dicit: feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem litium habet et jurgiorum, in servis operum et laborum [2], universe de iis valent. Habebantur, ut apud Philostratum dicitur, res praestantissima, omnium bonorum plena, diis jucundissima: genio indulgere, *εὐωχεῖσθαι*, solenne de iis vocabulum. Quare etiam ut omnes festorum et sacrificiorum participes esse possent, legumlatores summopere curaverunt; quod de Lycurgo et Lacedaemoniis disertis verbis testatur Plutarchus [3]. Nec aliam ob causam Aristoteles id optimum genus dicit sacrorum, *ἥτις ἂν ἔχῃ πρὸς μὲν τοὺς θεοὺς ὁσίως καὶ θείως, πρὸς δὲ τὰς δαπάνας μετρίως, πρὸς δὲ πόλεμον ὠφελίμως, πρὸς δὲ τὰς θεωρίας λαμπρῶς* [4].

Variis itaque etiam aetatibus et hominum generibus

---

1) Plato de Legg. I. p. 633; Athen. IV. 17.

2) Cic. de Legg. II. 12. Cff. Plutarch. non posse suav. vivi sec. Epic. 21; Plato de Rep. p. 364 C; Suid. v. *ἑορτὴ πολλὰ ἐχ.*; Plut. de Superst. 9; Lesbonax, Protrept. in Reisk. Orat. Gr. V. VIII. p. 6; Spanhem. ad Callim. Hymn. a. Del. 324; Demosth. Midian. p. 517 sq. et 571; Xenoph. Hellen. IV. 4; Dionys. Halic. *μέθοδ. γαμηλ.* p. 35, 30 sq.; Philostr. Apoll. Tyan. VIII. 18; Liban. Progymn. p. 178 sq. ed. Paris.

3) Apophthegm. regum init. et Apophth. Lacon. Lyc. 22. Cf. de Atheniensibus Xenoph. de Rep. Athen. II. 9.

4) Rhetor. ad Alex. III. p. 1423, 35 sq. Cf. totum caput, maxime ad universam rem sacram Graecorum memorabile.

varii erant instituti dies festi, ut nemo iis plane careret. Sic e. g. Hermaea a pueris et juvenibus maxime agebantur [1]: feminae et puellae sua habebant festa, ut Thesmophoria, Brauronia, festa in Cereris atque Bacchi imprimis honorem [2]. Nec ipsi adeo servi festa desiderabant, quum eadem Hermaea quibusdam in locis eum morem referrent, qui postea in Romanorum Saturnalibus apparuit [3]. Festa porro servorum habebantur Cydoniae, quibus liber urbem non intrabat, sed servi omnium erant domini *καὶ κύριοι μαστιγοῦντες τοὺς ἐλευθέρους* [4]: omnium autem maxime *Κρόνια*, Romanorum Saturnalium fundamentum atque exemplar [5]. Idem principium in eo dominabatur more, quo apud Phliasios in Heraeis supplicibus imprimis parcebatur [6], et captivi per magna Panathenaea et Dionysia libertate fruebantur, ut festi participes esse possent [7].

Haec vero Graecorum in festis laetitia, imo licentia quanta fuerit, vel inde patet, quod in pluribus festis moris erat, impune sibi invicem maledicere et jocos

---

1) Plato Lysis p. 206 D. sq.; Pausan. IX. 22. 2. Cf. Wachsmuth, l. l. II. p. 570.

2) Schol. ad Aristoph. Lysistr. 1 et quae plura in Dissert. Literar. de Feminarum Atheniensium conditione domestica p. 68 sqq. attuli.

3) Athen. XIV. 44; Plato Lysis p. 223 B.

4) Eustath. ad Odyss. Υ. 105, V. II. p. 229, 7.

5) Plutarch. non posse suav. vivi sec. Epic. 16; Lucian. Saturnal. et Cronosol.; Macrob. Saturn. I. 7.

6) Pausan. II. 13. 3.

7) Schol. Demosth. adv. Timocr. p. 184 et adv. Arist. p. 141. Cf. Bode, Gesch. der Hellen. Dichtk. III. 1. 128 № 1 et auctt. ibi laud. Idem dubia auctoritate dicitur de *νηστείᾳ* in Thesmophoriis apud Meurs. Graec. feriat. p. 800, qua de re deinde pluribus agemus. Similiter Romae quoque lectisternii tempore captivi vinculis liberabantur, Livius V. 13.

in quemcunque jacere, cui rei adeo lex favebat [1]. In Dionysiacis maxime pompis conviciandi ille et maledicendi mos obtinebat, unde ipsum adeo vocabulum πομπεία λοιδορίας, ὕβρεως significationem accepit [2]: in Χύτροις etiam licebat cavillari et reliquos, maxime vero politicos [3]; Samiis adeo, Mercurio χαριδότῃ sacrificantibus licuit impune unumquemque spoliare [4].

Tanta autem, in Dionysiis imprimis, obtinebat licentia, ut ipse Plato, legumlatorum ceteroquin severissimus, in his tamen ebrietatem permitteret [5]. Apud rigidos contra Spartanos nihil tale licitum erat [6], imo in festis Helotas ebrios reddidisse dicuntur, ut ita pueri eorum exemplo ab omni ebrietate absterrerentur [7]. Quae tamen Spartanorum sobrietas quam parum apud reliquos Graecos obtinuerit, inde maxi-

---

1) Aristot. Polit. VII. 15, loco imprimis memorabili, quocum cf. omnino Müller, Gesch. der Griech. Literatur I. p. 234, Plato de Legg. VII. 801 D. et Zenobii Proverb. IV. 95.

2) Harpocrat. v. πομπείας καὶ πομπεύειν; Hesych. v. κεραμεικαὶ et σκαπερδὰ; Schol. Demosth. de Coron. p. 229 et in Androt. p. 618; Ammon. περὶ διαφ. λεξ. v. πομπὴ καὶ πομπεία ibique Valcken.

3) Bekker, Anecd. Gr. I. 316. De Demetriis prope Pellenen vid. Pausan. VII. 27. 4.

4) Plut. Quaest. Gr. 55. De quo jocandi et conviciandi in festis more vidd. praeterea Suid. v. γεφυρίζων; Hesych. v. γεφυρισταὶ; Apollod. I. 5. 1; ibique Heyn.; Herod. V. 83; Pausan. II. 30. 4 et 32. 2; Photii Biblioth. p. 235, 25. ed. Hoeschel.; Schol. Aristoph. Plut. 1041 et Ran. 400; Horat. Epist. II. 1. 145 sqq.; Bode, Gesch. der Hellen. Dichtk. III. 2. p. 10 sq. et p. 20 sq.; Creuzer, Symbol. IV. p. 529. sqq.; Hermann, Gottesd. Alt. 1. in ind. v. *neckereij*.

5) De Legg. VI. p. 775 B. Cff. Athen. XI. 13, Becker Charikl. II. 279 sqq.

6) Plato de Legg. I. p. 637 B.

7) Plutarch. Demetr. 1; Clemens Alex. Paedag. p. 278 Pott.

me patet, quod apud Polyaenum et Frontinum nullam aliam ob causam plures urbes captas invenimus, quam quod cives festorum dierum opportunitate luxuriae et ebrietati indulgentes, urbis custodiam deseruerant. Morborum igitur quoque causas festa vocat Philostratus [1], et omnino posterioribus temporibus corruptis magis magisque moribus, plura in festis fiebant, ut Luciani verbis utar, quibus Dii laederentur quam quidem colerentur [2]. Jam Solon feminarum imprimis festis modum imponere debebat [3]: summa praecipue in pervigiliis virorum et feminarum morum corruptela quare Dionysius Halicarnassensis laudat Romanos, quod non talia haberent festa [4], et Diagondas Thebanus [5] ea lege perpetua sustulit [6].

Hoc vero de Graecorum festis imprimis tenendum, quod haud scio an de nullo alio populo valeat, ea non inanis oblectationis tantum causa fuisse celebrata, sed varia cum iis fuisse conjuncta, imo integras eorum efficere partes, quae ad maxima quaeque alenda summopere valuerunt, prouti § sequenti pluribus videbi-

---

1) Epist. 29.

2) De Sacrif. init. Cff. Athen. VII. 1, VIII. 65 sq.; Eustath. ad Odyss. III. 436. V. I. p. 137, 10 et ad XXI. 263. V. II. p. 258, 37.

3) Plut. Sol. 21.

4) Ant. Rom. II. p. 90.

5) De Diagonda nihil se reperisse dicit Cl. Bakius ad h. l. Num forte cum nonnullis *Pagondas* legendum, qui saltem praeter loca a variis Intt. ad h. l. allata dux Boeoticus occurrit in pugna apud Delium, Athen. V. 55. Cf. Thucyd. IV. 91. Alter Thebis Pagondas memoratur apud Pausan. V. 8. 3. Cf. Wachsmuth, l. l. V. I, p. 732.

6) Cic. de Legg. II. 14, 15. Cff. Schol. Aristoph. Pac. 874; Suid. v. *βραυρών*; Diodor. Sic. IV. 3 sq. et 6; Plutarch. de fluviis 17 et 22; Plaut. Aulul. Prol. 36.

mus, quaeque adeo in tota eorum historia summi sunt momenti habenda. Constabant enim festa non sacrificiis tantum et precibus et variis ritibus religiosis, sed, ut Plato rem exponit [1], maxime etiam habebantur *χοροὶ καὶ ἀγῶνες μουσικοὶ καὶ γυμνικοί*, quorum quanta in rebus Graecorum fuerit vis, quot et quanta inde effloruerint, quis ignorat? Musica et Gymnastica universa eorum festa tantum non constabant: effloruit inde Tragoedia, inde Comoedia: ludi Olympici, Pindari hymni, omnia haec et infinita alia ad festa pertinent: et profecto illius populi, qui certamina, in quibus laurea tantum dabatur praemium, *κατ' ἐξοχὴν ἱεροὺς* vocabat, reliqua vero, ubi praemium erat argentum, *ἀργυρίτας* [2], illius igitur populi festa non parvi sunt habenda. Jure de his Tritantaechmes apud Herodotum [3]: *παπαὶ Μαρδόνιε, κοίους ἐπ' ἄνδρας ἤγαγες μαχησομένους ἡμέας, οἳ οὐ περὶ χρημάτων τὸν ἀγῶνα ποιεῦνται, ἀλλὰ περὶ ἀρετῆς.*

Quae quum universe Graecorum dierum festorum sit natura, quis non aeque atque ipse Persa videt, festa omnium maxime ipsam Graecorum indolem referre, et alterum ex altero optime posse explicari? [4]

---

§ 3.

De Festorum in rebus Graecorum vi.

Difficillimum esse negotium universe de alicujus rei vi pronuntiare, praesertim in re tam antiqua tamque

1) L. VIII de Legg. init.

2) Pollux III. 30. 153; Plut. reip. ger. praec. 27.

3) VIII. 26.

4) Cf. Horat. Epist. II. 1. 93 sqq. et Epist. ad Pison. 323 sqq.

late patente, nemo profecto harum rerum paulo peritior negabit. In singulis autem eam ubique indagare atque explicare, propter tempora remota atque obscuram saepe antiquitatis notitiam fieri vix aut ne vix quidem potest: ea tantum quae maxime in oculos incurrunt, et de quibus procul dubio constat, monuisse h. l. sufficiat.

Et primum quidem, quantopere ad conjunctionem civilem et cultum inde ortum valuerint dies festi, jam ex paragrapho prima, ni fallor, et testimoniis auctorum ibi allatis manifesto apparuit [1]. Nolumus omnino cum Dionysio Halicarnassensi aliisque contendere, festa et similia hoc consilio a legumlatoribus esse instituta: sponte sua, ut vidimus, ex ipsa populorum conditione ita exstiterunt. Nolumus defendere, omnia quae posteriores maxime rhetorica ratione de ludorum imprimis praestantia in majus adauxerunt, plane esse vera, quos jam suo jure reprehendit Wachsmuth [2]: at vel sic tamen ubi totum negotium, tum ex ipsius populi tum ex festorum quam exponere sumus conati indole, paulo accuratius consideraverimus, plurima remanebunt, quae in tota Graecorum historia maximi sunt momenti habenda. Quod jam ipsi antiqui identidem observaverunt, quare Plato ad ipsos deos festorum refert institutionem, ut nempe homines iis erudirentur et meliores evaderent [3]. Et licet verum sit, tempus festorum brevius fuisse quam quo mutuo commercio veteres et inveteratae inimicitiae

1) Cf. Heeren, l. l. p. 191 sq.
2) l. l. V. I. 156.
3) de Legg. II. init., VII. 809 D.

plane componerentur, nullamque pacem commemorari, quae Olympicorum e. g. opportunitate fuerit inita [1], jure tamen contendere nobis videmur, ipsas has inter varias Graecorum tribus inimicitias et bella longe graviora et frequentiora fuisse futura, ni festa et *πανηγύρεις* adfuissent. Testis sit clarissimum Amphictionum jusjurandum apud Aeschinem: *ἔνορκον ἦν τοῖς ἀρχαίοις μηδεμίαν πόλιν τῶν Ἀμφικτυονίδων ἀνάστατον ποιήσειν μηδ' ὑδάτων ναματιαίων εἴρξειν μήτ' ἐν πολέμῳ μήτ' ἐν εἰρήνῃ, ἐὰν δέ τις ταῦτα παραβῇ, στρατεύσειν ἐπὶ τοῦτον καὶ τὰς πόλεις ἀναστήσειν, καὶ ἐάν τις ἢ συλᾷ τὰ τοῦ θεοῦ ἢ συνειδῇ τι ἢ βουλεύσῃ τι κατὰ τῶν ἐν ἱερῷ, τιμωρήσειν καὶ χειρὶ καὶ ποδὶ καὶ φωνῇ καὶ πάσῃ δυνάμει* [2]: testis sit foedus ad Amarynthia pertinens, a Strabone relatum, quo ne *τηλεβόλοις* uterentur convenit, cet. [3]. Tempus festorum erat omnino sacrosanctum, requies litium et jurgiorum [4]. Medio bello Peloponnesiaco jurajuranda in Dionysiis et Hyacinthiis renovabantur [5]. Communibus sacris et festis amice jungebantur; quare apud Xenophontem [6] Graecos ad concordiam excitat Cleocritus, quippe communium sacrorum et festorum participes; nec alio argumento apud Aristophanem utitur Lysistrata:

---

1) Cf. tamen Plut. de mulier. virtut. v. *Πιερία* et Heeren, l. l. p. 207 sq.

2) Aeschin. de fals. legat. p. 284.

3) Strabo X. 448. Cf. Liv. XXXV. 38.

4) Cic. de Legg. II. 12. Cf. Phot. Lex. v. *σπονδόφοροι· ἔθος ἦν ἐν ταῖς πανηγύρεσι ταῖς κοιναῖς, σπονδοφόρους περιερχομένους κελεύειν σπόνδας ποιεῖσθαι τοὺς πολεμοῦντας*, et Demosth. adv. Timocr. p. 709.

5) Thucyd. V. 23 et 41.

6) Hellen. II. 4. 13.

λαβοῦσα δ' ὑμᾶς λοιδορῆσαι βούλομαι
κοινῇ δικαίως, οἳ μιᾶς γε χέρνιβος
βωμοὺς περιῤῥαίνοντες, ὥςπερ ξυγγενεῖς,
'Ολυμπίασιν, ἐν Πύλαις, Πυθοῖ — πόσους
εἴποιμ' ἂν ἄλλους, εἴ με μηκύνειν δέοι; —
ἐχθρῶν παρόντων βαρβάρων στρατεύμασιν
Ἕλληνας ἄνδρας καὶ πόλεις ἀπόλλυτε [1].

Multum huc porro faciebant *Θεωρίαι*, sacrae legationes, quae a variis civitatibus festorum opportunitate fere mitti solebant, quum ad vinculum *μητρόπολιν* inter atque colonias pertinerent maxime quoque communia sacra atque festa [2]. Nec minus inter civitates socias, imprimis quae bene de se invicem meruerant, quo referenda Herodoti de Atheniensibus narratio, post pugnam Marathoniam praeconem in festis publicis semper apud eos bona esse precatum et ipsis et vero Plataeensibus simul [3]. Mercaturae porro favendo, ipsi favebant verissimo Graecorum cultui et mutuo commercio, unde Strabo: *πανήγυρις ἐμπόρικόν τι πρᾶγμα* [4]: quae licet ad antiquiora maxime pertineant tempora, quum deinde magis magisque ingravescente politica, vi sua hac saltem in re tantum non destituerentur festa, vel sic tamen plura horum ad recentiora usque tem-

---

1) Aristoph. Lysistr. 1128 sq. Cff. Lesbonax, Protrept. in Reisk. Oratt. Gr. V. VIII. p. 6; Dionys. Halic. Protrept. Athlet. p. 42, 10; Herod. VIII. 144; Plato Symp. 197 sq.; Menand. Rhetor ed. Heeren p. 109 sq.; Cic. de Off. I. 17: maxime autem omnium Isocrat. Panegyr. 12.

2) Cf. pag. 3 Na. 6; Plutarch. Arat. 28; Thucyd. I. 25; Schol. Aristoph. Nub. 386; Ovid. Amor. IIJ. 13.

3) Herod. VI. 111. Cf. Schol. Aristoph. Av. 880.

4) Strabo X. 486 B. Cf. Cic. Tusc. Qu. V. 3; Heund. Diatribe p. 6 sq.

pora manserunt, ut e. g. de Isthmiis narrat Livius[1]: quin Pausaniae etiam aetate πανήγυρις cum frequenti mercatu Tithoreae exstitit[2].

Ut autem Graecos inter se conjunxerunt, τὸ συγγενὲς servantes, ita barbaris excludendis patriae amorem, studia plane Graeca aluerunt festa et ludi cum iis conjuncti. Ne Dionysius quidem tyrannus ludorum Olympicorum particeps fieri potuit. Quanto studio Philippus Macedo eo tetenderit, ex tota ejus historia novimus.

Altera vero causa cur multo etiam magis Graecis profuerunt festa, est quod optima quaeque in singulis hominibus alendo studia tantam in iis excolendis quantam vix ulla alia res habuere vim. Praestantissima enim, ut jam § secunda obiter vidimus, cum festis erant conjuncta, musica imprimis latissimo sensu ita dicta, quae ex festis tantum non nata, semper arctissimo vinculo cum iis manebat conjuncta, et quanti in Graecorum historia sit momenti, neminem latet[3]. Carmina Homeri in Panathenaeis cantata[4], leges in aliis festis recitatae[5], Tragoediae et Comoediae in iis actae[6], chororum cantus, ut quem Spartanum nobis servavit Plutarchus[7], quot et quales igitur haec omnia

---

1) Liv. XXXIII. 32.

2) Pausan. X. 32. 9. Cf. Becker, Charikles I. 283.

3) Cf. omnino Strabo X. 467 C; Polyb. IV. 20, 21; Horat. Epist. ad Pison. 391 sqq. Arist. Ran. 727 et auctt. laud. apud. v. Limburg Brouwer, l. l. V. IV. p. 466 sqq.

4) Plato Hipparch. p. 228 C; Aelian. v. H. VIII. 2; Lycurg. adv. Leocr. p. 209 fin.; Schol. Aristoph. Av. 11.

5) Stobaeus ed. Gaisf. V. II. p. 195 et auctt. apud Bode Gesch. der Hellen. Dichtk. II. 1. p. 203.

6) Vid. hac de re omnino Bode, l. l. III. 1. p. 97 et 153.

7) Instit. Lacon. 15. Cf. Socrates apud Athen. XIV. 25: *Οἳ δὲ χοροῖς κάλλιστα θεοὺς τιμῶσιν, ἄριστοι ἐν πολέμῳ.*

excitaverint sensus necesse est? Herodoti historiae in iis recitatae adolescenti Thucydidi lacrimas movisse eumque ad nobilissimam aemulationem incendisse dicuntur: quae narratio licet fortasse falsa sit, tamen quid ex ipsorum Graecorum opinione fieri potuerit, satis declarat. Longum est h. l. de singulis agere festis, sed nonne *'Ελευθέρια* e. g. variis locis celebrata tyrannorum odium, libertatis amorem alere debebant? Nonne tum ea quae modo universe de Musica dixi, tum ipsa adeo Gymnastica, corpora pulchra et firma efficiens, studium illud pulchri praeterea eximie alebant, quod in historia humanitatis quantivis est pretii [1]? Quid autem de Mysteriis dicam, quae vel omnium primo loco fuissent nominanda, de quibus Cicero: »nam mihi quum multa eximia divinaque videntur Athenae tuae peperisse atque in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis Mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus, initiaque ut appellantur, ita revera principia vitae cognovimus, neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi [2]. Scio interiorem Mysteriorum doctrinam hodie in dubium vocari, et quamvis Lobeckii et Brouwerii sententia, nullam doctrinam proprie ita dictam umquam in iis obtinuisse, fortasse verior sit habenda [3], vel sic

1) De hujus gymnasticae cum artibus *εἰκαστικαῖς* vinculo arctissimo vidd. Winckelmann, Werke I. 10 sq. et Welcker, Zeitschr. für Gesch. der alten Kunst I. 2. — De ipsa adeo pulchritudine Graecos certamina habuisse publica, patet ex Athen. XIII. 90, Pausan. IX. 22. 2.

2) Cic. de Legg. II. 14. Cff. Pindar. fragm. Threnor. 8 ed. Dissen.; Clemens Alex. Strom. III. p. 518 et Chorus *μυστῶν* in Aristoph. Ran. 448 sqq.

3) Cf. Palmblad in Jahn und Klotz, Neue Jahrbücher für Philolog.

tamen ne illi quidem viri eruditissimi negaverint, mysteria, si vel nulla alia re, sensu certe religionis et quae cum illo sensu sunt conjuncta favendo atque alendo, antiquioribus maxime temporibus, summopere Graecis profuisse, nec immerito hanc in iis fuisse usurpatam formulam: ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον [1].

Accesserunt his omnibus certamina de nullo non genere tum corporis tum animi virtutis, cum omnibus tantum non festis conjuncta, et optima quaeque studia, laudis et honoris maxime, mirum in modum profecto alentia. Egregie ipse Solon apud Lucianum [2] haec explicat ostenditque aemulationem de corona ad reliquam quoque vitam et ad omnes adeo cives pertinere. Cives enim bene de patria meriti in festis publicis coronabantur, quod quanti fuerit, vel ex Demosthenis et Aeschinis de Corona orationibus intelligitur: fortissimis quibuscunque prior in iis assignabatur locus [3]: Themistocles post victoriam de Persis reportatam Olympiae dulcissimum se invenisse professus est laborum praemium, quos pro Hellade sustinuisset [4]: quin ἀγῶνες ἱεροὶ, ut jam diximus, illi tantum vocabantur,

---

eilfter Supplem. 2es. Heft p. 255 sqq. et nuperrime Hermann, Gottesd. Alterth. p. 278 sqq.

1) Cf. v. Heusde School van Polyb. p. 142 sq. et quod ad sensum religionis attinet, memorabile ipsius Neronis apud Sueton. 34 exemplum: Peregrinatione quidem Graeciae, Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii et scelerati voce praeconis summoventur, interesse non ausus est.

2) De Gymnast. 15. Cff. Seneca de benefic. V. 3, de Olympico imprimis certamine, ad excitandam corporis animique virtutem efficacissimo, Vellej. Paterc. I. 8; Doctiss. A. de Jongh, Pindar. p. 43 sqq.; Heusdii Diatr. p. 7 sq.

3) Polyaen. Strateg. III. 9. 31; Q. Curtius X. 3. 6; Plutarch. Alex. 71.

4) Plut. Themist. 17. Idem de Philopoemene in Nemaeis narratur apud Plut. Philop. 11. Cf. Pausan. VIII. 50.

qui honoris et laudis causa agebantur. Quae omnia quum ut ad omnes pertinerent, civitas maximopere, ut vidimus, curaret, quumque festa tam frequentia essent, Athenis maxime, non potuere non maximam in universo populo vim exercere. Jure igitur Plato totam rem ad hominis veram retulit παίδευσιν: ὅλη χορεία, ὅλη παίδευσις [1]. jure Thucydides: ἑορτὴ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ τὸ τὰ δέοντα πράττειν [2], et Diogenes: ἀνὴρ ἀγαθὸς οὐ πᾶσαν ἡμέραν ἑορτὴν ἡγεῖται [3]; jure Pythagoras homines tunc optimos esse dicit, ubi ad Deos in festis accedunt [4]. Et quamquam minime negandum, pervigilia et alia quae morum licentiae valde faverent, in iis habuisse locum, quo nomine a Patribus Ecclesiae imprimis maximopere reprehenduntur Graecorum festa, quum praeterea nimia frequentia et luxuria civitati adeo perniciosa exstiterint, ut de Tarentinis e. g. et Atheniensibus jam vidimus, tempora tamen hac in re diligenter sunt distinguenda, prouti vel ex Athenaeo VIII, 65, 66 et ex tota Graecorum historia, etiam me non monente, satis apparet. Antiquioribus et melioribus temporibus et ipsa festa longe erant simpliciora [5], nec profecto ad aetatem jam corruptam Lacedaemoniorum pertinet de Helotis inebriandis mos memoratus pag. 71. Quid quod Euripides sua etiam aetate in media Dionysiorum licentia dicere potuit:

---

1) De Legg. II. 672 E.

2) Thucyd. I. 70.

3) Plutarch. de Tranq. Anim. 20. Cf. Grotius, Praefat. ad Stob. p. 66. ed. Gaisf.

4) Plutarch. de Superst. 9. Cff. de Orac. defect. 7; Seneca Epist. 94. 42.

5) Cf. Plut. de Cupid. Divit. 8.

Τοῦτο σκοπεῖν χρή· καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
οὖσ' ἥ γε σώφρων, οὐ διαφθαρήσεται [1].

De nostra maxime aetate valet quod Corn. Nepos monet [2], ne alienos mores ad nostros referamus, neve ea quae nobis leviora sunt, pari modo apud veteres fuisse arbitremur. Procul absit, ut ab omni parte Graecos defendam, sed quis nostris moribus, nostra aetate ludos in honorem Deorum instituerit? Quis Comoedias Aristophaneas in eorum diebus festis ageret, quibus tamen ipsis in summa licentia atque protervitate laudes Deorum continentur, religiosissimi quique sensus occurrunt, *μυστῶν* adeo chorus, res totius eorum religionis longe sanctissima, habetur? Hoc nempe imprimis tenendum, quod jam monuimus, et ludos et haec ipsa omnia religione et pietate contineri, quae omnia ex ipsorum Deorum quam sibi informabant natura sunt explicanda. Quid Graeci his festis sublatis fuissent evasuri, vel ex Polybii de Cynaethensibus allato exemplo luculenter apparet [3].

---

1) Eurip. Bacch. 317. Cf. Eustath. ad Odyss. III. 336. V. I. 132, 5.
2) Epamin. I.
3) Polyb. IV. 20, 21. Cf. p. 79.

DE ΓΥΝΑΙΚΟΝΟΜΟΙΣ.

SCRIPSIT

DIDER. JAN. VAN STÉGEREN.

Fuit Athenis et in multis praeterea Graeciae antiquae civitatibus peculiare quoddam magistratuum genus, *γυναικονόμοι* dictum, de quibus ob antiquorum silentium parum constat. Cum tamen ad interiorem Graecorum disciplinam cognoscendam non parvi sint momenti, operae pretium visum est, loca antiquorum ad hunc magistratum pertinentia colligere et in universam eorum naturam paulo accuratius inquirere.

Ex ipso jam nomine, fere cum *παιδονόμοις* conjuncto, e. g. Eustath. ad Iliad. X. 420, Vol. II. p. 351, 29 ed. Lips., Aristot. de Republ. IV. 15. p. 1300 B, et VI. 8. p. 1323 [1], ad curam honestatis muliebris eos pertinuisse, manifesto apparet, unde Plaut. Aulul. III. 5. 30 *moribus praefectum*

1) Quare etiam *γυναικονόμους*, non *γυναικοκόσμους* eos dicendos judicamus, et ob analogiam et ob optimorum Codd. auctoritatem. Cff. loca varia mox laudanda.

mulierum; quare cavendum ne cum Pauwio aliisque ad nescio quos fucos et ornamenta eos referamus. Accedunt huc diserta antiquorum testimonia, e. g. Menandri Rhet. de Enc. ed. Heer. p. 105: τὴν σωφροσύνην δὲ καὶ τὴν φρόνησιν ἐπισκεψώμεθα. Σωφροσύνης μὲν οὖν ὁ νῦν διττὸς ἔλεγχος, ἔν τε τῇ κοινῇ πολιτείᾳ καὶ τοῖς ἰδίοις οἴκοις. Πολιτείᾳ μὲν κοινῇ, περὶ τὴν τῶν παιδῶν ἀγωγὴν καὶ παρθένων, καὶ γάμων καὶ συνοικίσεων, καὶ τῶν νομίμων τῶν ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν τοῖς ἀκόσμοις. Καὶ γὰρ γυναικονόμους πολλαὶ τῶν πόλεων ἔχουσιν, αἱ χειροτονοῦσαι. Ἐν ἐνίαις δὲ τῶν πόλεων, οὔτε πρὸ πληθούσης ἀγορᾶς νέον φαίνεσθαι, οὔτε μετὰ δείλην ὀψίαν καλόν, οὐδὲ γυναῖκα καπηλεύειν ἢ ἄλλο τι ποιεῖν τῶν κατὰ τὴν ἀγοράν. Et Pollux VIII. 112: γυναικονόμοι δὲ ἀρχοὶ ἐπὶ τοῦ κόσμου τῶν γυναικῶν. τὰς δὲ ἀκοσμούσας ἐζημίουν, καὶ τὰς ζημίας αὐτῶν γράφοντες, ἐξετίθεσαν ἐπὶ τῆς πλατάνου τῆς ἐν Κεραμεικῷ. Verba enim quae sequuntur ad οἱ εἴκοσι sunt referenda neque amplius cum γυναικονόμοις conjungenda, maxime propter locum Andocid. de Myster. p. 38, 39 Reisk. Cff. Intt. ad h. l., Meurs. Att. Lectt. L. II, C. 5 et Sigon. Opp. Vol. V. p. 178; porro Hesych. v. Πλάτανος· δένδρον, πρὸς ὃ οἱ γυναικονόμοι τὰς ζημίας ἐν λευκώματι ἐξετίθεσαν, et lex Philippidis, qua feminae inhoneste in publico se gerentes mille mulctabantur drachmis, apud Harpocrat. et Suid. v. ὅτι χιλίας, quam etiam ad γυναικονόμους esse referendam, non est quod dubitemus, eoque minus cum procedente luxuria et corruptis magis magisque moribus alia, Athenis saltem, etiam ad eorum munus pertinuerint, e. g. convivia et alios conventus in-

spicere et nimiam in iis coërcere luxuriam, qua de re vidd. omnino fragmenta apud Athen. VI. 45 et 46. Omnino quales fuerint magistratus, optime perspicitur ex loco Cicer. de Rep. ed. Moser. p. 425, ubi cum Censoribus Romanis eos componit, ex quo loco simul quam parum remedii tales magistratus, ut fere semper omnes leges sumtuariae, attulerint suspicari licet. Cf. Dionys. Halic. Ant. Rom. II. p. 95.

Quonam vero tempore Athenis primum instituti fuerint hi magistratus, parum certo constat. Ad antiquissima illos non pertinuisse tempora, purioribus etiam tunc moribus, vel ex ipsa similium magistratuum natura perspicitur: imo Plutarchus, ubi Solon. 21, leges Solonis de feminarum exitu [1], luctu cet. recenset, de Boeotis demum addit: *ὧν τὰ πλεῖστα καὶ τοῖς ἡμετέροις νόμοις ἀπηγόρευται. πρόσκειται δὲ τοῖς ἡμετέροις, ζημιοῦσθαι τοὺς ταῦτα ποιοῦντας ὑπὸ τῶν γυναικονόμων ὡς ἀνάνδροις καὶ γυναικώδεσι τοῖς περὶ τὰ πένθη πάθεσι καὶ ἁμαρτήμασιν ἐνεχομένους.* De lege Philippidis, si, quod non dubitamus, ad *γυναικονόμους* est referenda, item de fragmentis apud Athen. l. l. tempora satis constant, quippe et apud Timoclem et Menandrum *νόμος* dicitur *καινός*, quare verosimile videtur cum Boeckhio, über den Plan der Atthis des Philochoros p. 24, eos ad Macedonica, Demetrii Phalerei fortasse tempora, esse referendos, eoque magis quod ante haec tempora nullibi quod sciam certa eorum fit mentio. Alexandri Magni fere

---

1) *Ἐξόδους γυναικείους* non simpliciter de exitu, sed saepius de pompa solenni et similibus dici, patet ex locis Polyb. fragm. L. XXXII, 12 et 14. Plat. de Legg. VI pag. 784, E. Theophr. Charact. Cap. 22.

aetate memorantur in Inscript. apud Boeckh. N°. 3562, Gambrei prope Pergamum in lege de luctu: τὸν δὲ γυναικονόμον τὸν ὑπὸ τοῦ δήμου αἱρούμενον τοῖς ἁγνίσμοις τοῖς πρὸ τῶν Θεσμοφορίων ἐπεύχεσθαι τοῖς ἐμμένουσιν καὶ ταῖς πειθομέναις τῷδε τῷ νόμῳ εὖ εἶναι καὶ τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν ὄνησιν κ. τ. λ. Cf. id. ad N°. 3561. Romanorum aetate occurrit γυναικονόμος in Inscriptione Branchidis Cariae apud eund. N°. 2881, et Menander l. l. de iis loquitur tanquam suo etiam tempore magistratum exercentibus.

Quod ad creationem horum magistratuum attinet, perperam Meier, Att. Process p. 97 ad κληρωτὰς eos retulit ἀρχάς, cum disertis verbis eos a populo suffragiis fuisse electos testetur Menander l. l. Cf. inscriptio Gambrei modo laud. Justum porro matrimonium in iis fuisse requisitum, et ex rei natura et ex Eustathii verbis apparet ad Iliad. X. 420: οἱ νομοθέται γυναικονόμους ἐν ταῖς πόλεσιν ὥρισαν, οὐ τοὺς ἀγάμους, ἀλλ' ἤδη γάμου πεπειραμένους, καὶ παιδονόμους δὲ ἔταξαν οὐ τοὺς ἄπαιδας, ἀλλ' οἷς παῖδες ἐγένοντο, ἵνα οἷς αὐτοὶ ἔχουσι συμπαθοῦντες ἐπιμέλωνται καὶ τῶν ἐπιτετραμμένων αὐτοῖς.

Multis in civitatibus hos magistratus fuisse institutos, testatur Menand. l. l. Universe autem ad Aristocratiam eos pertinuisse dicit Aristotel. de Rep. IV. 15 et VI. 8. Invenimus eos praeterquam in urbibus jam memoratis maxime Spartae: Hesych. v. ἁρμόσυνοι, ἀρχή τις ἐν Λακεδαίμονι ἐπὶ τῆς εὐκοσμίας τῶν γυναικῶν. Porro Chaeroneae, Plutarch. Solon. 21, ubi eorum munus mirifice convenit cum iis quae in inscriptione Gambrei modo laudata habentur; Syracusis, quae plane cum Atheniensium consentiunt institutione, teste Phy-

larcho apud Athen. XII. 20, ubi de aliis legibus sumtuariis egit: καὶ τὴν ἐλευθέραν μὴ ἐκπορεύεσθαι ἡλίου δεδυκότος, ἐὰν μὴ μοιχευθησομένην. Ἐκωλύετο δὲ καὶ ἡμέρας ἐξιέναι ἄνευ τῶν γυναικονόμων, ἀκολουθούσης αὐτῇ μιᾶς θεραπαινίδος. Tum denique apud Hesych. v. τεμποῦροι (?), ἀρχὴ ἐπιμελουμένη τῆς τῶν γυναικῶν εὐκοσμίας.

Quot fuerint numero, non constat. Interdum viginti eos fuisse, viri statuere docti maxime inducti loco Pollucis laud. perperam, ut videtur, intellecto. Plures tamen eos fuisse, vel inde apparet, quod fere semper plurali memorantur numero. Ceterum magistratus hic honoratus et nobilis fuerit, necesse est, quippe in fragm. Philochori apud Athen. VI. 46, pro parte saltem cum Areopagitis conjunctus, et in Inscriptione Branchidis laud. γυναικονόμος est simul ἀρχιπρύτανις, βούλαρχος, γραμματεύς cet.

COMMENTATIO

DE

CORN. ALEXANDRO POLYHISTORE.

SCRIPSIT

J. G. HULLEMAN.

COMMENTATIO

DE

CORN. ALEXANDRO POLYHISTORE.

Ingens fuit doctorum virorum copia, quos nullo non literarum genere olim Graecia tulit, innumerus fere commentariorum catalogus, quibus ab iisdem vel eruditio probata est vel declaratum ingenium; sed vix cuiusquam nominis plures scriptores quam *Alexandri* laudatos invenias. Noti sunt Alexander *Aegaeus* et *Seleucensis* philosophi, quorum alter Sosigenis discipulus instituit Neronem, alter *Πηλοπλάτων* cognominatus Trajano et Hadriano Impp. floruit, Favorini Arelatensis et Dionysii Milesii auditor. Commentariis in Aristotelem editis, unde *'Εξηγητοῦ* accepit cognomen, inclaruit temporibus Severi et Antonini Caracallae Alexander *Aphrodisiensis*, ex Aristoclis Messenii schola profectus. Celebratur in rhetoribus Alexander *Numenius*. Nobilissimum fuit Ptolemaei Philadelphi aetate Alexandri *Aetoli* s. *Pleuronii* nomen, tragicorum

poëtarum *Πλειάδι* adscripti [1]. Tam varia doctrina excelluit *Ephesius* Alexander, ut *Λύχνον* aequales eum appellaverint [2]. De re grammatica pauci tam bene meruisse feruntur quam *Cotiaënsis* Alexander, Asclepiadis f., M. Antonini Imp. et Ael. Aristidis praeceptor, qui *περὶ παντοδαπῆς ὕλης* libros scripsit duos et quadraginta [3]. Multo serioris aetatis, sed illustris fuit rei medicae scriptor Alexander *Trallianus*. Memoratur denique saepissime *Cornelius* Alexander, quem propter antiquitatis notitiam *Polyhistorem* multi, quidam *Historiam* vocabant [4]; memorantur Alexander *Damascenus*, *Epirota*, *Lycopolita*, *Milesius*, *Myndius*, *Paphius*, *Thasius* [5], alii, in quibus perpauci inveniuntur, quorum opera non prorsus nobis inviderit aetas. Ceterorum si fragmenta inspexeris, vix videris farraginem maiorem. Quippe ea solet esse scholiastarum, grammaticorum, aliorum etiam scriptorum incuria, ut satis habeant *Alexandrum* laudavisse auctorem, addere notas certiores et indicia clariora ne-

---

1) De hoc legantur quae post Naekium *Opusc.* I. p. 11 sqq. disputavit Meinekius *Anall. Alex.* p. 215—251. Cf. etiam Wagner in Schneidew. *Philol.* II. 3. p. 479 sq.

2) Strab. XIV. p. 951 A (ed. Almel.). Egit de Ephesio Alexandro Meinekius ibid. p. 371 sqq.

3) Steph. Byz. v. *Κοτιάειον*. Multis laudibus celebratur ab Ael. Aristide *Orat.* XII (ed. Dind. I. p. 134 sqq.).

4) Sueton. *de ill. gramm.* XX.

5) Meminit huius, grammatici, ut videtur, Auctor *Etymol. M.* v. *Διόνυσος* p. 277, 41 (ed. Sylb.). Paphius Alexander laudatur ab Eustathio ad *Od.* K. p. 1658, 47 et 1713, 18 (ed. Rom.), quem locum, ut Eudocia p. 320, excerpsit Arsenius p. 99, ubi male scribitur *ὁ Πάριος*, quem adeo e numero scriptorum aeque demas licet ac *Rhodium* (*Anecd. Bekk.* II. p. 782, 23), modo verum sit quod conjeci *Symbb. Litt.* IX. p. 126 sq.

gligant. Quid mirum adeo, si in reliquiis librorum alicuius Alexandri disponendis passim haereas, cui auctori hoc illudve vindicandum sit; quid mirum, si qui illud ipsum agentes, quum parum circumspecte progrederentur, in gravissimos errores inciderint et, vera ut volebant, ita falsa sint assecuti? Nolim recoquere quae diu sunt decocta. Tacebo igitur de *Cotiaënsi* Alexandro cum *Polyhistore* a multis permutato [1]; tacebo etiam de *Ephesio*, quem fuit pariter qui eundem crederet ac *Polyhistorem* [2]; sed inter hunc ipsum et *Milesium* quum nusquam, inter *Myndium* et *Polyhistorem* quum ubivis [3] distingui viderem, haud inutilem rem me acturum putavi, si accuratiori examini hanc quaestionem submitterem. Quod propositum, etiam post lectam commentationem Rauchii, qui communiter cum omnibus erravit, haud una de causa diu dilatum, jam exsequi juvat, ita quidem, ut fragmentorum interdum ipsa verba in disputatione intexens, argumentum et sedem semper indicans, studiorum Corn. Alexandri et scriptorum velut conspectum praebeam, quo eius doctrina atque in literas merita clarius appareant. Sic simul haud deërit mihi occasio supplendi nonnulla et corrigendi, quae ab aliis vel omissa sunt vel non recte videntur exposita.

---

1) De Cotiaënsi scripsit diligentissime Lehrsius *Quaestt. Epp.* p. 8—16. Cf. idem *Anall. Gramm.* p. 429.

2) Credidit Wegener *de aula Attalica* p. 200 sq., jure notatus a Rauchio *Comment. de Alex. Polyh. vit. atq. scriptt.* p. 6.

3) Suspicatus quidem est Wegenerus, eundem fuisse Myndium ac Polyhistorem, sed idem Ephesium quoque non diversum putavit, omninoque sententiam suam tam levibus argumentis superstruxit, ut vix videri possit verum perspexisse.

Alexandrum *Cornelii* nomen accepisse a Lentulo, qui quum bello captum emisset et habuisset aliquamdiu domi suae paedagogum libertate eum donaverit, auctor nobis est Suidas [1]. Cum quo testimonio mirabiliter pugnat locus Servianus, quo a *Lucilio Sylla* Alexander civitatem accepisse dicitur [2]. Sensit quidem Vossius [3], quam ridiculum sit credere unquam Romae exstitisse *Lucilium* Syllam, correxitque adeo omnium deinceps plausum ferens Lucilii nomen in *Lucii*, sed neque ipse animadvertit nec quisquam postea, hac conjectura non tolli dissensionem inter Suidam et Servium. Quid quaeris? Statuere Corn. Alexandrum *libertatem* Corn. Lentulo, *civitatem* Corn. Sullae debuisse, plane absurdum est. Serviano loco gravius inest vitium. Designat Servius *P. Corn. Lentulum Suram*, oratorem satis probabilem, quem A. U. 683 Consulatu functum infamia flagrantem Cn. Lentulus Clodianus et L. Gellius Censores senatu moverunt, A. U. 691 conjurationis Catilinariae reum Cicero Consul interfici jussit [4]. Apud Servium non tam nomen gentis, quam cognomen *Sura* in *Sula* primum, deinde in *Sulla* et *Sylla* depravatum, omnes fefellit.

Patet vel hinc luculente, in quae tempora inciderit

---

1) s. v. Cf. Eudoc. p. 62. Suidae verba haec sunt: *Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος, ὃς Πολυΐστωρ ἐπεκλήθη καὶ Κορνήλιος, διότι Κορνηλίῳ Λεντούλῳ αἰχμαλωτισθεὶς ἐπράθη, καὶ αὐτῷ παιδαγωγὸς ἐγένετο, εἶτ' ἠλευθερώθη.*

2) Ad *Aen.* X. 388, ubi: »Alexander Polyhistor, quem Lucilius Sylla civitate donavit."

3) *H. G.* p. 189 ed. Westerm.

4) Sufficiat laudasse Orellium et Baiterum *Onom. Tull.* s. v. II. p. 182.

Corn. Alexandri aetas. Accedunt verba Suidae: Ἦν δ᾽ ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ τῶν Σύλλα χρόνων καὶ ἐπίταδε, satis mire accepta a Rauchio, tanquam vixerit Alexander *per Sullana tempora et usque ad illius facinora.* Imo Suida teste etiam *post* Sullae aetatem Alexander vixit. Quae res egregie probatur testimonio Suetonii, cui multi fidem non habuere, quod male intelligebant Suidam, dicentem: Ἦν δὲ γραμματικὸς τῶν Κράτητος μαθητῶν. Haec enim quum Vossius interpretatus sit: *Fuit vero grammaticus, Cratetis discipulus*, ecce! clamant omnes Alexandrum fuisse Cratetis auditorem, clamant alii falso scribi de C. Iul. Hygino apud Suetonium: »*Studiose* et audiit *et imitatus est Corn. Alexandrum, grammaticum Graecum* [1].“ Profecto solitos vitae humanae terminos excessisset, qui discipulus Romam ab Attalo missi sub A. U. 587 Cratetis [2], ipse praeceptor fuisset Hygini, quem a J. Caesare Romam adductum manumisit Augustus. Quapropter loco Suetonii vel jejunam lectionem *et avide* revocandam vel verba *et audiit* ejicienda censuerunt [3]. Sed salva res est, modo Suidae testimonium recte accipiamus. Instituit Crates, quod sciunt omnes, illustrem illam scholam Pergamenam, in qua inclaruit post eum Herodicus Babylonius, inclaruere Tauriscus, Zenodotus minor aliique [4]. Hos *Κράτητος μαθητὰς* ab Alexandro

[1]) l. l.

[2]) Cf. Wegener *de aul. Attal.* p. 56 n. 7, p. 121 n. 6. Idem p. 123 n. 10 Cratetem conjicit Romam profectum esse legatum aetatis anno 45 atque obiisse natum annos 70, A. C. 142. Sed etiamsi multis annis post et vixerit et docuerit Crates, Alexandri esse praeceptor non potuit.

[3]) Cf. Rauchius p. 9 sq.

[4]) Recenset eos Wegener p. 154 sqq., propter Suidam etiam *Alexandro Milesio* locum cedens.

auditos conjicio, alios si quis mavult, non admodum repugno, dummodo concedat *Crateteum* fuisse Alexandrum., non ipsius *Cratetis discipulum* [1]. Sic Alexander, qui valde iuvenis, bello fortasse Mithridatico, Romam traductus videtur, et potuit in Lentuli domo paedagogus esse et post Sullana tempora tam diu aetatem agere, ut C. Iul. Hygini esset in re grammatica praeceptor [2]. Natus igitur exeunte saeculo A. C. altero, Corn. Alexander admodum provecta aetate, haud ita diu ante Augusti principatum diem obiisse videtur [3]. Periit autem Laurenti, domo in qua degebat igne deleta. Quem mariti exitum quum audivisset Helena uxor, se ipsa strangulavit [4].

---

1) His dudum scriptis venit mihi in manus *dissertatio de C. Iul. Hygini vit. et scriptt.*, quam a. 1846 Marburgi edidit C. B. Bunte, qui p. 5 tuitus locum Suetonii a Rauchii conjecturis verba Suidae *τῶν Κράτητος μαθητῶν* eodem sensu interpretatur *sectatorem scholae Cratetetae*.

2) In transitu tangendus est locus Suidae v. *'Αμμώνιος*, ubi legitur: *'Αμμώνιος 'Αμμωνίου 'Αλεξανδρεὺς, 'Α λ ε ξ ά ν δ ρ ο υ γνώριμος, ὃς καὶ διεδέξατο τὴν σχολὴν 'Αριστάρχου πρὸ τοῦ μοναρχῆσαι τὸν Αὔγουστον*· pro quibus Eudocia p. 56: *'Αμμώνιος φιλόσοφος*, inquit, *ὁ καλούμενος 'Α λ έ ξ α ν δ ρ ο ς. οὗτος διεδέξατο κτλ.* Quibus sanandis operam perdideris. Apud Suidam Westermannus (*Ind. Vitt. scriptt.* s. v. p. 471) intelligit Alexandrum Polyhistorem. At Aristarcho successisse discipulum *Crutetei* Alexandri, si per tempora liceret, quis credat? Suidae pro nomine *'Αλεξάνδρου*, orto e praecedente *'Αλεξανδρεὺς*, reddendum est *'Αριστάρχου*, quod suadent etiam quae proxime sequuntur. Idem nomen irrepserat olim v. *Πύῤῥων*, ubi *'Αναξάρχου* correxit Menagius ad Diog. Laërt. IX. 10. 58.

3) »Probabile enim est, ut ait Bunte p. 6, I. Caesarem Hyginum servum, cuius ingenium et litterarum studia cognoverat, Alexandro Polyhistori instituendum tradidisse, posteaque Octaviano, quum hunc heredem institueret, una cum reliqua hereditate dono dedisse'' Opinionem Wegeneri p. 195 n. 17 conjicientis, Alexandrum natum esse sub. a. A. C. 166, non refellam. 4) Testatur Suidas l. l.

Patriam Corn. Alexander habuit, si Suidae [1] credimus, quem secuta est Eudocia, *Miletum*, si Scholiastae Apollonii Rhodii [2], *Chersonesum Cariae*. Ait autem Scholiasta: *Ἔστι καὶ Χερσόνησος Καρίας, ἔνθεν ἦν Ἀλέξανδρος ὁ περὶ Καρίας γράψας*, quod egregium est indicium. Nam *qui de Caria scripsit* Alexander, is fuit Corn. Alexander Polyhistor [3]. Nec possunt quae praeterea idem Scholiasta ab *Alexandro* deprompsit, commode ad alium referri [4]. Quae si vera sunt, ut mihi quidem persuasum est, mirum quantum attenuatur fides Suidae: ad Caricam enim Chersonesum non pertinuit Ioniae caput, Miletus. Dicam quod sentio. *Myndius* [5] fuit Corn. Alexander, scriptor adeo ille, quem laudare videtur Diogenes [6], laudant Plutarchus, Aelianus, Photius, Scholiastae Homeri et Theocriti, Choeroboscus, in primis Athenaeus. Certe *Μυθικὰ* edidisse et *Ζώων ἱστορίαν* non ita alienum est a persona Polyhistoris [7]. Tempora quoque nihil praebent difficultatis, quum omen Mario per vultures datum cadat in ipsam Cornelii aetatem [8].

1) l. l. et v. *Μωσώ*, qui locus ex illo repetitus est. — 2) I. 925.

3) Steph. Byz. v. *Ἄλινδα*. Ceteros locos infra indicabo § 6.

4) Praeterquam *ἐν πρώτῳ Κρητικῶν ὑπομνημάτων* (I. 551) laudat *Alexandrum ἐν πρώτῳ Κρητικῶν* (IV. 1492), eundemque (IV. 1515) testem profert causam exponens *πολυθηρίας* Libyae, quem locum mox iterum tangendum afferam infra § 16. Conjecturae quum huc non faciant, nolo hoc loco memorare monenda § 3.

5) Teste Stephano v. *Μύνδος*, duo fuere Cariae oppida, Myndi nomine dicta, e quorum altero, *Myndo vetere* appellato, qui oriundi essent, nominarentur *Myndii*, ut Apollonius et Zeno grammatici. — 6) Cf. infra § 23.

7) Adde *Θαυμασίων συναγωγήν*, quae ejusdem auctoris fuisse videtur, ut § 19 ostendam.

8) Plutarch. *Vit. Mar.* XVII. Paulo antiquiora sunt quae item ad res Marii spectantia ab Alexandro Myndio deprompsit Athenaeus V. p. 221 B—D.

Accedit aliud, quod leve putes licet, sed tamen non prorsus contemnendum est. Qui scriptores ***Myndium*** testem adducunt quique ***Cornelium*** Alexandrum, neutri alterutrius meminere; quin etiam Aelianus et Diogenes, cui pro ***Alexonis*** Alexandri nomen reddendum est, quum alibi diserte laudent ***Myndium***, alibi omisso gentili nomine eum commemorant Alexandrum, quem esse ***Cornelium*** negari idonea de causa non potest [1]. Quae quidem rationes tanti esse ponderis videntur, ut Myndium Alexandrum fuisse eundem ac Polyhistorem, qui vulgo vocatur, credam equidem atque statuam.

»At, inquies, Suida quid facies? Num is adeo mendax, ut Polyhistorem Alexandrum ***Milesium*** finxerit, qui fuerit ***Myndius?***" In Suida, negligentissimo homine, plurima inesse quae mera sunt mendacia, quid probem exemplis? Res vel iis arguitur, quae de Moso femina, a qua Judaei acceperint leges, ex Corn. Alexandro refert [2]. Tamen paululum me moveret eius qualiscunque auctoritas, si complurium Alexandrorum memor Myndii mentionem fecisset singularem. Nunc mihi videtur vel ipsum fefellisse diligentia vel qui eum descripsit librarium. Illud si probas, Suidas cum Myndio Alexandro ***Ephesium*** per-

---

1) ***Διαδοχὰς*** dico ***τῶν φιλοσόφων***, quas Diogenes, et ***Περίπλουν τῆς ἐρυθρᾶς θαλάττης***, quem Aelianus laudat. Cf. infra § 13 et 23. Ex Athenaei l. l. conjici quidem possit Scholiastam Apollonii, principem nobis auctorem de patria Alexandri, causam ***πολυθηρίας*** Libyae, quam tradit IV. 1515, cognovisse ex ***Ζώων ἱστορίᾳ***, sed suadet potius ratio, ut ***Libycorum*** Corn. Alexandri fragmentum esse putemus. Alioqui Scholiasta novum argumentum suppeditaret, quo Polyhistori Myndus patria vindicaretur.

2) Utroque loco supra laud. De re ipsa agemus § 1 et 18.

mutavit, qui iisdem temporibus vixit [1]. Hunc enim suspicor fuisse *θέσει μὲν Ἐφέσιον, φύσει δὲ Μιλήσιον*, quo ducunt Chalcidius et Heraclitus, quorum ille auctorem operis *ἐμμέτρου* Arati *Phaenomenis* consimilis *Milesium*, hic *Ephesium* Alexandrum scribit [2]. Contra in librarium si conferre culpam mavis, Suidas, ut quae desint suppleam oratione Strabonis, hoc fere modo dixerit: *Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος ἢ Ἐφέσιος, ῥήτωρ, ὁ Λύχνος προσαγορευθείς, ὃς καὶ ἐπολιτεύσατο καὶ συνέγραψεν ἱστορίαν καὶ ἔπη κατέλιπεν, ἐν οἷς τά τε οὐράνια διατίθεται καὶ τὰς ἠπείρους γεωγραφεῖ, καθ' ἑκάστην ἐκδοὺς ποιήματα.* Secuta continuo fuerint haec: *Ἀλέξανδρος ὁ Μύνδιος, ὃς καὶ Πολυΐστωρ ἐπεκλήθη καὶ Κορνήλιος κτέ.*, sed neglectis intermediis relata ad Milesium fuerint quae

---

1) Ciceronis fuit aequalis; nam Ephesium Alexandrum cogitat ille *ad Att.* II. 20. 6, 22. 7. Certum etiam indicium praebent libri quos edidit *de bello Marsico* (Aurel. Vict. *de orig. gent. Rom.* IX); quod bellum, a Lucceio quoque et Lucullo descriptum, gestum scimus ab A. U. 663 ad 666. Hoc conjungendum cum testimonio Strabonis, l. l. Alexandrum Ephesiis *τοῖς νεωτέροις* annumerantis eiusque laudantis *ἱστορίαν*.

2) Chalcid. in Tim. *de ord. planet.* p. 155 (ed. Meurs.), Heraclitus *de alleg. Hom.* p. 45 (ed. Schow.). Eundem poëtam Theon Smyrnaeus ap. Galeum ad Parthen. p. 49 Aetolum vocat, quod falsum esse demonstravit Naekius l. l. p. 13 sq., susceptis *Ephesii* partibus. Cf. Meinek. p. 241 sq. Manet tamen inter Chalcidium et Heraclitum dissensio, nisi apud illum quoque in nomine gentili erratum putemus; quod non placet. Equidem adeo Alexandrum reor, Mileti natum, postea concessisse Ephesum, ubi quum ingenii doctrinaeque fama floreret non civitatem tantum acceperit, sed gesserit etiam honores (*ἐπολιτεύσατο*). Sic consentaneum sit *Ephesium* dictum fuisse, qui Mileto esset oriundus. Ceterum Meinekius p. 237 *Milesium* Alexandrum ad seriorem Graecae poësis aetatem relegandum censet, tribuens ei Epigramma, quod Alexandri *Magnesii* nomine legitur in *Anthol. Pal.* VI. 182.

pertinent ad Myndium [1]. Utcunque se res habet, Suidae vix ulla est auctoritas, quoties a probatioribus scriptoribus dissentit, in quibus suus est Scholiastae Apollonii locus [2].

Restat ut de Eudocia dicam, ne prorsus spernere eam videar. Eudocia igitur ubi de historicis agens scripsit: *Ἀλέξανδρος ὁ Μύνδιος, ἱστορικός. διαλαμβάνει περὶ Γοργόνος* [3], mox in grammaticis, secuta aperte Suidam, reponit *Ἀλέξανδρον τὸν Μιλήσιον, ὃς καὶ Πολυΐστωρ καὶ Κορνήλιος (ἐπεκλήθη)*. Sed ut pendet tota a fontibus, in quos forte et casu incidit, nullaque crisi ex iisdem hausit, ita quae de Myndio Alexandro profert, Eudocia sumpsit ex Eustathio [4], qui rursus sua de more surripuit Athenaeo [5]. Longiores sunt loci et Athenaei et Eustathii, quam ut alterutrum integrum apponam; sed si monuero Myndium Alexandrum utrobique appellari *ἱστοριογράφον*, et haec prima verba descripsero: *Τὴν Γοργόνα τὸ ζῶον καλοῦσιν οἱ ἐν Λιβύῃ νομάδες, ὅπου καὶ γίνεται, κατωβλέπον*, fugere poterit neminem, quae sit Eudociae fides habenda, inter historicum et grammaticum Alexandrum, inter Myndium et Polyhistorem distinguenti [6].

---

1) Simili modo peccatum est v: *Ἀντίπατρος* (Cf. *Aristob. Rell.* p. 69) et v. *Ἀριστώνυμος*, ubi de *Aristonymo* comico narrantur quae narrari de *Aristophane* debebant. Cf. Meinek. *Hist. Crit.* p. 197 sqq.

2) Aliter Rauchius p. 4 sqq., qui Alexandrum conjicit Milesium dici propter parentes Milesios, quamvis patriam ipse habuerit Chersonesum Cariae. Nec felicius rem dirimit Wegener p. 195.

3) p. 50. — 4) Ad *Od. Λ.* p. 1704. — 5) l. l.

6) Eadem res est, si cui videtur Eudocia e loco laud. Scholiastae Apollonii sua petiisse, quem totum descripsit p. 335 sq.

In rebus obscurioribus aliquis est conjecturis locus. Itaque de vita Corn. Alexandri disputanti hoc mihi sumam, ut locum Plutarcheum de praeceptore et familiari et itinerum comite M. Crassi accipiam de Alexandro Myndio. Plutarchus: *Λέγεται δὲ* (*Κράσσος*), inquit, *καὶ πολυμαθὴς καθ' ἱστορίαν γενέσθαι καί τι καὶ φιλοσοφῆσαι τοῖς Ἀριστοτέλους λόγοις προσθέμενος· ὧν διδάσκαλον εἶχεν Ἀλέξανδρον, ἄνθρωπον εὐκολίας καὶ πρᾳότητος ἀπόδειξιν διδόντα τὴν πρὸς Κράσσον συνήθειαν. Οὐ γὰρ ἦν ἀποφήνασθαι ῥαδίως* (l. *ῥᾴδιον*), *πότερον προσῆλθεν αὐτῷ πενέστερος ἢ προσελθὼν ἐγένετο. Μόνος δ' οὖν ἀεὶ τῶν φίλων αὐτῷ συναποδημῶν στέγαστρον ἐλάμβανεν εἰς τὴν ὁδὸν, καὶ τοῦτ' ἐπανελθὼν ἀπῃτεῖτο* [1]. Unus, quantum memini, Xylander de Polyhistore haec dicta putavit; nec dedit tamen sententiae ille suae rationes, nisi quod tempora congruere ei viderentur. Sed in Plutarcheo testimonio alia etiam insunt quae eodem ducunt. *Πολυμαθὴς καθ' ἱστορίαν* fuit Crassus atque Aristoteliae philosophiae operam navavit, doctus ab Alexandro; Alexander Polyhistor illam sic calluit, ut *Historiam* eum vocarent aequales, in philosophiam tanto incubuit studio, ut *Διαδοχὰς τῶν φιλοσόφων* conscriberet, quibus placita et doctrinam singularum scholarum illustraret [2]. Pauperrimus fuit Crassi praeceptor; libertum Lentuli nemo quisquam divitem dixerit. Suum Crassus Alexandrum semper sibi adjunxit itinerum comitem; etiam Alexander Myndius itinera longinqua suscepit. Meruit sub Sulla in Africa Crassus, posteaque Consul sorte na-

---

1) Plutarch. *Vit. Crass.* III s. f. — 2) Vide infra § 23.

ctus est Syriam provinciam, quo tempore diripuit templum Hierosolymitanum; Alexander Myndius descripsit et Libyam et animalia Libyae [1], quae quin viderit ipse vix dubium videtur; commentatus est de Syria [2]; de serpentibus et cancris Rubri Maris scripsit a se visis [3]; de Judaeis librum edidit [4]. Quid multa? Comes ille Crassi fuit Lentuli libertus. Sinunt tempora, studia, scripta, alia omnia.

Studia Corn. Alexándri quam late patuerint, non indicat tantum quod a summa qua excelluit scientia traxit *Polyhistoris* cognomen [5], sed arguunt diversissimi generis scripta, *ἀριθμοῦ κρείττω*, ut ait Suidas, quorum auctor fuisse fertur. Complectebatur enim polyhistoria illa, praeter grammaticam et rhetoricam, philosophiam, historiam, archaeologiam, mythologiam, geographicam, historiam naturalem, physicam, quid non? Nec mirum si in tanto librorum numero, quantum edidisse Alexander traditur, alii reperiantur quorum notitia vix uni vel duobus veterum testimoniis debeatur, alii quorum etiam titulos ignoremus. Sic, ut hoc utar, scholion quoddam superest in Hermogenem, ubi quid sit *διαίρεσις*, quam vocant, ipsis Alexandri verbis declaratur [6]. Cuius

1) § 16. — 2) § 14. — 3) § 13. — 4) § 18.

5) Hoc nomen, a Dionysio Hal. *Din.* I Demetrio datum, Hellanico ab Agathemero *Geogr.* I p. 2, Corn. Alexandro adeo fuit proprium, ut saepe nullo alio nomine designetur, eique uti M. Terentio Varroni (nam Archestrati Geloï poëtae exemplum ap. Athen. VII. p. 325 D hue non prorsus traxerim) honoris causa tributum fuisse videtur. Contra Historiae cognomen haud scio an unice ad aequales Alexandri referendum sit, qui per lusum jocumque ipsum scientiae nomen ei imponerent. »*Quidam* Historiam *vocabant*," ait Suetonius. Cf. ibi Casaub.

6) Anonym. ap. Walz. Rhett. VII. p. 245.

unius loci fidem quum suspectam haberet Rauchius [1], non reputavit fuisse cum grammatica, quam artem Alexander Romae publice est professus, arcte conjunctam rhetoricam, veteresque grammaticos et rhetoricam docuisse et multorum prodiisse de utraque arte commentarios [2]. Mihi quidem haec reputanti de auctore operis illius rhetorici nihil quidquam residet dubii, ubi diserte dictum lego: *Ἀλέξανδρος ὁ Πολυΐστωρ ὄνομα ἔχων*. Altius vero rem investigare non libet, ne plane me ludat opera. Praestat inquirere in ceteros libros Alexandri, quorum praeter fragmenta etiam titulos novimus. Quam censuram agens sequar, quantum potero, ordinem argumentis indicatum, orsus a *sedecim* commentariis, quibus complurium Europae, Asiae et Africae regionum res explicavit geographicas et mythicas.

§ 1. *Ἰταλικά.*

De *Anio*, prisco Tuscorum Rege, hanc tradidit in *Italicorum libro tertio* Alexander historiam. Fuit illi filia formosa, *Salia* nomine, cuius amore captus *Cathetus*, vir nobilis, rapuit virginem et abduxit Romam. Persecutus raptorem, nec tamen assecutus, Anius insiluit in Pareüsium fluvium, qui dici deinde *Anius* coepit. Ex Salia Cathetus *Latinum* genuit et *Salium*, ad quos Romanorum nobilissimi genus retulerunt [3]).

---

1) p. 29 n. 63.

2) Notissimum hoc est Suetonii testimonium l. l. IV.

3) Legitur narratio in *Parall. Min.*, quae perperam Plutarcho tribuunt, c. XL. Simul cum Polyhistore laudatur ibi Aristides Milesius. In tanta autem copia scriptorum *Ἰταλικῶν*, suum retineat locum *Ἀλέξαρχος*, laudatus ib. VII *ἐν δ' Ἰταλικῶν*, nec cedat Alexandro. Eiusdem Ser-

'Ιταλικοῖς Plinium usum esse statuo, ubi *Orobiorum* gentis originem, quam se ignorare Cato fassus sit, ab Alexandro repetitam ait a Graecia, interpretatione etiam nominis, ut *qui vitam in montibus degerent* [1]. Quis tandem in *'Ιταλικοῖς* scripta fuisse neget, *Tiberinum*, Capeti filium, venantem in Albulam cecidisse et fluvio nomen dedisse *Tybrin* [2]; atque *Anchemolum*, Rhoeti filium, Marrhubiorum in Italia Regis, qui a Phorco marino Deo genus duceret, stuprata noverca, vindictam patris effugisse seque ad Daunum contulisse, Turni patrem [3]? Quin etiam cogitanti, *μῦθοι* Bacchi quam conjuncti fuerint cum prisca Romanorum, Tuscorum certe historia [4], dubium non videbitur, quin quod Alexander tradidit de Baccho ab *Eleutheris*, Boeotiae urbe, *Libero Patre* appellato [5], iisdem in commentariis tradiderit. Quibus ex locis cernitur luculente studium grammatici et Graeci hominis omnem omnino rerum Italicarum originem e Graecis repetendi, usque eo ut vel probabilitatis limites transgredi non vereatur. Ut autem fragmenta illa diligentiam Alexandri arguunt in priscis Italiae *μύθοις* colligendis, ita hoc simul ex iisdem efficitur, »nihil magis ab Alexandri sensu abhorruisse, quam severam rerum gestarum historiam ex

---

vius meminit *Aen.* III. 334, vocans *historicum Graecum*, et fortasse etiam Plutarchus *de Is. et Osir.* XXXVII ex Aristone, qui ipse esse *Alexandrinus* videtur, aequalis Strabonis. — 1) *H. N.* III. 21.

2) Tanquam Serviana leguntur *Aen.* VIII. 330, sed uncis ea inclusit Lion, ut quae desiderentur in plurimis Codd. et vett. Edd. Neque, excerptis praecedentibus, recepta sunt a *Mythographo primo*, quem vocat Bode, I. 193. p. 59. — 3) Serv. l. l. X. 388.

4) Cf. v. c. Serv. l. l. I. 67, III. 80.

5) Plutarch. *Quaestt. Rom.* CIV.

critices legibus conscribere;" id quod Rauchius [1] recte objecit Niebuhrio, Polyhistorem fraudis et mendacii in historia accusanti, quod, Servio teste, Regum Albanorum catalogum confecerit [2]. Recte, inquam, Niebuhrio id Rauchius objecit, modo haec excusatio Alexandri generalis sit nec referatur ad catalogum istum, quem non tam finxit Alexander quam finxit ab Alexandro confectum Niebuhrius. Quod non probavit Rauchius, et tamen probari debebat cum Alexandri causa tum propter Niebuhrii in rebus historicis auctoritatem. Itaque nos primum quid scripserit Alexander videamus, deinde cur sit injuria accusatus.

Servius [3]: »Hic (Thybris), inquit, Tuscorum Rex fuit, qui juxta hunc fluvium (Albulam) pugnans cecidit, et ei nomen imposuit. — Varro Tybrim a Tyberino quodam, Rege Latinorum, quod ibi interierit,

---

1) p. 19. Generatim sic judicat de 'Ἰταλικῶν scriptoribus Heeren. *de fontt. Plut.* p. 102.

2) *Röm. Gesch.* I. p. 226, ubi: »*Das Verzeichniss der Albanesche Könige*, inquit, *ist ein sehr junges und äusserst ungeschicktes Machwerk.* — *Es wird gesagt Livius habe diese Verzeichniss aus L. Cornelius Alexander dem Polyhistor genommen: und danach ist est wahrscheinlich dass dieser Client des Dictators Sulla den Betrug in die Geschichte eingeführt hat.*" Eiusdem fraudis memor sic disputat Niebuhrius *Vorträge üb. alt. Gesch.* I. p. 227: »*Wie Alex. die Könige von Alba kannte, von denen kein Mensch etwas wusste — Eratosthenes rechnete* 430 *Jahre von der Zerstörung Trojas bis zu der Albas und diese Zeit füllte Jener mit Königen aus — so hat er auch die Liste der Spartanischen Könige gemacht.*" Cf. *Vortr. üb. Röm. Gesch.* I. p. 108. De Regum Spartanorum catalogo hoc loco simul verbo absolvere licet, quoniam per errorem Niebuhrius Alexandro Milesio, ut vocat, tribuit quae sunt Diodori Siculi; id quod diserte monet Eusebius loco a Niebuhrio significato, *Chronic. Can.* 1. 35. p. 166 sq.

3) Cf. quae modo dicebam pag. praec. n. 2.

dictum tradit. — Quod Livius dicit, ab Albano Rege Tyberino Tybrim dictum, non procedit; ideo quia etiam ante Albam Tybris dictus invenitur. Sed hic *Alexandrum* sequitur, qui dixit, Tyberinum, Capeti filium, venantem in hunc fluvium cecidisse, et fluvio nomen dedisse. Nam et a Pontificibus indigitari solet [1]." Ecce fundus, cui suam Niebuhrius sententiam superstruxit. Equidem ex verbis illis non magis colligo Alexandrum confecisse catalogum Regum Albanorum quam Latinorum Varronem, qui Alexandro aetate suppar reapse idem narravit. Alexandrum secutus esse Livius dicitur; id vero unde rescivit commentator Virgilianus? Non ex Livio ipso, quem non alium legit ac nos legimus hodie [2]. Testimonium grammatici hoc probat, ante Livium idem narratum fuisse ab Alexandro, hunc memoravisse Albanorum Reges; nihil amplius. Cetera finxit Niebuhrius, cuius hac in re non dico sagacitatem, sed prudentiam et diligentiam plane desideramus. Mitto quae minus certa putantur; mitto etiam *Annales Pontificum*, quos testes citat interpres Virgilianus [3]; sed si Albulam mutavisse nomen a *Tiberio Silvio Rege* L. Cincius Alimentus scripsit [4], quem vetustissimum

1) Cf. Serv. l. l. III. 500, VIII. 72.

2) Locus Livii est I. 3. 8, ubi facta mentione de Capeti filio, Tiberino, decimo Albanorum Rege, haec pauca addit: »qui in trajectu Albulae amnis submersus celebre ad posteros nomen flumini dedit;" ad quem locum super eadem historia plures scriptores ab Interpp. laudantur.

3) Hoc sensu accipio verba: »Nam et a Pontificibus indigitari solet." Sic in *Annali Pontificum* IV enarrata fuit historia conditae ab Ascanio Albae, teste Aurel. Vict. sive eo qui scripsit *de orig. gent. Rom.* XVII.

4) Auctor rei nobis est Aurelius Victor l. l. XVIII: »Post eum (Latinum Silvium), inquit, regnavit Tiberius Silvius. Qui cum adversus finitimos bellum inferentes copias eduxisset, inter proeliantes depulsus in

Romanum historicum plus duobus saeculis a. Ch. floruisse constat, evidentissimum est Reges Albanorum cognitos fuisse diu ante Corn. Alexandri et Livii tempora, qui adeo a Cincio aliisque [1] historicis depromere sua potuerunt, non protulerunt nova vel ab ipsis ficta. Omnino ut in ceteris scriptis huius generis omnibus, ita in *Ἰταλικοῖς* conscribendis Alexander hanc rationem secutus est, ut excerperet undique et colligeret quae de mythis gentium urbiumque apud priscos scriptores reperiret. Severi historici et critici partes non suscepit, sed grammaticum egit et Polyhistorem, qui ab historia mythos tam parum distingueret, ut pro ipsa historia haberet [2]. Quo nomine si culpandus est, tu magis etiam Livium culpa et si qui alii *historicos* se professi in eandem Scyllam inciderunt [3].

Albulam fluvium deperiit, mutandique nominis extitit causa, *ut scribit L. Cincius libro primo*, Lutatius libro tertio."

1) Praeter Lutatium, de quo alii aliter sentiunt, Catonem efficias Reges Albanorum cognovisse, monitus a Servio l. l. VI. 760. Neque enim de solis urbium *κτίσεσι*, sed latiore sensu accipiendum videtur, quod dicitur Cato (Dionys. Halic. I. 11 init.) *τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγεῖν*. Cui testimonio convenit Servianum VII. 678: »De Italicis urbibus Hyginus plenissime scripsit et Cato in *Originibus*." Tandem huc pertinent quae testatur Gellius *N. A.* XVII. 21: »De Homero et Hesiodo inter omnes fere scriptores constitit, — utrumque ante Romam conditam vixisse, *Silviis Albae regnantibus*, annis post bellum Trojanum, ut Cassius in *primo Annalium* de Homero atque Hesiodo scriptum reliquit, plus centum atque sexaginta."

2) Hoc judicium universe de grammaticis Alexandrinis et Crateteis ipse fert Niebuhrius *Vortr. üb. alt. Gesch.* I. p. 234.

3) Docuit nos modo Servius, de Italicis urbibus Hyginum *plenissime* scripsisse. Probabile est hunc Alexandri et auditorem et imitatorem in illis quoque commentariis non admodum recessisse ab exemplo praeceptoris. Cf. Bunte p. 59, qui reliquias Hyginiani operis collegit p. 55 sq.

Jam ex Italia in septentrionales Europae partes transituros moratur nos Suidas, de Corn. Alexandro testatus: *Συνέγραψε βιβλία ἀριθμοῦ κρείττω, καὶ περὶ Ῥώμης βιβλία πέντε. ἐν τούτοις λέγει, ὡς γυνὴ γέγονεν Ἑβραία Μωσώ, ἧς ἐστι σύγγραμμα ὁ παρ' Ἑβραίοις νόμος*, quae repetiit Eudocia. Itaque Alexander quum minimum tribus libris — nam *tertium* vidimus laudari — de gentibus et urbibus Italicis scripserit, insuper *quinque* libris Urbis historiam persecutus est? Merae nugae, mera mendacia. Antiqua illa Italiae historia complecti debuit historiam Romae, de qua si quinque libris Alexander exposuit, exposuit in Ἰταλικοῖς [1]. Verbo dicam, ficta est a Suida operis inscriptio *περὶ Ῥώμης*. Falsissimum etiam hoc est, Alexandrum meminisse Mosus, Hebraeae mulieris, a qua scriptae fuissent Iudaeorum leges. Nolo alia, nolo hoc quaerere, cur qui de rebus Iudaeorum ipsis absolvit, is commentarios de urbibus Italicis potissimum eligeret, in quibus de Moso ista disputaret: in Polyhistore enim, cui scribenti quaevis doctrinae ostentandae opportunitas gratissima accidit, talia non sunt ad amussim exigenda; potuit v. c. Numae mentione facta Iudaeorum legum haud ita importune meminisse [2]; sed omnino Alexandrum, nisi aliorum commentum narrare ei placuerit, ita scriptum reliquisse nego. Testes mihi idonei sunt, ne Eusebium afferam [3], Iosephus et

---

Nec tamen audiendus est Rauchius p. 31 n. 67, conjiciens »Hyginum non solum imitatum esse, sed *exscripsisse* Alexandrum."

1) Eadem est sententia Rauchii p. 20, rati Suidam τοῖς *περὶ Ῥώμης* significare Ἰταλικά, titulumque commentariorum *Iudaïcorum* ante verba ἐν τούτοις excidisse.

2) Vid. e. g. Clem. Alex. *Strom.* I. p. 358 ed. Pott.

3) Multa de Moyse ex compluribus scriptoribus excerpta Eusebius *Praep.*

Iustinus, cognomine Martyr, quorum hic Alexandrum Polyhistorem scriptoribus annumerat, οἳ ὡς σφόδρα ἀρχαίου καὶ παλαιοῦ τῶν Ἰουδαίων ἄρχοντος Μωΰσεως μέμνηνται [1], ille ex Ἰουδαϊκοῖς excerpsit locum, quo ipse Alexander: Καὶ Μωϋσῆς ἱστόρησεν, inquit, ὁ νομοθέτης τῶν Ἰουδαίων, ὅτι ἐκ τῆς Χετούρας Ἀβράμῳ ἐγένοντο παῖδες ἱκανοί [2]. Unde etiam hoc discimus, ipsos Moysis libros Alexandro lectos fuisse [3]. Quid pluribus opus ad insulsum testimonium Suidae penitus refellendum?

§ 2. Περίπλους Ἰλλυρίας.

Non alia, ni fallor, potuit esse inscriptio libri, cuius unicum fragmentum hoc est: »*Alexander* in eo *Volumine*, quod *de Illyrico tractu* composuit, affirmat Danthona quendam ad quingentesimum usque annum nulla ex parte senescentem processisse.“ Sic Valerius Maximus [4]. Eadem fortasse non ex fonte, sed e rivulo recepit Plinius [5].

Evang. IX. 26—29 a Polyhistore deprompsit. Cf. § 18. In iis, ut alia mittam, Alexander hoc affert Eupolemi fragmentum: *Εὐπόλεμος δέ φησι τὸν Μωσῆν πρῶτον Σοφὸν γενέσθαι, καὶ γράμματα παραδοῦναι τοῖς Ἰουδαίοις πρῶτον, παρὰ δὲ Ἰουδαίων Φοίνικας παραλαβεῖν, Ἕλληνας δὲ παρὰ Φοινίκων, νόμους τε πρῶτον γράψαι Μωσῆν τοῖς Ἰουδαίοις.*

1) *Coh. ad Graec.* p. 13 D (ed. Paris. I. 1742).

2) *Ant. Jud.* I. 15. — 3) Cf. infra § 17 et 18.

4) VIII. 13. Ext. 7. *Ἰλλυρικὰ ἀπομνημονεύματα* Rauchius p. 19 nulla neque auctoritate nec probabilitate commemorat.

5) Agens enim VII. 49 de longinquitate vitae humanae eosdemque fere in omnibus auctores laudans, quos Valerius: »Alex. Corn., inquit, Dandonem quendam in Illyrico D vixisse;“ quae, ut alia similia, ex inscitia temporum repetit. Cf. Marx ad Ephor. p. 118. *Datona* et apud Valerium et apud Plinium scribendum putavit Harduinus.

§ 3. *Περίπλους Εὐξείνου Πόντου.*

A Stephano Alexandrum laudatum legimus *ἐν τῷ Περὶ Εὐξείνου Πόντου* [1]. At quis de ipso Ponto Euxino Alexandrum scripsisse credat? Imo *litora*, in primis Europaea, *Ponti Euxini* hoc commentario descripta atque illustrata fuerunt. Et sic quidem unice conveniat ei titulus *Περίπλους Εὐξείνου Πόντου* [2]. Septem fragmenta apud Stephanum supersunt [3]. Patet hinc Alexandrum in fluviis ita descripsisse *Hypanin*, ut altero brachio in Maeotin lacum eum influere statueret, altero in Pontum. De *Tanaïde* fluvio et oppido egregie cum Strabone consentit. *Τάναϊς*, ait Stephanus, *πόλις ὁμώνυμος τῷ ποταμῷ. Στράβων ἑβδόμῃ, ὡς Ἀλέξ. ὁ Πολυΐστωρ· »Κατὰ δὲ τὰς εἰς τὴν λίμνην τὴν Μαιῶτιν ἐκβολὰς τοῦ Ταναΐδος πόλις Ἑλληνικὴ ἔκτισται Τάναϊς, ἥτις καὶ ἐμπόριον ὀνομάζεται* [4]." Quae ipsa verba Alexandri esse viden-

---

1) v. *Ἄβιοι* et *Ἰάμοι*. Cf. v. *Ὕλέα*. Ceterum quoties fragmentum Alexandri de gente aliqua, oppido, fluvio sub ipso gentis, oppidi, fluvii nomine ap. Steph. legitur, inutile duco locum in annotationibus indicare; quod semel monuisse satis sit.

2) Similiter Alexander non *Περὶ*, sed *Περίπλουν* scripsit *τῆς ἐρυθρᾶς θαλάττης*. Vid. § 13.

3) Octavum latere videtur in Scholl. Apoll. II. 946, ubi agitur de nomine Sinopes, urbis *ἐν τῷ Εὐξείνῳ Πόντῳ*. Postquam enim monuit grammaticus: *Τὴν τῶν Ἀσσυρίων χώραν Λευκόσυρόν φησι καλεῖσθαι Ἄνδρων ἐν τῷ Περὶ Πόντου, κατὰ ἀντίφρασιν τῶν ἐν τῇ Φοινίκῃ Σύρων*, addit continuo: *ὁ δὲ Τήϊος Ἄνδρων φησὶ κτέ.*, ut opponatur Andron *Teïo* Androni. Sed ita illius quoque patria indicanda erat. Genuinam lectionem esse suspicor: *Ἀλέξανδρος ἐν τῷ Περίπλῳ Πόντου.*

4) Adduntur haec: *ὁ πολίτης Ταναΐτης, καὶ θηλυκῶς Ταναΐτις.* Quae paulum abest quin item Alexandri esse conjiciam, quippe qui vel

tur. Strabo autem, ne dicam de simili loco a Stephano indicato [1]: Ἐπὶ δὲ τῷ ποταμῷ καὶ τῇ λίμνῃ, inquit, πόλις ὁμώνυμος οἰκεῖται Τάναϊς, κτίσμα τῶν τὸν Βόσπορον ἐχόντων Ἑλλήνων· — ἦν δ' ἐμπορεῖον κοινὸν τῶν τε Ἀσιανῶν καὶ τῶν Εὐρωπαίων Νομάδων καὶ τῶν ἐκ Βοσπόρου τὴν λίμνην πλεόντων κτλ. [2]. In ceteris fragmentis sermo est de *Tyra* fluvio et urbe [3], cuius incolae dicti fuerint *Tyrani*, quum appellarentur vulgo Tyritae vel Tyragetae; de *Hagio*, Scythiae loco, quo coleretur Aesculapius; de *Iamorum* gente [4]; de *Hylea* sive Hylaea, regione Ponti, dici solita ab Abiis *Abiçe* [5]; tandem de his *Abiis* ipsis, quorum nomen ab aliis aliunde deductum [6] ab amne quodam *Abiano* derivavit Alexander, ut Diophantus [7], quem scriptorem scimus de terris scripsisse ad septentriones jacentibus [8].

---

in talibus praestare se diligentissimum soleat id quod plurimis exemplis, ex Stephano maxime petitis, § 5 et sequentibus probabitur.

1) VII. p. 477 B. — 2) XI. p. 754 C sq.

3) Cf. Plin. IV. 26. Tyram Milesiorum fuisse coloniam docet Anonymus in *Peripl.* p. 9 ed. Huds. (p. 187 ed. Hoffm.).

4) Cf. Klausen, *Hecat. fragm.* 167, p. 91. — 5) Cf. Plin. l. l.

6) Profecti a loco Homeri, qui est *Iliad.* N. 6, multi in nomine Ἀβίων derivando arguti sibi visi sunt. Posidonii sententiam, Ἀβίους dictos ὅτι χωρὶς γυναικῶν, refert et refutat Strabo VII. p. 455 C sq. Cf. p. 479 A. Alia legas ap. Steph. s. v. et in Scholiis ad Hom. l. l. Add. Etymol. M. v. Ἀβίων p. 3, 20 et Γλακτοφάγος p. 232, 56; Anecd. Bekk. I. p. 323, 17.

7) Steph. Byz. v. Ἄβιοι. Ἀλέξ. ἐν τῷ π. Εὐξ. Π. φησίν, ὡς Διόφαντος εἶπεν, οὕτω λέγεσθαι αὐτοὺς κτέ. Quibus verbis haud scio an significetur Alexandrum ex Diophanto rem cognovisse. Similis est locutio v. Χαλκεῖα. Cf. § 16.

8) Testis est Agatharchides ap. Phot. *Bibl.* p. 454 b 34 ed. Bekk.

§ 4. *Κρητικά.*

Relicta continenti jam tendamus ad insulas, quorum Alexander *Cretam* tractavit et *Cyprum*. Illius commentarii, cuius plures fuere libri, quum *primus* laudetur, memoriam servavit Scholiastes Apollonii [1], versus

ἡ δ' ἀγλαὸν υἱέα Φοίβῳ
τίκτεν, ὃν Ἀμφίθεμιν Γαράμαντά τε κικλήσκουσιν,

hoc scholio interpretatus: Ἀλέξ. ἐν πρώτῳ Κρητικῶν τῇ Ἀκακαλλίδι συνελθεῖν φησὶ τὸν Ἑρμῆν καὶ τὸν Ἀπόλλωνα· καὶ ἐκ μὲν Ἀπόλλωνος γενέσθαι Νάξον, ἐκ δὲ Ἑρμοῦ Κύδωνα, ἀφ' οὗ ἡ πόλις Κυδωνία καλεῖται ἐν Κρήτῃ. τὸν δὲ Ἀκακαλλίδος υἱὸν Ἀμφίθεμιν καὶ Γαράμαντα κληθῆναί φησιν. In postremis [2] postulat sensus, ut ante Ἀκακαλλίδος intexatur Ἀπόλλωνος καί. Interim cernitur ex his, quod aliis multis locis confirmatur, quo studio Alexander veteres μύθους indagaverit et adhibuerit cum ad origines urbium explicandas, tum vero ad locos poëtarum interpretandos, non mera oppidorum, fluviorum, montium recensione contentus. Quod autem Cydoniam ait a *Cydone* nominatam, in eo quidem neminem habet sibi adversantem; sed de *patre* Cydonis alios aliter statuisse, vel ex Stephano apertum

1) IV. 1494. Exscripsit scholion Eudocia v. Κύδων p. 263, sub finem de penu suo quaedam addens. Ad Κρητικὰ Rauchius p. 36 refert locum Stephani v. Ἀλλάρια, quo tamen hodie e Cod. Vratisl. sic legitur: πόλις τῆς Κρήτης. Πολύβιος τρισκαιδεκάτῃ. τὸ ἐθνικὸν Ἀλλαριάτης, ὥς αὐτός φησιν. Cf. Westerm. *Praef.* Steph. p. XXIII. Cuius emendatae lectionis immemor, Rauchius p. 19 refutare studet Wegenerum, opinatum commentarium de Creta fuisse omnium Alexandri librorum geographicorum numero *tertium decimum*.

2) Omissa sunt ab Eudocia, forsitan quod ea non intelligebat.

est, qui Cydoniam, dictam prius Apolloniam, nomen accepisse tradit *ἀπὸ Κύδωνος τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ Ἀκακαλλίδος, τῆς Μίνωος θυγατρός* [1]. Apud Tegeatas vero Cydon ferebatur filius fuisse *Tegeatae*, quos refellens Pausanias: *Κρῆτες*, inquit, *οὐχ ὁμολογοῦντες τῷ Τεγεατῶν λόγῳ Κύδωνα Ἀκακαλλίδος, θυγατρὸς Μίνω, καὶ Ἑρμοῦ φασίν* [2]. Sane vix potuit melius Alexandri in rebus mythicis explorandis et diligentiam laudare et probare auctoritatem.

§ 5. Περὶ Κύπρου.

Stephanus, ubi monuit Cypri oppidum *Chytros* de Xenagorae [3] sententia nomen habuisse a Chytro, Aledri filio, Acamantis nepote, cives docet duobus locis, ex Alexandro petitis, vocatos fuisse *Chytrios*. Ait enim: *ὁ πολίτης Χύτριος. Ἀλέξ. ἐν τῷ περὶ Κύπρου· „τὴν δὲ Γορδίαν ἀποδοῦναι Χυτρίοις", καὶ πάλιν· „Εὐρυνόην τῶν Χυτριῶν βασιλεὺς ἔγημεν". ἀναλογεῖ δὲ τὸ ἐθνικὸν πρὸς τὸ Χύτρος ἑνικὸν, ὡς Κύπριος πρὸς τὸ Κύπρος* [4]. In quibus de *Gordia* et *Eury-*

---

1) v. *Κυδωνία*. Stephano assentitur Scholiastes Hom. *Od*. T. 176, Alexandro Schol. Theocr. VII. 11.

2) VIII. 53. 4. Ut refert idem X. 16. 5 Apollinis et Acacallidis nymphae liberos Elyrii ducebant *Philacidam* et *Philandrum*, cum illa congressum putantes Apollinem in urbe Tarrha et Carmanoris domo. Secundum Nicandrum, teste Antonio *Transform*. XXX., *Ἀπόλλωνος καὶ Ἀκακαλλίδος, τῆς Μίνω θυγατρὸς, ἐγένετο παῖς ἐν Κρήτῃ Μίλητος*. Haec autem Minois filia quum ubivis appelletur *Ἀκακαλλίς*, nullo jure apud Apollodorum *Bibl*. III. 1. 2 novissimi editores nomen *Ἀκάλλην* intactum reliquerunt.

3) Eundem locum ex libro Xenagorae *περὶ νήσων* cogitavit Harpocration v. *Χύτροι*.

4) Equidem ex hac Stephani explicatione haud effecerim, Alexandrum

noë fragmentis, quamvis perexiguis, nemo infitiabitur vestigia inesse manifesta si non doctrinae haud vulgaris, at studii acerrimi, quo Alexander perscrutatus est vetustissimam civitatum historiam. Ceterum creditur quidem vulgo unicus hic esse locus, qui ex commentario *περὶ Κύπρου* supersit, sed addere alterum non dubito. Memorato vetere Cypri nomine *Σφηκείᾳ* Tzetzes: *Ἐκαλεῖτο δὲ*, inquit, *καὶ Κεραστία*, *ὡς Μένανδρος ἐν τῷ περὶ Κύπρου λέγει, διὰ τὸ ἐνοικῆσαι αὐτῇ ἄνδρας, οἳ εἶχον κέρατα· ὡς δὲ Ξεναγόρας ἐν τῷ περὶ Νήσων, διὰ τὸ ἔχειν πολλὰς ἐξοχας, ἃς κέρατα καλοῦσι, Κεραστία μετωνομάσθη* [1]. Sic certe correxit Muellerus ex Codd. et Etymol. M., quod iisdem fere verbis eadem habet [2]. Antea legebatur *ὡς μὲν Ἀνδροκλῆς*, quod nomen ignotum est in historicis [3]. Sed neque *Menandrum* aliquem constat *de Cypro* scripsisse vel simile argumentum tractasse [4]. Etymologicon autem aeque corruptum esse

---

urbi ipsi dedisse nomen *Χύτρον*· si dedit, ei adstipulatur unus Ptolemaeus V. 14.

1) Ad Lycophr. 447. Cum Xenagorae fragmento conjungenda sunt quae ex eo refert Plinius V. 35. Cf. Steph. v. *Κύπρος*.

2) v. *Σφήκεια* p. 738, 48, quae recepit Phavorinus.

3) Tuetur hanc lectionem cum Larchero Bastius *Comment. Palaeogr.* p. 839.

4) Cf. Wegener p. 191, qui satis mire intelligit *Φοινικικὰ* Menandri Pergameni s. Ephesii. Menandros scriptores, quos Muellerus quoque tetigit in *Ind. scriptt. a Tzetz. laud.* p. 151, recensent Vossius et Westermannus *H. G.* p. 466 sq., quorum hic tuetur lectionem Muelleri, laudans Etymol. M. v. *Φυλάσιοι* p. 802, 22. Verum non comparavit Harpocrationem v. *Φυλὴ* (cf. Schol. Aristoph. *Acharn.* 1023), qui eadem, sed plenius et melius exhibens ex Menandri *Δυσκόλῳ*, satis arguit etiam in Etymologico comicum poëtam significari. Conjectura Eberti (*Diss. Sic.* p. 147) *Ἀσκληπιάδης* legentis, nulla omnino veri specie commendatur.

in his potest atque in praecedentibus, ubi *Στέφανος ἐν τῷ περὶ Κύπρου* laudatur, quum laudandus sit cum Tzetza *Φιλοστέφανος* [1]. Verbo, iterum Xenagorae jungendus est socius *Alexander*, reddendaque et Tzetzae et Etymologo germana lectio: *ὡς μὲν* — abesse enim haec particula nequit [2] — *'Αλέξανδρος* [3].

His igitur commentariis Alexander aliquas Europae regiones atque insulas descripsit. Aliorum, si qui fuerunt, memoria omnis interiit. Videamus iam de Asia, et primum de Asia Minore.

§ 6. *Καρικά.*

Καρικῶν ὑπομνημάτων nomine libros Alexandri *de*

---

1) Certum est Philostephanum scripsisse *περὶ Νήσων*. Cf. Voss. p. 123. Tamen Muellerus *Στέφανος* rectius legi opinatur, ideo quod »eadem iisdemque verbis ap. Steph. occurrant;" quibus nescio quid falsius. Primum Stephani verba non leguntur *voce Κύπρος* — nam ita Muellerus verba *ἐν τῷ περὶ Κύπρου* sibi explicavisse videtur — sed *Σφήκεια*. Deinde non sunt eadem, quum simpliciter dicatur: *οὕτω δὲ καὶ ἡ Κύπρος ἐκαλεῖτο. τὸ ἐθνικὸν Σφῆκες. Σφήκειαν δὲ Κεράστειαν τὴν Κύπρον*, quae ultima verba corrupta sunt. Contra in Etymol. sic scribitur: *Σφήκεια, ἡ Κύπρος· πρότερον γὰρ Σφήκεια ἐκαλεῖτο, ὥς φησι Στέφανος ἐν τῷ περὶ Κύπρου, ἀπὸ τῶν ἐνοικησάντων ἐκεῖσε ἀνδρῶν, οἳ ἐκαλοῦντο Σφῆκες.* Nec placet cum Westermanno (*Praef.* Steph. p. XI sq.) ex l. l. statuere, ab Etymologo integrum Stephanum lectum esse. Ad articulam *τῷ* audiendum est *βιβλίῳ* v. s. q. Ita iam Vossius censuit (*H. G.* p. 501), etsi verum non vidit.

2) Non prorsus id fugit Muellerum, quapropter in *Add. et Corr.* p. 302 *ὡς μὲν Μένανδρος* legi posse concessit.

3) De nominibus *'Αλέξανδρος* et *Μένανδρος* permutatis cf. Meinek. *Hist. crit. Com.* p. 488 sq. Quodsi, ut videtur, idem accidit loco Stephani v. *Καππαδοκία*, Alexander fortasse etiam hanc regionem illustravit. Illic enim in verbis: *ὁ κτιστὴς Καππάδοκος εἴρηται ὑπὸ Μενάνδρου* (*comicum* intelligit Westerm.) legere malim *ὑπ' 'Αλεξάνδρου*.

Caria paucissimis designat Scholiastes Apollonii. Narrata enim ex Armenidae *Thebaïcis* fabula de Itono, Amphictyonis filio, in Thessalia nato, dictaque ab eo Itona urbe et Itonide Minerva, sic pergit: *Μέμνηται καὶ Ἀλέξ. ἐν πρώτῳ Καρικῶν ὑπομνημάτων* [1]. In ceteris fragmentis Stephanus nihil fere suppeditat nisi nomina oppidorum, de quibus plerisque alibi vix quidquam legimus. Ut tamen aliqua sit operis *σύνοψις*, illorum argumentum verbo tangam. Dicuntur igitur *ἐν Καρικῶν πρώτῳ* sive *ἐν πρώτῳ περὶ Καρίας* memorata fuisse oppida *Caropolis* et *Naxia* [2], *ἐν δευτέρῳ* *Amus*, *Argila*, *Dyndason*, item *Calynda*, *Labara*, *Mumastus* [3], *Tymnus*. Tandem omisso et

---

1) I. 551. Alexander *ὁ περὶ Καρίας γράψας* memoratur ab eodem I. 925, ut monui supra p. 95. De re l. l. atque ab aliis multis exposita vid. Steph. Byz. v. *Ἴτων* et Etymol. M. v. *Ἰτωνὶς καὶ Ἰτωνία*. Cf. Unger *Theb. Parad.* I. p. 455 sq. Quo notior res, eo magis mirum apud Suidam legi: *Ἰτώνη καὶ Ἰτωνία, ἡ Ἄρτεμις*, ibique a Kustero I. p. 158 Scholiastam Apollonii laudari. Suidae turpissima negligentia vel ex Stephano manifesta est, qui monet v. *Χιτώνη· οὕτως ἡ Ἄρτεμις λέγεται, καὶ Χιτωνία.*

2) Exciderat h. l. e Codd. nomen *Ἀλέξανδρος*, nunc iure ac merito restitutum. Iam Suidas, vel is quem Suidas exscripsit, illud non legisse videtur, quum v. *Νάξης* misere commisceat quae habet Stephanus v. *Ναξία* et *Νάξος*, ignotum sibi scriptorem designans verbis *ὁ γράψας*, pro quibus Holstenius frustra coniecit legendum esse *ὁ γὰρ ἐν τοῖς Ἐθνικοῖς γράψας* vel *ὁ γὰρ Ἐθνικογράφος*. Nuper Gaisfordius totum illum Suidae locum expulit.

3) Legitur ap. Steph. *Μούμαστος, ὡς Βούβαστος, πόλις Καρίας*, sed vitiose. *Bubastus*, ab Herodoto (II. 59) *Bubastis* dicta, Aegypti fuit oppidum, sicuti ipse Stephanus s. v. docet. Quae vero Cariae urbs l. l. designatur, — *regionem* Cariae vocat Plinius V. 29 — ei nomen fuit *Bybassus*, secundum Ephorum *Bybastus*. Vid. Steph. v. *Βύβασσος*. Ex Ephoro igitur l. l. emendandum: *Μούμαστος, ὡς Βύβαστος.*

tituli et libri indicio ex Polyhistore mentio fit de Cariae urbe *Alindis*, quod *χωρίον τῆς Καρίας ἐν τοῖς ὀχυρώτατον*, ut ab Arriano appellatur, ex historia Alexandri M. notum est [1]. De *Cabalide* nihil dirimo. Potuit huius urbis memoria alibi facta esse. Difficile enim est Phrygiae, Lydiae, Cariae et Mysiae partes inter se concurrentes discernere, quod iam Strabo animadvertit [2]. *Οὐδ' ἡμῖν ἴσως*, ut cum eodem dicam, *ἐπὶ τοσοῦτον φροντιστέον.*

§ 7. *Λυκιακά. Περίπλους Λυκίας.*

De rebus Lyciae minimum *quatuor* libris absolverit Alexander necesse est, si corruptum Stephani locum, qui potest vix alio pertinuisse, recte emendavit Meinekius [3]. Vulgaris lectio haec est: *Τρεμίλη. ἡ Λυκία ἐκαλεῖτο οὕτως. οἱ κατοικοῦντες Τρεμιλεῖς ἀπὸ Τρεμίλου, ὡς Πανύασις. — Ἀλέξανδρος δὲ τελευτήσας* τούτους δὲ τοὺς Τρεμιλέους Λυκίους Βελλεροφόντης μετωνόμασεν.* Corrigit Alexandri fragmentum Meine-

---

1) *Exp. Alex.* I. 23. 8. Cf. Strab. XIV. p. 971 A.

2) XIII. p. 932 C. Idem p. 934 C: *Τὰ δ' ἑξῆς*, inquit, *ἐστὶ τὰ πρὸς δύσιν, ἡ τῶν Ἀντιοχέων πόλις τῶν ἐπὶ Μαιάνδρῳ τῆς Καρίας ἤδη· τὰ δὲ πρὸς νότον ἡ Κίβυρά ἐστιν ἡ μεγάλη, καὶ ἡ Σίνδη, καὶ ἡ Καβαλὶς, μέχρι τοῦ Ταύρου καὶ τῆς Λυκίας.* In quibus pro *Σίνδη* legendum videtur *Σινδησσὸς*, cuius urbis Stephanus meminit s. v. De Cabalide, quam Pisidiae tribuit Forbiger II. p. 323 sq., 330 sqq., cf. Strab. p. 933 C. Omnino ab antiquis loca multa alio sunt ab aliis relata. Exempla vide ap. Preller. *Polem. fragm.* p. 66. Ceterum Alexandri fragmentum, a Westermanno et Rauchio ad locos incertae sedis relatum, his verbis ap. Steph. legitur: *Καβαλὶς, πόλις πλησίον Κιβύρας, πρὸς νότον Μαιάνδρου. — ὁ πολίτης Καβαλεύς. — καὶ θηλυκῶς (Καβαλίς). — ὁ δὲ Πολυΐστωρ Ἀλέξανδρος Καβάλισσάν φησι τὸ θηλυκὸν, εἶναι δὲ το γένος αὐτὴν Ὀλβίαν·*

3) *Exercitt. in Athen.* I. p. 54. Cff. eiusdem *Anall. Alex.* p. 368.

kius: *'Αλέξ. τετάρτῳ· »Τελευτήσας τάδε τοὺς Τρεμιλέας* [1] *Λυκίους Βελλεροφ. μετωνόμασεν.*" Quod non placet. Facillima sane nec rara est numeri *δ'* cum copula *δὲ* permutatio; sed primum haec copula abesse ab hoc loco non potest, quum satis apertum sit Alexandri testimonium aliquatenus diversum fuisse a testimonio Panyasidis et huic quasi opponi. Deinde origo nominis Lyciae et Lyciorum commodius explicata fuerit statim initio operis, quam quarto demum libro. Accedit — nam attendenda et ponderanda omnia — quod ex 24 *Lyciacorum* fragmentis 12 ad *primum* vel *alterum* librum spectant, *tertius* vel *quartus* laudatur nusquam. Nec felicius verba Alexandri emendata videntur, quem narravisse Lycios, quum antea vocarentur Tremilenses, Bellerophonte auctore ita appellatos fuisse, mihi non persuadeo. Lycios enim dictos constat a Pandionis filio *Lyco*, diu post Bellerophontem, cuius ex filia nepos Sarpedon *Τερμίλας* eos nuncupasse fertur [2]. Id vero Alexander neque ignorare potuit nec negare. His de causis equidem non abeo in sententiam Meinekii, quamquam locus corruptissimus quomodo reficiendus sit non perspicio. Atque haec hactenus.

Ex oppidis Lyciae, quae olim 70, postea 36 fuisse traduntur [3], Stephanus scribit Alexandrum tetigisse

1) Sic hoc nomen iam emendavit Holstenius *Nott. et Castigatt.* p. 328, qui p. 317 recte monet: »*Τερμίλην* et *Τερμέραν* easdem fuisse efficere licet e Stephano: *Τερμέρα. πόλις Λυκίας, ἀπὸ Τερμέρου. ὁ πολίτης Τερμερεύς. Ἡρόδοτος δὲ Τερμίλας αὐτοὺς καλεῖ ἐν τῷ πρώτῳ* (c. 173). *ὁ δὲ χρησμὸς ὁ περὶ αὐτῶν Τερμελέας αὐτούς φησι.*" Cf. Unger l. l. p. 259 sq.

2) Herod. l. l. et VII. 92. Cff. Strab. XII. p. 858 B sqq., XIV. p. 983 A, Pausan. I. 19. 3. E Strabone hausit Eustathius *Iliad. B.* p. 369.

3) Plin. V. 28.

primo libro *Gagas*, quas etiam *παλαιὸν τεῖχος καὶ χώραν* dixerit [1], *Erymnas*, *Oenoanda*, *Sidyma* a *Sidymo* et *Molyndeam* a *Molyndaeo* nominatam, *Tymnissum* [2]. Egit eodem libro de Telandro, quod oppidum ei *Telandria* atque *οὐδετέρως Telandrum* appellatum est, deque *Lamo*, fluvio Ciliciae, et regione adjacente *Lamusia*. Absolvit *altero* libro de urbibus *Araxa* et *Hylamis* [3], *Cochliusa* insula, ita nominata *διὰ τὸ κοχλιοὺς ἐν αὐτῇ εὑρίσκεσθαι*, *Crago* monte,

1) Cf. Forbiger p. 261 sq.

2) Holstenius l. l. p. 332 commendat lectionem *Τυμνησσὸς*, quae omnino probanda est. Etiam v. *Τελμισσὸς* ap. Steph. scribendum videtur *Τελμησσὸς*, quomodo e Graecis v. c. ab Herodoto, e Latinis a Cicerone et Plinio vocatur. Alioqui prorsus non video quid faciamus loco Stephani v. *Ἀγορησὸς*, ubi lego ex edit. Westerm.: *Ἀγορησὸς, πόλις Καρίας. — τὸ ἐθνικὸν Ἀγορησεὺς, ὡς Τελμισεὺς, Τυμνησὸς Τυμνησεύς. δύναται καὶ Ἀγορήσιος, ὡς Αυρνήσιος.* Ut sibi constaret Westermannus, vel hic *Τυμνισσὸς Τυμνισσεὺς* edere debuerat, vel v. *Τυμνισσὸς* literam *ι* in *η* mutare vel utrobique simplici *σ* scribere *Τυμνησὸς Τυμνησεύς*. Nec convenienter illis cum alibi alia scripsit tum v. *Ἀκαλησσὸς, Ἀκαλησσεὺς, ὡς Τυμνησσεὺς, ἢ Ἀκαλήσιος*· v. *Αυρνησσὸς, Αυρνήσσιος*· v. *Σινδησσὸς, ὡς Τελμισσὸς, πόλις Καρίας*. Una omnium illorum locorum et certa medela haec est, ut ubivis reponamus scripturam *ησσ*, legentes *Ἀγορησσὸς, Ἀγορησσεὺς, Τελμησσὸς, Τελμησσεὺς κτἑ.*

3) Quae sequuntur ap. Steph. depravata sunt. *Εἶτα Διονύσιός φησι Τούβεριν καὶ Τέρμεριν δύο ἀδελφὰς γῆμαι καὶ γεννῆσαι δέκα ἄῤῥενας ἑκάτερον. ὑλάμους δὲ τοὺς καρπούς φασι.* Pro *Τέρμεριν* legam *Τέρμερον*, ut intelligatur praedator ille, qui, ut ait Photius, *πόλιν ἐν ἄκρᾳ τινὶ τῆς Μυνδίας κτίσας ἑαυτοῦ ἐπώνυμον, ἐντεῦθεν ἐλῄστευσεν ὁρμώμενος.* Cff. quos laudat Schneidew. ad Zenob. VI. 6. Huic Termero socius dandus est, ut fuit, non quidem ignotus omnibus *Τούβερις*, sed *Λύκος*. In nomine *Διονύσιος* haesit iam Westermannus. Nec genuinum puto. Fortasse scribendum: *εἶτα δὲ αὐτός (ὁ αὐτός) φησι*, ut tota narratio Alexandri sit, qui urbem *Ὑλάμους* appellatam dixerit ab *ὑλάμοις* i. e. *υἱοῖς* Lyci et Termeri. Hunc fuisse sensum loci efficio; reliqua non expedio.

ubi essent *θεῶν ἀγρίων* antra, dicto a Tremili et Praxidicae filio [1], tandem de *Lyrnatia*, peninsula et oppido. Non indicato libro Stephanus e *Lyciacis* Alexandri commemorat *Glauci demum*, de *Glauco* heroë nuncupatum [2], *Melaenas*, *Phellum* et *Antiphellum* [3], quae oppida alii referebant ad Pamphyliam quorumque incolas, ut iterum diserte dicitur, Alexander et Polycharmus *Phellitas* et *Antiphellitas* appellarunt; commemorat etiam *Sebeda*, portum Lyciae. Neque insulae in Lycio mari sitae omissae fuere, quarum *Macram*, *Megistam* et *Dolichistam*, quae Callimacho dicta est Doliche [4], memoratas videas. Atque hinc maxime explicatur *Περίπλου* inscriptio [5]. Horum autem locorum omnium quum brevissima exstet apud Stephanum memoria, idem de *Daedalis* agens causam etiam ex Alexandro addit, cur de Icari filio urbs appellata fuerit. Praestantissimum vero est fragmentum, quo *Patarorum* explicatur origo ac nomen, quod secundum Alexandrum non ducendum est ab Apollinis filio Pataro, sed a *πατάρᾳ* i. e. *κίστῃ*, qua Salacia virgo ex Ophionide sacra attulerit Apollini [6].

---

1) Pertinet huc locus Steph. v. *Τλῶς*. Cf. porro Meinekius *Exercitt.* laud. p. 53.

2) Additur: ὁ *δημότης Γλαυκοδήμιος*. Forbiger l. l. p. 253 *Γλαύκου δῆμος* Germanice interpretatur *Volk des Glaucos!*

3) v. *Φελλός*. Non laudato Polyhistore, eadem Stephanus docet v. *Ἀντίφελλος*. Cf. Forbiger p. 255 sq., 258.

4) Ap. Plin. quoque, cui fuit in multis Alexander dux, *Dolichiste* dicitur V. 35.

5) Sic inscribit commentarios de Lycia Stephanus v. *Δολιχή*, *Μάκρα* et *Σέβεδα*, quo tamen loco simpliciter *ἐν Περίπλῳ* laudatur. Rauchius p. 17 et 27 a *Περίπλῳ Λυκίας* distingnit *Λυκιακά*. Mihi illa germana esse operis inscriptio videtur.

6) A Stephano deprompsit fabulam Eustathius ad Dionys. 129. Apud

Denique *Olen* poëta, auctoritate Callimachi et Polyhistoris, quibus praecessit Herodotus [1], a Suida negatur Dymaeus fuisse vel Hyperboreus, sed patria eidem vindicatur *Lyciae Xanthus* [2].

Diutius fortasse nos tenuere *Lyciaca*, nedum tamen mittere ea licet, quoniam non alio pertinere videtur corruptus locus Stephani, qui: *Λύλη*, inquit, *πόλις Ἀρκαδίας. Ἀλέξ. δευτέρῳ περὶ Λυκωρείας. τὸ ἐθνικὸν Λυλαῖος.* Ignotum est oppidulum *Lyle*, cuiuscunque fuit regionis, notior *Lycorea*, quam *κώμην ἐν Δελφοῖς ἀπὸ Λυκωρέως τοῦ βασιλέως* ipse Stephanus s. v. appellat, unde Apollo cepit nomen *Λυκωρείου* vel *Λυκωρέως* et Delphi *Λυκωρεῖς* dicti sunt [3]; sed parum credibile est, Alexandrum, quem non constat alias illustrasse Graeciae regiones, duobus libris de uno oppidulo absolvisse. Quod quum nec Rauchium praeteriret, is non veram quidem ob causam [4], sed mutandum nomen *Λυκωρείας* censuit in *Λυκαονίας*, coniecturam suam eo tuitus, quod »Lycaoniam Asiae Minoris provinciam ab Lycaone *Arcade*,

---

llum in verbis: *ὠνομάσθαι δὲ τὴν χώραν ἀπὸ τοῦ ἄγγους τοῦ πατάρας Πατάρα, μεθερμηνεύεσθαι δὲ τὴν πατάραν ἑλληνιστὶ κίστην*, ferri glossema *τοῦ ἄγγους* non potest. Legendum: *ὠνομ. δ. τ. χ. ἀπὸ τῆς πατάρας Πατάρα κτέ.*

1) IV. 35. — 2) Suid. v. *Ὠλήν*.

3) Suidas: *Λυκωρεὺς, καὶ Λυκώρεια, ὄνομα πόλεως*, sed *κώμην* vocat etiam Scholiastes Apollon. Rh. IV. 1490. Ad Lycoreum montem post diluvium appulit Deucalion, teste Luciano *Tim.* III. Cf. praeter Rauchium p. 18 Meinekius *Anall.* p. 96, Car. Müller *Annot. ad marm. Par.* p. 557 sq., addita ad edit. *Fragm. Hist. Graec.*

4) Nam opinatus Corn. Alexandrum libros edidisse *de oraculo Delphico*, qui fuerunt Anaxandridae Delphi, (Cf. *Symb. litt.* IX. p. 123 sqq.) quaerit: »Quid? Num Alexander de vico ac regione Lycorea unum librum conscripsit, de Delphico autem oraculo alterum?"

qui ibi urbem condiderit, nomen accepisse auctor est Eustathius" [1]; unde »*potuit* Alexander in describenda Arcadiae colonia exponendisque eius fabulis *facillime* patriae urbis mentionem facere." Sane potuit Alexander facillime, modo re vera scripserit *περὶ Λυκαονίας* et *duobus* libris scripserit. Neutrum mihi videtur, etsi Asiae Minoris nullam regionem ab Alexandro praetermissam puto. Adeo ignobilis fuit Lycaonia, ut vix intelligatur, quomodo *uno* libro de ea exponentem non defecerit Alexandrum materies; iterum dicam, adeo ignobilis fuit, ut soleat a plerisque pro provincia singulari non haberi. Multum hac in re tribuam Stephano, sedulo Alexandri sectatori, cui pariter *Λυκαονία* est *χώρα Λυκίας τε καὶ Ἰσαυρίας*. In his adeo si rursus Alexandrum sequitur, ad libros de Lycia debent referri quae de Lycaonia narrantur. Utcunque est, quum probum esse nomen *Λυκωρείας* nequeat, haud dubie profectum a librario, cogitatione adhuc volvente quae statim ante de hoc oppidulo descripserat, neque ullum satis probabile argumentum adsit, ex quo coniicias Alexandrum duobus minimum libris res Lycaoniae exposuisse, alia ratio ineunda videtur. Legendum, quod iam alii viderunt, *περὶ Λυκίας*. Num simul pro *Ἀρκαδίας* corrigendum sit *Λυκαονίας*, in re incertissima statuere nolim, sed suspicor tamen [2].

1) Ad Dionys. 857.

2) Etiamsi Lyciae et Isauriae partem Stephanus Lycaoniam facit, scribere potuit: *Λύλη*, *πόλις Λυκαονίας*, ut e. g. scripsit v. *Λάρανδα* et *Πίτνισσα*, modo ipsum istud *Λύλη* genuinum sit vocabulum. Dicam quod mihi fere persuasum est, reputanti quam similis sit forma literarum *Δ* et *Λ* et quam saepe earum permutatio veram lectionem obscuraverit; cuius rei exempla praebent Bastius l. l. et Schaeferus ad Gregor. Cor. Videtur Stephanus ipse *ἀδιορθώτῳ* libro usus (Cf. infra § 12) *Λύλην*

§ 8. *Περὶ Κιλικίας.*

Uno loco Stephanus Polyhistorem *ἐν τῷ περὶ Κιλικίας* testem citat, ubi meminit *Aphrodisiadis*, cuius urbis nomen Alexander duxerit ab *Aphrodite*, praeëunte in *Historiis* Zopyro [1]; quo sensu etiam Plinius [2] promontorium et *oppidum Veneris* memorat, a quo proxime Cyprus insula. Sed tacito titulo alia ex eodem opere deprompta sunt, quae velut in transitu tangere iuvat. Appellavit Alexander *Laërten ὄρος καὶ πόλιν* [3]. exposuit de *Chrysopoli* et *Seleucia τῇ τραχείᾳ*, dicta a *Seleuco* Nicatore, quum vocaretur antea *Olbia* et

---

vocasse, quae esset *Αὐλή*, consimili errato, quo illum puto in *Isauricis* Capitonis legisse *Δαλίσανδα*, quum alios testetur *Δαλίσανδα* hanc urbem appellavisse, immemor tamen Ptolemaei, qui V. 7 *Δαλισανδὸν* nominat. *Αὐλαί*, uti ex Stephano discas, fuere *Λυκίας χωρίον*. Pluralis numerus cum singulari permutatus in nomine oppidi offendet neminem. Exempla sunt innumera. Sic *Συκαὶ* dictae *Συκή*, *Λήρισσαι* Herodoti (I. 149) *Λάρισσα*. Nec male formatur a nomine *Αὐλή* gentile *Αὐλαῖος*, quamquam monet Stephanus: *εἰ δ' ἑνικῶς ἐλέγετο Αὐλή*, *ὤφειλεν Αὐλέτης ἢ Αὐλίτης*. Cf. Steph. v. *Δύμη*.

1) Idem in *Parall. Min.* XXXVI laudatur *ἐν τρίτῳ Ἱστοριῶν*, non *Ἱστορικῶν*, qui titulus etiam Chrysermi commentariis male datur c. X. Vocatur illic *Byzantius*. Ad *Historias* pertinere credo quae refert Marcellinus *Vit. Thuc.* XXXII. Sed plura edidit Zopyrus, quod non tam indicat Stephanus l. l., ubi verba *γράφων καὶ Ἱστορίας* mutanda sunt in *γράφων ἐν Ἱστορίαις*, quam ad *Iliad K.* 274. (p. 288 a 4 Bekk.) Porphyrius. Non alius enim esse videtur qui ibidem affertur testis *ἐν τετάρτῳ Μιλήτου κτίσεως* et tacito opere *Ω.* 139; non alius qui scripsit *τὰ περὶ ποταμῶν*. Vid. Harpocrat. v. *Ἕρμος*. Ceterum quod historicum Zopyrum ab auctore Theseïdos Westermannus non distinguit (ad Voss. p. 511 n. 39), id jure faciat an injuria, non dijudico.

2) V. 22.

3) Cf. Strab. XIV p. 986 A, cui *Laërtes* est *φρούριον ἐπὶ λόφου μαστοειδοῦς, ὕφορμον ἔχον*.

Hyria; tandem *Tarsum*, Ciliciae oppidum nobilissimum, ita nominatam tradidit quod Pegasus ibi τὸν τάρσον fregerit [1].

§ 9. Φρυγιακά.

Tertio περὶ Φρυγίας libro, ut Stephanus testatur, Alexander meminit *Pharnacii* oppidi; tradidit *Acmoniam* conditam esse ab *Acmone*, filio Manis [2]; *Galli* fluvii accolas vel *Potamogallitas* vocari dixit vel *Potamogallenos*, testibus usus Timotheo [3] et Promathida Heracleota [4], fluvium ipsum antea *Tyram* appellatum

---

1) Nominis originem, uti fit, alii aliunde repetivere; qua de re vid. Steph. s. v. et *Chron. Pasch.* p. 71 Dind. quaeque ad h. l. annotantur II p. 251. Tarsi conditorem Polyhistor in Χαλδαϊκοῖς Senecheribum fuisse dixit (Cf. § 17), in his fortasse Assyriorum, ut in illis Graecorum traditiones secutus.

2) Legitur ap. Steph.: κτίσαι δ' αὐτὴν Ἄκμονα τὸν Μ α ν έ ω ς. At *Maneus* iste vereor ne nusquam terrarum sit cognitus. Scribendum *Μάνου*, ut est v. *Μανήσιον*, quae urbs a *Mane*, εὐπόρῳ κτίστῃ, cepisse nomen traditur. Eundem puto qui ap. Plutarch. *de Is. et Osir.* XXIV dicitur ἀγαθὸς ἀνὴρ καὶ δυνατὸς, Phrygiae Rex antiquissimus: ibi enim non *Μάνις* legendum, sed *Μάνης*, usitatissimum apud Phryges nomen viris, ut feminis *Μανία*, quod et plurimis exemplis probatur et testimoniis Strabonis VII p. 467 A atque Machonis ap. Athen. XIII p. 578 B. *Acmon* is esse videtur quem in Dactylis Idaeis memorat Strabo X. p. 726 A. Frater illi Doeas fuit. Vid. Steph. v. *Δοίαντος*.

3) Neglecto hoc fragmento, quod e Cod. Vratisl. restitutum a Passovio Dindorfius edidit, Westermannus ad Voss. p. 506 sq. non monuit, hunc Timotheum esse *non ignobilem theologorum virum*, qui scripsit *super Magna Deorum Matre superque sacris eius*, ut docet Arnobius V. 5. Falso ad eundem Timotheum Reinesius (Westerm. p. 507 n. 23) retulit locum Macrobii, qui est *Saturn.* I. 17 p. 288 ed. Bip. Significat enim Macrobius *poëtam* Timotheum, quo nomine eum appellat VII. 16. p. 279.

4) De Promathida egere Weichertus *üb. Apollon. v. Rh.* p. 249 sqq. et Westerm. l. l. p. 492. Fragmenta collegit Orellius *Memn. Hist. exc.* p. 103 sq. *Προμαχίδας* scribitur in scholiis ad Apollon. I. 1126, ut ap. Eudoc. p. 103 et 234, sed reponendum *Προμαθίδας*, forma pa-

a *Gallo* nomen duxisse, ab eoque *Gallos* appellatos, qui virile membrum sibi abscinderent [1]. Ἐν γ' Φρυγιακῶν exposuit ex antiquis fabulis, *Marsyas* fluvius cur primum πήγη Μίδου nuncupatus fuerit, deinde Marsyas [2]. Praeterea ex Alexandri Συναγωγῇ τῶν περὶ Φρυγίας Auctor libelli *de Musica*, qui solet Plutarchi nomine edi, refert κρούματα Ὄλυμπον πρῶτον εἰς τοὺς Ἕλληνας κομίσαι, ἔτι δὲ καὶ τοὺς Ἰδαίους Δακτύλους· Ὕαγνιν δὲ πρῶτον αὐλῆσαι, εἶτα τὸν τούτου υἱὸν Μαρσύαν, εἶτ' Ὄλυμπον· ἐζηλωκέναι δὲ τὸν Τέρπανδρον Ὁμήρου μὲν τὰ ἔπη; Ὀρφέως δὲ τὰ

---

tronymica nominis Προμαθεὺς sive Προμηθεὺς, unde in iisdem scholiis II. 815 Προμηθίδας appellatur. Vixit ante Apollonium vel suppar ei fuit aetate; quod quum luculente appareat ex Schol. Apollon., qui II. 911 narrationem huius poëtae de sepulcro Stheneli fluxisse ait ex Promathidae opere περὶ Ἡρακλείας (cf. I. 1126), mirum utique videri debet, aetatem Promathidae *paulo ante tempora Augustea* poni a Passovio in *Symbb. critt.* (Steph. Byz. ed. Dind. I. p. LXVII). Fortasse Passovium fefellit locus Athenaei XI. p. 489 B, ubi Promathidae cuiusdam fit mentio, ἐξηγουμένου τὴν κατὰ τὸν Διονύσιον διάταξιν i. e. *Nestorida* Thracis sive Rhodii Dionysii, qui Pompeii fuit aequalis.

1) Steph. Byz. v. Γάλλος, cuius loci initium, quum antea obliteratum esset Timothei nomen, hodie recte sic editur: ποταμὸς Φρυγίας. οἱ περίοικοι κατὰ μὲν Τιμόθεον Ποταμογαλλῖται, κατὰ δὲ Προμαθίδαν Ποταμογαλληνοί, οὓς παρατίθεται ὁ Πολυΐστωρ ἐν τῷ περὶ Φρυγίας τρίτῳ. Quae vero statim sequuntur, ea quis sana esse putet? Καὶ ὅτι τὸν Γάλλον καὶ τὸν Ἄττιν ἀποκόψαι τὰ αἰδοῖα· καὶ τὸν μὲν Γάλλον ἐλθεῖν ἐπὶ τὸν Τύραν ποταμὸν καὶ οἰκῆσαι, καὶ τὸν ποταμὸν Γάλλον καλέσαι. ἀπὸ ἐκείνου γὰρ τοὺς τεμνομένους τὰ αἰδοῖα Γάλλους καλοῦσι. Vocula ὅτι, nisi otiosa sit, fortasse iterum obliteratum est Timothei nomen, et verba priora sic refingenda: καὶ ὅτι ὁ Τιμόθεος τὸν Γάλλον καὶ τὸν Ἄττιν (ellipsi solita verbi φησίν) ἀποκόψαι κτέ. Quae huc non pertinent: τὸν δὲ Ἄττιν aliaque, jure omissa sunt.

2) Plutarch., qui dicitur, *de fluv.* X. 1. Cff. quos laudat Unger *Theb. Parad.* p. 92.

μέλη [1]. Ad *τὰ περὶ Φρυγίας* pertinet porro locus Stephani de *Metropoli*, Phrygiae oppido a Matre Deûm condito. Nec possunt commode alio referri quae idem ex Alexandro excerpsit de *Ambaso*, Phrygum metropoli, cuius civis dictus fuerit *Ambasita*, deque *Manesio* et *Mantalo*, de conditoribus *Mane* et *Mantalo* nominatis. Tandem tenentes, Phryges Thracum fuisse colonos atque magnam partem e Thracia sua transtulisse sacra, ut etiam *Sabazii* cultus in Phrygia in primis esset solennis [2], quidni in *Φρυγιακοῖς* narratum esse credamus, in Thracia solitum eundem haberi Solem atque Liberum, quem *Sebazium* (l. *Sabazium*) nuncupantes magnifica religione celebrarent [3]. Minus certum est, e *Phrygiacis* an aliunde petita sint quae de *Marsya*, Phoeniciae oppido, apud Stephanum narrantur, cui nomen dederit Marsyas. Si enim, quod satis probabile est, Alexander ut Palaestinam, Syriam, Indiam, ita Phoeniciam quoque illustravit, ad *τὰ περὶ Φοινίκης* locus ille referatur oportet [4].

---

1) c. V. Plura ad Alexandrum pertinere videntur, quum aliquot versibus post legatur: *ἄλλοι δέ τινες τῶν συγγραφέων. Hyagnidis Phrygis*, tibiarum inventoris, mentio est in *Marm. Par.* Ep. 10 vs. 19. Ceterum ex hoc loco effecit Vossius, Alexandrum »exarasse librum, quo Phrygios musicos collegit.''

2) Strab. X. p. 721 B, p. 722 A. Hinc etiam *Σαβάζιος Phryx* Deus dicitur ab Aristoph. fr. 478 Dind. Cf. Eustath. ad Dionys. Per. 1069.

3) Macrob. *Saturn.* I. 18. Reliqua huius fragmenti parte aedes describitur Sabazio dicata, quem Deum eundem fuisse ac Liberum Patrem, etiam apud Thraces (cf. Aristot. ap. Macrob. l. l.), multorum testimoniis constat. Tantum Mnaseas Bacchi *filium* Sabazium vocavit, qua de re vid. Mehler *Mnas. fragm.* p. 40, 97 sq.

4) Operis nobis ignoti esse putat Westerm. l. l. p. 189 n. 29. Rauchius in fragmentis *incertae sedis* laudat Stephanum v. *Μαρσύα. Φοινικικὰ* ideo magis intelligenda suspicor, quod cum Philone affertur testis,

§ 10. *Περὶ Βιθυνίας.*

Duo sunt veterum de hoc libro testimonia, Auctoris *Etymologici M.* et Stephani, quorum hic ex Alexandro tradit *Callipolin* fuisse *πολίχνιον Λαμψάκου, ἐν τῇ περαίᾳ τῆς Χεῤῥονήσου ἐπ' ἀκτῆς κειμένην* [1], ille *Rheam* appellatam fuisse *Cybelen* de *Cybelo*, Phrygiae monte [2]. De coniectura, sed satis certa, his fragmentis tertium addo, a Stephano servatum, quo clarum Hannibalis morte oppidum *Libyssa* dicitur

---

cius, praeter *σύγγραμμα περὶ Ἰουδαίων* et *Αἰθιοπικὰ*, etiam memorantur *Φοινικικά*. Cff. Voss. et Westerm. p. 254 sq.

1) Quatuor v. *Καλλίπολις* recensentur huius nominis urbes, *δευτέρα κατὰ τὸν Ἀνάπλουν*. Rauchius legisse *δευτέρᾳ* videtur. Laudat certe ex hoc loco Alexandri librum *secundum περὶ Βιθυνίας*. *Tertia* urbs Siciliae, Cariae *quarta* fuisse dicitur. *Quintam* vero, Arcadiae, Stephanus ipse memorat v. *Κόραξ*, quod jam Holstenius observavit. Addere *sextam* Stephanus poterat praetermissam et l. l. et v. *Νάξος*. Naxum enim olim nomen habuisse *Callipolin* scribit Plinius IV. 22.

2) Totum fragmentum adscribam. *Κύβελον, ὄρος ἐν Φρυγίᾳ, ἔνθα τῆς Μητρὸς, τῆς Κυβέλης, ἱερὸν ἅγιόν ἐστιν. Ἀλέξ. δὲ ὁ Πολυΐστ. ἐν τῷ περὶ Βιθυνίας· „Ἔοικεν οὖν Κυβέλη ἀπὸ τοῦ ὄρους κληθῆναι.“* Hinc Stephanum emenda v. *Κυβέλεια*, ubi: *Ἔστι καὶ Κύβελα Φρυγίας*, inquit, *καὶ Κύβελον ἱερὸν, ἀφ' οὗ Κυβέλη ἡ Ῥέα λέγεται Κυβεληγενὴς καὶ Κυβελίς.* Non *παρὰ τὸ Κύβελον ἱερὸν* Rhea dicta *Κυβεληγενὴς*, sed *παρὰ τὸ Κύβελον ὄρος*, ut in Etymologico, sive *τὰ Κύβελα ὄρη*, ut alibi scribitur, unde *ὀρεία μάτηρ θεῶν* appellatur ab Eurip. *Helen.* 1301. Stephani locum pleniorem excerpendo corrupit Epitomator. Lege: *Κύβελον ἱερὸν καὶ ὄρος, ἀφ' οὗ Κυβέλη ἡ Ῥέα λέγεται καὶ Κυβεληγενὴς καὶ Κυβελίς.* Si qua est Tzetzae fides (Lycophr. 1170) Hipponax Rheam vocavit *Κύβηλιν παρὰ τὸ ἐν Κυβέλλᾳ, πόλει Φρυγίας, τιμᾶσθαι*, in quibus neque vox *Κυβέλλᾳ* proba est, pro qua unus Codex *Κυβέλλῃ* suppeditat. Insuper hoc verbo moneam, a voce *κύβος* Deae nomen deduci ab Io. Laur. Lydo *de ann. et mens.* p. 128 ed Roeth.

φρούριον Βιθυνίας ἐπιθαλάσσιον [1]. Ceterum de *Bithyniacis* Corn. Alexandri certi quidem nihil scimus, sed Straboni, si quid video, ea in Bithynia describenda fons fuere primarius [2].

§ 11. *Περὶ Παφλαγονίας.*

De hoc commentario paucissimis absolvere licet, quoniam praeter commemorationem *Daridnae* oppidi, cuius civis appellatus sit *Daridnaeus*, ex *τῷ Περὶ Παφλαγονίας* Stephanus fabulam tantum recepit de *κτίσει* urbis *Gangrae*; *θηλυκῶς* enim scripsit Alexander. Ipsam fabulam repetere non opus sit. Sufficiat monuisse urbem, alto in colle sitam, de nomine caprae nuncupatam esse. Auctorem narrationis Alexander laudavit nescio quem *Nicostratum*.

Percurrimus Asiae Minoris partes, de quibus Alexandrum exposuisse constat. De Mysia etiam, Lydia, Cappadocia, ceteris regionibus scripserit necne, explorare nec iuvat nec prodest quidquam. Asiam pro-

---

1) *Χώριον* vocatur a Pausan. VIII. 11. 11, quo loco etiam originem nominis explicat. Cf. Suid. v. *Ἀννίβας*.

2) Efficio inde quod de iisdem similia narrat. Nam de Callipoli XIII. p. 881 B: *Ἐν δὲ τῇ περαίᾳ*, inquit, (sic Casaub. legi jussit pro *στερεᾷ* et *στεῤῥᾷ*) *τῆς Χεῤῥονήσου πολίχνιον Καλλίπολις· κεῖται δ' ἐπ' ἀκτῆς, ἐκκειμένης πολὺ πρὸς τὴν Ἀσίαν καὶ τὴν Λαμψακηνῶν πόλιν, ὥστε τὸ δίαρμα μὴ πλέον εἶναι τετταράκοντα σταδίων.* Et paulo ante de Cybelo monte: *οἱ δ' ἀπὸ τετταράκοντα τῆς Λαμψάκου σταδίων δεικνύουσι λόφον, ἐφ' ᾧ Μητρὸς θεῶν ἱερόν ἐστιν, ἅγιον τῆς Ῥείης ἐπικαλούμενον.*

3) Laudato Polybistore Stephanus v. *Ἄγκυρα* eiusdem fabulae iterum meminit, quem tamen locum corrupit Epitomator. Alii *οὐδετέρως* dixere *Γάγγρα*. Cf. Forbiger II. p. 404. Cum Alexandro facit rursus Plinius VI. 2, quippe cui *Gangre* urbs appelletur.

prie sic dictam — omitto enim *Χαλδαϊκὰ* et *'Ιουδαϊκά*, quorum rationem infra examinabimus — minimum tribus commentariis illustravit, de quibus ut iam agamus postulat disputationis ordo.

§ 12. *'Ινδικά.*

Scripti huius notitiam omnem debemus Clementi Alexandrino[1]. *Βραχμάναι*[2], inquit, *οὔτε ἔμψυχον ἐσθίουσιν οὔτε οἶνον πίνουσιν· ἀλλὰ οἱ μὲν αὐτῶν καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ὡς ἡμεῖς, τὴν τροφὴν προσίενται, ἔνιοι δ' αὐτῶν διὰ τριῶν ἡμερῶν, ὥς φησιν 'Αλέξ. ὁ Πολυΐστ. ἐν τοῖς 'Ινδικοῖς.* Ad *Indica*, non ad opus singulare, referam quod Stephanus scribit, *Gedrosiam* et *Gedrosios* ab Alexandro vocari *Κεδρωσίαν* et *Κεδρωσίους*·[3] nam Indiae hanc regionem gentemque Stephanus quoque tribuit. Eodem spectare potest testimonium Tzetzae, Alexandrum ponentis in numero scriptorum, qui post Caryandensem Scylacem in Indiae gentibus memoravere *Σκιάποδας*, *'Ωτολίκνους*, *Μονοφθάλμους*, *'Ενωτοκοίτους*·[4] de mea vero

---

1) *Strom.* III. p. 451 B. — 2) Lege *Βραχμᾶνες*.

3) v. *Γεδρωσία*, ubi: *Γεδρωσία, χώρα, καὶ Γεδρώσιοι, ἔθνος 'Ινδικόν. — ἐν δὲ τοῖς τοῦ Πολυΐστορος διὰ τοῦ κ εὑρέθη ἡ πρώτη συλλαβή.* Sed de nomine gentis non satis certum est, Alexander *Κεδρωσίους* dixerit, *Κεδρώσους* an *Κεδρωσεῖς*. Sic certe appellantur ap. Steph. v. *Κέδρωσοι, ἔθνος πλησίον τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης. τὸ ἐθνικὸν Κεδρωσεῖς.* Hinc simul videri possit ad illius Maris *Περίπλουν* pertinere locus; quod qui praeferat, per me faciat licet. Ut rem ipsam tangam, non nimium tribuendum Stephani monito: *ἀλλ' ἦν ἀδιόρθωτον τὸ βιβλίον*, quum v. c. etiam a Diod. Sic. XVII. 105 *Κεδρωσία* ea regio dicatur.

4) *Chil.* VII. 629 sqq. Ad commentarios *περὶ 'Αλκμᾶνος* (§ 21) Tzetzes respexisse videtur Scheidewino *Conject. critt.* p. 21; sed collatis

sententia ad *Θαυμασίων συναγωγὴν* pertinent. Stephani locus de *Topazo* insula vindicandus esse ei libro videtur, de quo iam dicam.

§ 13. *Περίπλους τῆς ἐρυθρᾶς θαλάττης.*

Ut Pythagorae cuiusdam [1], sic Alexandri *Periplum Maris Rubri*, quo nomine utrumque sinum intelligam, Persicum et Arabicum, laudat Aelianus, scribens de serpentibus quadragenûm cubitûm et de genere quodam cancrorum, sacrorum Neptuno [2]. Qui locus ideo in primis memorabilis est, quod ea animalia se *vidisse* narrat Alexander, qui cuias fuerit non indicat quidem Aelianus, sed alius esse ac Myndius, quem saepius laudat [3], sive Polyhistor vix potest. Ex *Περίπλῳ* adeo petitum reor locum Stephani, quem modo dicebam, ubi tradit Alexander *εὑρίσκεσθαι ἐν τῇ τῶν Τοπαζίων νήσῳ λίθον ὁμώνυμον τῇ νήσῳ, καὶ ὅμοιον εἶναι τῇ χροιᾷ τῇ τοῦ νέου ἐλαίου* [4]. Sita enim fuit *Topazos* insula in Rubro Mari, dissita a continenti diei navigatione, ut auctor est Iuba [5]. Vel

---

scriptoribus ceteris, quos l. l. affert Tzetzes (cf. Lycophr. 177 p. 455), cum iis quos laudat Photius infra § 19, credideris fere Tzetzam unice cogitavisse vel cognovisse *Θαυμασίων συναγωγήν*.

1) Aelian. *de nat. anim.* XVII. 8, 9. Cf. Athen. IV. p. 183 F, XIV. p. 364 A.

2) XVII. 1. Narratis haec adduntur c. 6, procul dubio deprompta ex eodem Alexandri libro: *Ἐν δὲ τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, πρὸς τοῖς ἤδη προειρημένοις, γίνονται καὶ κωβιοὶ β' πηχέων, καὶ μέντοι καὶ γ'.* — 3) III. 23, V. 27, X. 34.

4) Haec alii fortasse malent ad *Ἰνδικὰ* referre, ut retulere Westermannus et Rauchius, ad *Θαυμασίων συναγωγὴν* alii. Nec reluctabor. In talibus suam quisque sequatur sententiam.

5) Ap. Plin. *H. N.* XXXVII. 32, cui VI. 34 memoratur »*Topazos* insula, quae gemmae nomen dedit." Vel hinc apparet, quam male ap-

Περίπλου sunt vel *Θαυμασίων συναγωγῆς* vel, quod mihi maxime arridet, *Ζώων ἱστορίας*, quae Alexander scripto mandavit de cornibus e Rubro Mari in Delo insula asservatis; quod fragmentum Cotiaënsi Alexandro plerique assignant [1]. Tandem, nisi *de Arabia* singulari libro commentatus est, in *Περίπλῳ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάττης* Polyhistor de *Tamna* absolvit, Arabiae urbe [2]: fuit enim Arabico sinui proxima [3].

§ 14. *Περὶ Συρίας*.

Si in ratione diiudicanda scripti alicuius deperditi pendemus toti a reliquiarum et testimoniorum copia vel inopia, id quod a nullo negatur, mirum quidem non videatur, de libro Alexandri *περὶ Συρίας* paucissimis me absolvere. Omnia enim ad duo redeunt fragmenta, quae apud Stephanum leguntur. Alterum hoc est: *Τάβαι, πόλις τῆς Περαίας, ἣν Ἀ λ έ ξ α ν δ ρ ο ς ἐν τῷ π ε ρ ὶ Σ υ ρ ί α ς ἑρμηνεύει ἀγαθήν*· altero dicitur sita fuisse prope Amphipolin Syriae *Oropus*, quam a conditoribus *Telmissum* s. *Telmessum* dictam restauraverit atque illo nomine appellaverit de Graecorum Oropo

---

paret quam male ap. Steph. scribatur *Τοπάζιος*, *νῆσος Ἰνδική. τὸ ἐθνικὸν Τοπάζιος*. Dicta est insula *Τόπαζος*, dicti incolae *Τοπάζιοι* (ut v. c. a. *Γάζος*, quae item fuit Indiae, *Γάζιοι*), dictus lapis *Τόπαζος*, *Τόπαζον*, *Τοπάζιος*, *Τοπάζιον*. Cff. Dionys. Perieg. 1121 et Eustath. ad 1107, Strab. XVI. p. 1115 A.

1) Legitur narratio in scholiis ad *Iliad. Δ*. 109. Cf. § 22. Bekkero duce, Polyhistori haec abjudicaverunt omnes, praeter Lehrsium, qui *Quaestt. Epp*. p. 12 in nota: »Bekkerus, inquit, Alexandrum Cotyaensem intellexit: sed agnoscitur Myndius. Facile occurrit etiam, esse hoc ex Myndii eo libro, qui inscriptus erat *περίπλους τῆς ἐρυθρᾶς θαλάττης*· sed hoc minus certum." — 2) Steph. Byz. s. v.

3) Cf. Strab. l. l. p. 1112 D sq.; Plin. VI. 32.

Seleucus Nicator [1]. Testem huius rei Alexander ipse adduxit Xenophontem *ἐν ταῖς Ἀναμετρήσεσι τῶν ὀρῶν* [2].

Accessimus ad tertiam orbis terrarum partem, cuius lustrandae nobis sunt *Aegyptus* et *Libya*.

§ 15. *Αἰγυπτιακά.*

Grande fuit Polyhistoris *περὶ Αἰγύπτου* opus, si apud Stephanum recte laudatur *ἐν ιγ' Αἰγυπτιακῶν* [3], pro quo tamen numero *γ'* scribendum esse suspicari licet, ideo in primis quod praeter *primum*, *alterum* et *tertium* librum alius nullus laudatur [4]. Expedita res foret, si e fragmentis constaret, Alexandrum singulis partibus Aegypti singulos libros destinavisse;

---

1) Steph. v. *Ὠρωπός*, ubi sub finem sic quidem invenio scriptum: *ταύτην δ' ἔφασαν ὑπὸ Σελεύκου τοῦ Νικάτορος ἐπικτισθεῖσαν Ὠρωπὸν καλεῖσθαι κτέ.* Sed legendum est: *ταύτην δέ φησιν* i. e. Xenophon, laudatus ab Alexandro. Holstenius *ταύτην δέ φασιν* conjecit.

2) *Καταμετρήσεις τῶν ἐν Πελοποννήσῳ ὀρῶν* scriptas novimus a Dicaearcho; Xenophontis vero liber alibi non laudatur. *Lampsaceni* fuisse videtur, memorati a Plinio *Ind.* lib. III et V, laudati IV. 27, VI. 36, quos locos excerpsit Solinus XIX, LVI. Possunt tamen Pliniana deprompta esse ex *Περίπλῳ*, quem ad Lampsacenum X. jure ac merito retulit Westerm. ad Voss. p. 510 n. 34. *Περίπλου* illius eandem ob historiam (nam depravata est apud alterutrum vel apud utrumque lectio) meminere Plinius VII. 49 et Val. Max. VIII. 13. Ext. 17, statim post laudatum Alexandrum, in ceteris quoque eadem fere iisdem auctoribus referentes. Cf. supra § 2. Id autem factum arbitremur, quod ex Valerio Plinius an quod eodem ex fonte hauserit uterque?

3) v. *Ἀγκύρων πόλις.*

4) Rauchius quum p. 17 simpliciter monuisset: »Lectio *ιγ'* sine dubio corrupta est," p. 34 nescio qua causa motus locum laudatum collocavit in fragmentis libri II.

sed hoc indicio caremus [1]. Videri quidem possit *primo* libro Thebaïs potissimum descripta fuisse; sed *tertio* etiam, quo illustrandum fuisset Delta, et illam tetigit et Heptanomin. Unde haud scio an recte efficiam, Alexandrum in his similibusque commentariis non tam geographum egisse quam historia duce totas regiones perlustrasse. Sed hac de re infra dicendum. Nunc paucis recensenda sunt *Αἰγυπτιακῶν* fragmenta. *Primo* igitur libro, teste rursus Stephano, Corn. Alexander egit de *Ombis* et *Thine*, Thebaïdis oppidis, quorum alterum *πρὸς τῇ Λιβύῃ* situm tradidit, alterum *πλησίον Ἀβύδου*, incolas vocans *Ὀμβίτας* et *Θινίτας*. Eodem libro absolvit de *Euonymitis*, Aegyptia gente prope Aethiopiam [2], de *Napatis*, Libyae oppido, item prope Aethiopiam sito, quorum incolae *Napataei* appellati [3], de *Chenoboscia*, sita *ἀντικρὺ τοῦ Διοσπολίτου* [4], ubi tamen, quod ex nomine concludas, *νομὰς χηνῶν* frustra quaesiveris, sed videris *ὑπερβάλλουσαν τὴν περὶ κροκοδείλων σπουδήν*. Pertinent adeo haec omnia ad

1) Cuivis hoc persuasum erit qui attenderit fragmenta libri III, invito Rauchio. Hic enim p. 17: »Alexandrum, inquit, primo libro superiorem, mediam secundo, tertio inferiorem Aegyptum tractasse ex fragmentis apparet."

2) Regionem *Euonymitarum Aethiopum* Plinius memorat VI. 35.

3) Stephanum exscripsit Suidas v. *Ναπάται*, sed tacito Polyhistoris nomine. *Νάπατα* dicit Strabo XVII. p. 1176 B, ut l. l. Plinius, ubi vocat »oppidum parvum, quod absit ab insula Meroë CCCLX M. pass.;" sed idem inferius *Napatam* appellat. Cur autem *Aegypti* oppidum, in *Αἰγυπτιακοῖς* commemoratum, *Libyae* tribuerit Alexander, minime assequor; nec vereor ne nimium veniae mihi sumam, si apud Stephanum et qui hunc compilavit Suidam pro *Λιβύης* corrigam *Αἰγύπτου*.

4) Germanam hanc lectionem putet qui velit; mihi sic mutanda videtur ut scribatur *τῆς Διὸς πόλεως*. Scripturae compendium corruptelae causa. Cf. Bastii *Comm. Palaeogr.* p. 834. Ceterum ex argumento loci credat quis descripsisse Alexandrum quae *vidisset*.

Thebaïdem. Ex *altero* libro oppidulum Aegypti cognoscimus *Psinaphum.* Libro *tertio* memorata fuit *Λητοῦς πόλις* s. *Λητοῦπολις*, *μοῖρα Μέμφιδος*, *καθ' ἣν αἱ πυραμίδες*, *Λητοῦς ἱερὸν* [1], de quibus pyramidibus ipsis Alexandrum satis ample retulisse ex Plinii testimonio conjicio [2]. Eodem libro *Tentyram* vocavit, Thebaïdis urbem, quae vulgo nominabatur *Tentyris*, meminitque *Sethroës*, cuius incolae dicerentur *Sethroïtae*. *'Εν ιγ'* vel, si me audis, *ἐν γ' Αἰγυπτιακῶν* nomen *'Αγκύρων πόλις* repetitum inde fuit, quod ex proxima lapicidina illic ancoras secarent, quibus uterentur. Verbo etiam hoc notatur, *Phagrorium* dictum esse ab Alexandro *ἐν Αἰγυπτιακοῖς* *Phagroriopolin.* Neque Aegypti res explicanti deesse occasio potuit commemorandi *Memnonas*, Aethiopum gentem. Quocirca in *Aegyptiacis*, non in *Aethiopicis* Alexandrum *Μέμνονας ἀγρίους τινὰς ἢ μαχίμους καὶ χαλεποὺς* interpretatum suspicor [3]. Denique vix possunt alio in opere commodiorem sedem habuisse, quae ex veteribus Aegypti *μύθοις* de Ammonis itinere e Libya in Aegyptum deque inventa arte vestium texendarum Tertullianus apud Alexandrum legit [4]. Cuiusmodi si plura exstarent te-

---

1) Forbiger pro *ἱερὸν* legit, opinor, *ἱεραὶ*, unde l. l. p. 254 quaerit, pyramides quomodo esse sacrae Latonae potuerint!

2) Plin. XXXVI. 17. 3. — 3) Ad lib. I haec retulit Rauchius.

4) *De Pallio* III. p. 14 ed. Salmas., cuius loci initium adeo corruptum est, ut qui intelligat reperiatur nemo. Sic enim legitur: »Cedo iam de vestro (sermo est ad *Principes Africae*), quod Aegyptii narrant et *Alexander* digerit et Afer legit, ea tempestate Osiridis, qua ad illum ex Libya Ammon vasit ovium dives: denique cum ipsis Mercurium autumant" etc. Qui multus est in hoc loco expediendo Salmasius p. 158 sqq. improbat *Afer*, probat vero *mater*, quam vocem in libris omnibus legi monet et jungens nomini *Osiridis* explicat *Isis*, ut mox *legit* interpretatur *col-*

stimonia, — nihil enim quidquam sive mythici sive historici argumenti praeter illud proditum est — fortasse in *Αἰγυπτιακοῖς* non minus pressa videremus Manethonis vestigia, quam in *Χαλδαϊκοῖς* ducem et auctorem Alexandro principem fuisse scimus Berosum [1].

§ 16. *Λιβυκά.*

Restat tandem peragranda nobis Libya, de qua regione Alexander pariter tribus libris exposuisse videtur. Reliquias rursus omnes fere Stephano debemus. *Primi* libri fragmentum est de *Lixa*, cuius urbis a *Lixo* amne denominatae cives *Lixii* et *Lixitae* dicti fuerint [2]. Tenenti autem hanc Lixam sitam fuisse *ἀντίπορθμον τοῖς Γαδείροις ἐν διάρματι σταδίων ὀκτακοσίων*, ut ait Strabo [3], cui non facile oboriatur suspicio, Alex-

---

legit, *observavit*, *notavit*, et verbum *vasit* explicationem esse putat verae lectionis *facit*. Egregiae saepe sunt emendationes Salmasii, sed h. l. emendando depravavit. *Legere*, quomodocunque accipis, ineptum est; imo quod Aegyptii *narrant*, quod Alex. *digerit*, id Afer *credit*, narrant autem, digerunt, credunt *de* tempestate, qua ad Osirin Ammon vasit. Parum, sed aliquantum tamen huc referri potest Pliniana dictio, quae est XXV. 25: »*Dixit* Democritus, *credidit* Theophrastus."

1) Ut nunc se res habet, fateor me non perspicere quid voluerit Salmasius l. l. p. 156: »De Alexandro non intellexere, celeberrimo nempe illo Polyhistore, qui ex Beroso rerum Aegyptiacarum historiam fusissime et luculentissime perscripserat."

2) Eodem modo, quo Alexander, Ptolemaeus hanc urbem appellat; sed appellavere *Τίγγα* barbari, *Λίγγα* Artemidorus, *Λίξον* Eratosthenes, reprehensus idcirco ab Artemidoro, quem sequitur Strabo. Vid. XVII. p. 1181 D et 1185 B. Cum Eratosthene facit Plinius V. 1 init., ex quo loco apparet simul quam multi *μῦθοι* ad Lixum relati fuerint, quos monet ille praeter alios »*avidissime credidisse*" Corn. Nepotem. Neque aliter de Gabinio existimandum esse, rerum Romanarum scriptore, docet Strabo p. 1185 C. Quid, si his adjungamus Corn. Alexandrum?

3) l. l. p. 1181 D.

andrum de Lixa narrantem meminisse *Γαδείρων, πόλεως καὶ νήσου ἐν τῷ Ὠκεανῷ*, cuius civi *Γαδειρίτης* nomen? Certe singulari opere *περὶ Ἰβηρίας* eum egisse vix credibile est. Nec dubito ad principium *Λιβυκῶν* referre locum de *πολυωνυμίᾳ* Libyae, quo 13 nomina huius regionis deinceps recensentur [1]. *Tertio* libro incola *Arsinoës* dictus est *Ἀρσινοΐτης* et *Ἀρσινοεύς*. Ibidem commemoravit, additis ubivis *ἐθνικοῖς*, e castellis *Automalaca* [2] et *Zagystin*; ex oppidis *Aphacen*, *Gargen*, *Gildam*, *Euphrantam*, *Xiliam*, *Scythopolin*, *Chersonesum* sive *Cherruram*, *Chalcea* [3]; ex insulis *Δράκοντος* [4] et *Κυνῶν νῆσον*, *Κορακόνησον* et *Μάγγαν*, quae Libyum lingua *Σαμαθὼ* i. e. *Μεγάλη* vocaretur. Suus etiam locus fuit *Anelussae* et

---

1) Steph. v. *Λιβύη*. Septimum nomen haud scio an corruptum sit. Editur *Ἀμμωνὶς*, sed *Ἀ μ μ ω ν ί α πᾶσα ἡ Λιβύη ἐκαλεῖτο ἀπὸ Ἄμμωνος*, ut ait h. v. Stephanus.

2) Monet Stephanus Apollodorum hoc castellum vocasse *Αὐτόμαλα*. Atque sic etiam Strabo vocat II. p. 185 A, XVII. p. 1193 B. Ad talia attendat animum qui inquirat in scriptorum fontes et, quae cum his arcte conjuncta esse solet, fidem et auctoritatem.

3) Steph. Byz. v. *Χαλκεῖα. πόλις Λιβύης. ὁ Π ο λ υ ΐ σ τ ω ρ ἐν Λ ι β υ κ ῶ ν τ ρ ί τ ῳ, ὡς Δημοσθένης, ᾧ μεμφόμενος Πολύβιος ἐν τῷ δωδεκάτῳ ὧδε γράφει· »Ἀγνοεῖ δὲ μεγάλως καὶ περὶ τῶν Χαλκείων· οὔτε* (l. *οὐδὲ*) *γὰρ πόλις ἐστὶν, ἀλλὰ χαλκουργεῖα.«* Indicari hoc loco videtur Demosthenes *Bithynus*, qui Euphorioni aetate suppar fuit, si vera conjecit Meinekius *Anall.* p. 21. Eius auctoritate fretum Polyhistorem Chalcea *πόλιν* dixisse e Stephani verbis efficias fere. Similiter v. *Ἄβιοι* innuit Stephanus Alexandrum ex Diophanto hausisse, ut iam monui § 3. Quod credit Forbiger l. l. I. p. 238, Alexandrum et Demetrium (sic) vituperatos esse a Polybio, id refutare supervacaneum sit. Nec vera sunt quae monet Rauchius p. 9 n. 19 s. f.

4) *Δράκοντος νήσου* historia conjuncta cum fabula de hortis Hesperidum atque insula eadem esse videtur, quam prope Lixum ponit et describit Plinius V. 1 init.

Thynae oppidis, quorum incolae *Anetussaei* et *Thynaei*. Tandem causam explicare conatus *πολυθηρίας* Libyae tradidit, *τὸν Περσέα καρατομήσαντα τὴν Γοργόνα ὑπὲρ τῆς Λιβύης πετασθῆναι· ἐκ δὲ τῶν κατενεχθέντων σταγόνων τοῦ αἵματος γενέσθαι θηρία πολλὰ καὶ δεινά* [1]. Scio Alexandrum de Gorgone animali scripsisse *ἐν δευτέρῳ κτηνῶν ἱστορίας* [2], sed illa in *Libycis* relata fuisse multo potior videtur sententia [3].

Anteaquam ad cetera scripta Polyhistoris pergamus, paucis dicendum videtur de communi ratione atque indole commentariorum, de quibus singulatim absolvimus. Primum vero hoc monendum, quod statim suspicabitur, qui meminerit multos Alexandri libros vix ex uno duobusve testimoniis veterum nobis innotuisse, plura eum scripsisse quam ex laudatis titulis compertum habemus. Qui Cariam, Lyciam, Ciliciam, Phrygiam, Bithyniam et Paphlagoniam seorsum tractatas viderit, facile credet reliquas partes Asiae Minoris ad unam omnes pari modo fuisse illustratas [4]. Iudaeorum res qui perscripsit, qui egit de Syria et India, is a Phoenicia fortasse non abstinuit, quod supra iam efficiebam ex loco Stephani de urbe *Marsya* [5]. Neque admodum difficile sit ex aliis fragmentis alios commentarios velut eruere, ceteroquin non diserte commemoratos [6]. Est

---

1) Schol. Apollon. Rhod. IV. 1515, quem exscripsit Eudocia p. 336.

2) Cf. § 22. — 3) Rem tetigi p. 96 n. 1. — 4) Cf. § 6 s. f.

5) Cf. § 9 s. f. Locus Stephani v. *Γάζα* forsitan maiore iure *Ἰουδαϊκοῖς* tribuendus est quam *Φοινικικοῖς*. Cf. § 18 init.

6) Vide p. 100, ubi fragmentum indicavi quod procul dubio ex aliquo opere rhetorico depromptum est. Cf. etiam p. 113 n. 3. Uno looo nescio quid faciam, Hesychii dico v. *Ὑπομελάθρα*, ubi editur: *Ἀρτέμιδος ἐπίθετον, ὡς*

vero in talibus summa cautione opus, neque vel ex laudato titulo vel ex unius oppidi, populi, fluvii servata memoria, quae videatur minus commode peti potuisse ex libris aliunde cognitis, continuo novus commentarius fingendus [1]. Sed quid de libris dicamus, qui scribi potuerunt, quum de iis dicendum sit, quos scriptos esse novimus? Hos igitur omnes Wegenerus arbitratur partes fuisse »vasti operis geographici, cuius singulis libris a singulis, quas tractaverint, terris suum nomen inditum fuerit, ut *Europa*, *Hispanica*, *Italica*, *Illyrica*, *Phocia*, *Asia*" et quos alios titulos ille excogitavit [2]. Apertum est, Wegenerum finxisse alia, alia ideo retulisse ad Corn. Alexandrum, quod hunc eundem esse putabat atque Ephesium, cuius aliquoties laudantur libri *Εὐρώπη*, *'Ασίη καὶ Λιβύη* inscripti. Wegeneri sententiam non omnino quidem amplexus est Forbiger, sed cogitavit pariter de amplo opere geographico, *Περίπλῳ* dicto inque 40 libros diviso [3]. Neutrum horum Rauchius refutavit, quamquam vix quidquam est facilius. Nam quod commentarios illos 40 libris constitisse opinatur, ea opinio inde nata est, quod Polyhistorem permutavit Forbiger cum Alexandro Cotiaënsi, librorum 42 *περὶ παντοδαπῆς ὕλης* auctore. Parem indicii levitatem arguit, quod idem *Περίπλουν* censet communem fuisse operis totius inscriptionem, cuius rursus singuli libri suos habuerint titulos. Ecquis

---

ὁ *Μύνδιος*. In glossa scribitur: ἴσως· *ὡς οἱ μὲν, Διός*. Sive germana sit lectio ὁ *Μύνδιος* sive non sit, ad Alexandrum referre locum vix audeam, ut retulit Westerm. ad Voss. *H. G.* p. 382 n. 29, qui neque laudare debebat Arnob. *adv. gent.* VI. 6. p. 193 (ed Orell. p. 206): nam ibi non de *Myndio* sermo est, sed de Myndio *Zenone*.

1) Cff. § 1, § 13, § 15, § 16. Adde § 22 et § 23.

2) l. l. p. 197. — 3) *Handb.* I. p. 251 sq.

loco, quem Forbiger affert, Stephaniano: *Σέβεδα, λιμὴν Λυκίας, ὡς 'Αλέξ. ἐν Περίπλῳ*, non continuo perspicit ad vocem *Περίπλῳ* audiendum esse *Λυκίας* vel, si mavis, *αὐτῆς* [1]; Omnino duo tantum commentarii Corneliani *Περίπλου* titulo laudantur, *Περίπλουν Λυκίας* et *τῆς ἐρυθρᾶς θαλάττης*, ad quos de conjectura addidimus *Περίπλουν 'Ιλλυρίας* et *Εὐξείνου Πόντου* [2]. Quid, quod commune nomen si quaeras, tali operi bipartito vel tripartito rectius et vulgato mori congruenter datus fuisset titulus *Περίπλους Εὐρώπης, 'Ασίας καὶ Λιβύης*; Ista igitur commentitia omnia. Universe non assequor, quae possit idonea causa adduci, cur omnia illa scripta haberi membra oporteat eiusdem corporis. Fuit sane eadem omnibus tractandi ratio, mori Periegetarum fortasse non admodum dissimilis, sed alio vinculo nullo inter se conjuncta fuisse videntur. Quod ipsum ex diversa ratione, qua solent laudari, si quid hinc Forbigeri exemplo concludere placeat, haud scio an tuto efficias [3]. Sed de operis sive forma sive inscriptione satis dictum.

Tangebam modo rationem scribendi Periegetarum, cui non admodum dissimilem fuisse conjiciebam Cornelianam. Scilicet quod supra ostendebam de *Αἰγυπτιακοῖς* referens, commentariis geographicis vere sic dictis libri Polyhistoris non sunt annumerandi, neque

---

1) Sic v. *Μακρὰ* Stephanus: *νῆσος Λυκίας, ὡς 'Αλέξ. ἐν Περίπλῳ αὐτῆς*. — 2) § 2, § 3.

3) Sic eius laudatur *περὶ 'Ιουδαίων* modo *σύνταξις*, modo *σύγγραμμα*, laudantur *Καρικὰ ὑπομνήματα*, *Καρικὰ* et *τὰ περὶ Καρίας*, *συναγωγὴ τῶν περὶ Φρυγίας*, *τὰ περὶ Φρυγίας* et *Φρυγιακά*. Equidem postrema inscriptione in his et simili in aliis libris, modo veterum auctoritate niteretur, supra uti malui.

etiam historicis. Pertinuit quodammodo Alexander ad id genus scriptorum, qui licet neque essent nec appellarentur Periegetae, eadem studia scribendo proxime persecuti sunt, »quorum scriptiones, ut ait Prellerus [1], non tam de monimentis in ipsis locis eruendis fuisse videntur, quam de originibus ex fabularum vestigiis repetendis; quod argumentum maxime placebat iis, qui domi assidentes aliorum libros compilare, quam ipsi urbes atque nationes exteras obire et loca memorabilia suis oculis inspicere mallent.“ Tantum postrema non omnino in Polyhistorem valent, quippe qui plurima quidem aliorum ex scriptis hauserit, ut saepe nos auctoribus ipse suis nominatis docet [2], nec tamen ita, ut non interdum etiam referat visa in itineribus [3], quorum quaedam suscepit fortasse Crassi comes [4]. Haec vero utcunque sese habent, ipsas librorum reliquias inspicientibus patet abunde, quam fuerit sedulus Alexander in situ locorum indicando, quorum vel minutissima recenset; quam diligens in commemorandis singularum regionum montibus, fluviis, portubus; quam intentus in mores incolarum atque instituta, omniaque, quae gigneret ubivis natura, ut animalia, arbores, similia, ut nunquam ne gentilia quidem nomina apponere negligat. Quapropter quid Rauchio acciderit, accuratam montium et fluviorum et urbium recensionem in Alexandri scriptis desideranti, plane non intelligo. Talia enim quamvis parva indicia

1) *Polem. fragm.* p. 175. — 2) De aliis scriptis cff. § 17—19.

3) Cff. § 13, § 15, § 16. De rebus Cariae, quae patria ei fuit, quam vera tradere potuerit, neminem fugit. Ceterum etiam aliis ex libris non desunt quae *αὐτοψίαν* arguunt atque veritatem summo studio indagatam. Vid. in primis § 22. — 4) Cf. supra p. 99 sq.

quum compareant in fragmentorum fragmentis — ita enim saepe comparati sunt loci Stephaniani — de integris operibus cur non bene sentiamus? Nec minore cura attendens ad monumenta oppidorum et regionum, quae maxime essent memorabilia, diligentissime collegisse undecunque videtur, quae ad ea illustranda conferrent, quaemadmodum v. c. e Plinio efficias, ubi testatur de pyramidibus accurate eum egisse inque earum auctores magno inquisivisse studio. In primis vero cernitur diligentia Alexandri, ut elucet simul doctrina, in explicandis urbium nominibus et originibus, quae quum arctissime cohaereant cum conditorum fatis, sive Dii ipsi habiti seu heroës fuerint, quavis opportunitate gentium *μύθους* ex remotissima antiquitate tanquam resuscitat atque ita exponit, ut in iisdem velut habitavisse videatur. Quo quidem nomine in genere verissima esse puto, quae de *Ἰταλικοῖς* cum Alexandri tum aliorum animadvertit Heerenus [1]: »Tantum abfuit ut severioris criticae regulas sibi observandas praescriberent hi mythographi, ut potius, quae iam per se fabulosa essent et incerta, novis figmentis incertiora reddere studerent." Denique, non historicum in libris laudatis se praestitit Alexander, sed potius imbutum poëtarum lectione grammaticum, quae ad *μύθους* pertinerent quaeque ad historiam, non discernentem [2]. Vel

1) *de fontt. Plutarch.* p. 102.

2) Ad Alexandrum respexit, opinor, Niebuhrius *Vortr. üb. alt. Gesch.* I. p. 234, ubi: »*Die alexandrinischen und pergamenischen Grammatiker*, inquit, *waren des Historischen ebensowohl als des Mythischen kundig, und eben so gut im Stande eine Rede des Demosthenes auszulegen wie einen Lyriker; — indem aber diese Männer den grossen Umfang des Wissens mit Grammatik verbanden, verwirrten sie die Gränzen und zogen in ein Gebiet was nur in das andere Gehörte.*"

sic tamen magnam fuisse videri horum commentariorum praestantiam quis negabit? Quis eorum jacturam non numerabit in gravissimis, quas hoc scriptionum genere fecerunt literae? Quis adeo mirabitur, quod iis multum tribuit inque multis obsecutus est, non dico Strabo, licet haud desint quae probare rem videantur [1], sed Plinius [2] et ante omnes Stephanus?

Iam revertamur ad propositum et ceteros libros Alexandri, quorum non omnis interiit memoria, deinceps singulatim persequamur.

§ 17. *Χαλδαϊκά.*

Commentariorum de quibus hactenus egimus quum ea fuisse ratio videatur, ut in historicis operibus haudquaquam possint numerari, consulto omisi *Χαλδαϊκὰ* et, de quibus porro iudicandum erit, *Ἰουδαϊκά*. Recte distinxerim necne, aliorum arbitrio relinquo. Certe, si quid fragmenta probant, quae nobis una sunt iudicandi norma, utriusque huius libri argumentum princeps in historia versatum est. Qui autem crebro Polyhistoris *Χαλδαϊκὰ* laudat Georgius Syncellus, eum affatim constat laudare quae non ex auctore, sed ab epitomatore Alexandri, Eusebio, didicit [3]. Quum vero

1) Cf. § 3, § 10, § 15.

2) Cf. § 7, § 11, § 15. Alexander quum saepius a Plinio testis adducatur, tum memoratur in *Ind. Auct.* lib. IV, V, VI, XII et XXXVII, ex quo loco Wegenerus p. 199 n. 8 librum Alexandri *de gemmarum origine* commentus est.

3) Clarissimum id fiet comparanti quae tanquam Polyhistoris Syncellus laudat cum Eusebii *Chronicorum Canonum libris duobus*, editis Mediolani a. 1818 a Maio et Zohrabo, quorum capita quinque priora excerpta sunt ex commentario Alexandri. Quodsi Niebuhrium audimus, neque Eu-

servaverit ille quae apud Eusebium desiderantur vel depravata sunt, subinde rivulum pro fonte adire cogimur. Ex Syncello adeo etiam titulum operis constitui. Modo enim Alexander et Berosus ei dicuntur *οἱ τὰς Χαλδαϊκὰς ἀρχαιολογίας περιειληφότες*, modo *οἱ τὰ Χαλδαϊκὰ συγγραψάμενοι* Alexander et Abydenus [1], quem proprie *περὶ Ἀσσυρίων* scripsisse scimus, dialecto Ionica [2]. Ceterum vituperia quae in Alexandrum Syn-

sebius Alexandrum legit, sed debuit ille omnia Iulio Africano. Vide *Vorträge üb. alt. Gesch.* I. p. 18. Quam sententiam vereor ut sint qui amplectantur. Iosephus *Ἰουδαϊκὰ* quidem legisse (§ 18), sed *Χαλδαϊκὰ* Alexandri ignoravisse videtur. Neque enim Syncello credendum est, qui p. 66 apparere affirmat, Eusebium, Iosephum aliosque rerum Chaldaïcarum scriptores secutos esse Polyhistorem, Abydenum et Apollodorum, quum Chaldaeorum regnum facerent diluvio antiquius; qui porro p. 427 Iosephum facit cum aliis omnibus abire in sententiam Alexandri et Abydeni, narrantium Evilad Merodach Regem defuncto patre Nabuchodonosoro regnavisse annos duos. Iosephus *Χαλδαϊκῶν* Alexandri nullam, sed Berosi multam facit mentionem, quem laudat de regno Evilad Merodach *c. Ap.* I. 20. Pariter si antiquum illud Babyloniae regnum commemorasset, ex Beroso hausisse putandus esset; sed, quamvis Berosi verba de diluvio recipiens, urbem Babylonem exstitisse *post* diluvium tradit. Vide *Ant. Iud.* I. 4. 3. Itaque falsus Syncellus. Unde petita sint quae apud Agathiam legimus II. 25, non liquet; nec tamen ipso libri Alexandri usus est.

1) p. 390, 427. Cf. p. 48 sq., 61. Quem titulum operi Corneliano Rauchius dedit p. 25, *Χαλδαϊκὰ ἢ Βαβυλωνιακὰ ἀπομνημονεύματα*, is fictus est, etiamsi inter *Χαλδαϊκὰ* et *Βαβυλωνιακὰ* saepe non distinguitur et Alexander annumerandus est *τοῖς τὰ Βαβυλωνιακὰ γράψασι*, laudatis a Syncello p. 386.

2) Ab Eusebio *Chron.* I. 41. p. 195 *Assyrias Medicasque Historias* scripsisse dicitur. Cetera quae ad Abydenum spectant incerta omnia. Fragmenta collegit Richter, *Berosi quae supers.* p. 85 sqq., que vide etiam p. 36 sqq. Ante Eusebium nemo est qui laudet Abydenum, quique similia referunt, Berosum consuluisse videntur, quem Abydenus solitus est auctorem sequi. Eusebio Abydenum lectum fuisse arguunt eiusdem *Praep. Evang.* IX. 12, 14, 41 et *Chronic.* I. 6 sqq. Alexandrum ex Abydeno vel Abydenum ex Alexandro profecisse nullo argumento constat.

cellus confert non curabo, velut ubi asseverat, videns apud Berosum et Alexandrum alia pugnare cum testimoniis scripturae sacrae, alia congruere, ideo eos multa inde furatos esse, quo facilius et certius homines deciperent [1], Chaldaeorum gentem antiquiorem praedicantes πρὸς ἀνατροπὴν τῶν θείων γραφῶν [2]. De Chaldaeorum historia exponentes Chaldaeorum traditiones illi receperunt easque et allegorice interpretari [3] et data opportunitate cum μύθοις Graecorum conciliare studuerunt [4]. Ita mira omnia quaeque nos pro meris fabulis habeamus narraverint licet [5], quis a Chaldaeo vel Graeco homine poscat ut cum libris Hebraeorum omnino ei conveniat? Antiquissima sive mythica tempora Chaldaeorum Alexander, Berosi exemplo, computavit per Saros, Neros et Sossos; sed huius chronologiae rationem nec Syncellus tenuit nec nos perspicimus [6]. Hoc dubium non est, quin alios atque solares annos cogitaverint Χαλδαϊκῶν scriptores, quum Sarum facerent annorum 3600, Nerum 600, Sossum 60 [7].

Quodsi inter illos plerumque convenit, id repetam ex communi utriusque fonte, Beroso; si dissentiunt interdum, eo res nihilo magis conficitur. Unde aliis visus est Polyhistore antiquior, junior aliis, quo sensu etiam Niebuhrii verba accipio *Kl. hist. u. philol. Schr.* p. 188 in tractatu, qui inscribitur *Historischer Gewinn aus der armenischen Uebersetzung der Chronik des Eusebius.* Quae conjectura sane multo est probabilior, quum et Iosephus Abydenum ignoret et Alexander, quamvis ab eo dissentiens, tamen Abydeni non meminerit, prout Apollodori.

1) p. 28, 56, 149. — 2) p. 27. Cf. p. 25, 68.

3) Euseb. I. 2. p. 11. Allegoricae interpretationis peritiam Alexandro abiudicat Tzetzes. Cf. § 19.

4) Euseb. l. l. p. 12, 3. p. 14, 4. p. 17, quae fere repetita videas in fragmentis Abydeni l. l. 7. p. 23, 8. p. 24 et *Praep. Evang.* IX. 14.

5) Cf. Euseb. *Chron.* I. 1. p. 7, 2. p. 10 sqq.; Syncell. p. 25, 52.

6) Vid. tamen Niebuhr. *Vortr.* I. p. 19 sq. 7) Euseb. 1. p. 5; Syncell. p. 30.

Tales igitur Syncelli nugas prorsus mittam. Tantum adhibitis eius excerptis delibabo ex Eusebio, quae alicuius sunt momenti ad argumentum et naturam cognoscendam *Χαλδαϊκῶν* Corn. Alexandri.

Dux Alexandro praecipuus fuit, ut iam ex superioribus colligitur, Chaldaeus Berosus, Beli sacerdos, qui tribus libris *Βαβυλωνιακά* Graece scripsit sive, ut alibi dicuntur, *Χαλδαϊκὴν ἀρχαιολογίαν* [1]. Hauserat is ex Chaldaeorum et Babyloniorum historiae fontibus, qui priscae aetatis unici, saltem primarii erant, monumentis sacris sive sacerdotalibus [2]. Sed praeter libros Berosi *Χρονικά* Atheniensis Apollodori, item Berosum in multis

1) Illo titulo laudantur ab Eusebio I. 2. p. 8, Syncell. p. 50, Athen. XIV. p. 639, hoc a Syncello p. 25. Cf. Clem. Alex. *Strom.* I. p. 392, *Protr.* p. 57. Adolescentia Berosi incidit in tempora Alexandri M., ut ipse testatus esse dicitur a Polyhistore ap. Euseb. l. l. et Syncell. p. 50, quos non bene explicat Richter p. 5. Neque admodum miraberis testimonium illud in Chaldaeo eius aetatis, qui et Graece scripsit et commentarios suos dedicavit Antiocho *Σωτῆρι*. Cf. Richter p. 3 sqq. Ita quoque *Λώου* et *Δαισίου* meminit, Macedonum mensium, ap. Athen. l. l. et Euseb. I. 3. p. 14. Cf. idem p. 50 et *Praep. Evang.* IX. 12, quae ab Abydeno deprompta sunt, sectatore Berosi. Ceterum de Beroso, cuius auctoritatem etiam Iuba secutus est in libris *περὶ Ἀσσυρίων* (*Symb. litt.* VII. p. 91), cf. Niebuhr. *Vortr.* I. p. 19.

2) Euseb. l. 2. p. 8, Syncell. l. l., ubi Alexander inducit Berosum narrantem, *ἀναγραφὰς πολλῶν ἐν Βαβυλῶνι φυλάσσεσθαι μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας, ἀπὸ ἐτῶν που ὑπὲρ μυριάδων ιε' περιεχούσας χρόνον· περιέχειν δὲ τὰς ἀναγραφὰς ἱστορίας περὶ τοῦ οὐρανοῦ καὶ θαλάσσης καὶ πρωτογενίας καὶ βασιλέων καὶ τῶν κατ' αὐτοὺς πράξεων.* Cf. Richter p. 27. In *ἀναγραφαῖς* illis libri quidam fuere Sibyllini, unde ab Iosepho *Ant.* I. 4. 3 ex Beroso, sed ex Alexandro ab Eusebio *Chron.* I. 4. p. 17, (hic enim Berosum non per Iosephum aut Tatianum cognovit, ut vult Richter p. 2 sq., 31, sed per Alexandrum) ex Eusebio rursus a Cyrillo *c. Iul.* I. p. 9 C et Syncell. p. 81 *Σίβυλλα* testis adducitur. Cf. Agathias II. 25. Qua de re multis, nec tamen omnino recte disputat Richter p. 11 sqq., p. 21 sqq. Cf. Rauchius p. 26 n. 58.

secuti [1], Alexander diligenter adhibuit, et fortasse etiam scripturam sacram Hebraeorum. Certe, quod neque Eusebium fugit, cum illa in plurimis *Χαλδαϊκὰ* Alexandri, ut Berosi, amice conspirabant [2]. Initio operis quum secundum Berosum priscum naturae statum descripsisset, animalia et monstra, quae in eo viverent, ortum deinde mundum natosque homines proprie sic dictos [3], tetigit Alexander historiam Babyloniae mythicam atque exposuit de situ Babyloniae, natura, incolis, animalibus, plantis [4], tandem de Regibus antiquissimis, quorum qui post annos *ἀβασιλεύτους* 1058 [5] primus fuerit, Alorus regnum tenuerit Saros 10, annos 36000. Ab Aloro usque ad Xisuthrum numeravit 10 Reges [6], quibus Saros 120 sive 432000 annos regnantibus complura monstra e Rubro

---

1) Apollodoro Alexander modo assentitur, modo adversatur. Vid. Euseb. I. 1. p. 5, 2. p. 9; Syncell. p. 51, 71. De alio Apollodoro cogitat Richter p. 38, cuius tamen opinio (p. 33), quasi Polyhistor Berosum nonnisi ex Apollodoro cognoverit, fragmentis refutatur. Cf. Rauchius p. 27.

2) I. 2. p. 13, 3. p. 16, 4. p. 18 sq., 5. p. 20 sqq. De Berosi *Βαβυλωνιακοῖς*, quibus magnam tribuit Iosephus auctoritatem quorumque magna habenda ratio est in *Χαλδαϊκοῖς* Alexandri diiudicandis, eadem persequitur Richterus p. 27 sqq., 77, 80. Cf. Niebuhr. *Vortr.* I. p. 20, 22 sq.

3) Euseb. I. 2. p. 10 sqq., Syncell. p. 52 sq. De cosmogonia Berosi vid. Niebuhr. l. l. p. 20 sqq.

4) Euseb. l. l. p. 8 sq.; Syncell. p. 50 sqq.

5) *Scriptt. vett. nov. coll.* ed. Maio VIII p. 7, ubi ex Alexandro, Beroso, Abydeno et Apollodoro traditur Adamus, hominum primus, vixisse annos *ταιλ*, lege *ϑλ'*, et post eum (nam *μετὰ τοῦτον* scribendum esse pro *μετὰ τούτου* res ipsa monet) Sethus annos 128, *ὡς εἶναι ὅλα τὰ ἀβασίλευτα ἔτη ,αρνη'*.

6) Nominantur etiam ex Iulio Africano ap. Syncell. p. 31 sq.

Mari apparuerint, partim hominis, partim piscis formam referentia, a quibus accuratius exposita fuerint et evulgata quaecunque Oannes quidam, eiusdem formae monstrum, iam summatim homines docuisset, artes puta et literas aliaque bene multa, humano generi utilia [1]. Tenuit regnum Saros 18 i. e. annos 64800 Xisuthrus, quem Noachum dixeris: nam sub eo factum est magnum diluvium. Patefacta vero terra post diluvium, e navi egressus Xisuthrus disparuit subito cum uxore, filia et navis gubernatore, quum in coelum omnes essent recepti [2]. Hortatu Xisuthri ceteri nautae Babylonem se contulerunt, effoderunt libros, quos ante diluvium in oppido Siparis absconditerant, urbes multas et templa struxerunt et restituerunt Babylonem [3], auctam celsissima turri, quam mox Deus vento afflato deiecit [4]. Regnaverunt deinde, ut item testatus est Berosus, e Chaldaeis 86 Reges per annos 34080, quorum primus dicebatur Euexius sive Euechius i. e. Nembrodus [5], alter Chomasbelus, Euexii filius [6]. Tum occupata a Medis Babylone, ex Medorum gente per annos 224 tyranni exstiterunt 8, quorum primum Alexander nominavit Zoroastrem [7]. Atque hinc incepisse

---

1) Euseb. I. 1. p. 5 sqq., 2. p. 9 sq.; Syncell. p. 28, 51, 53 sq.

2) Euseb. I. 1. p. 5, 7; 2. p. 13; 3. p. 14 sq.; Syncell. p. 54 sq.; Cyrill. l. l. I. p. 8 C. D. (ed. Spanhem.)

3) Euseb. I. 3. p. 14, 16; Syncell. p. 55 sq.

4) Euseb. I. 4. p. 17; Syncell. p. 81.

5) Cf. Syncell. p. 149, 169; Maius ad Euseb. l. l. n. 3.

6) Euseb. l. l.; Syncell. p. 147. Cf. Niebuhr *Kl. Schr.* I. p. 191 sq.

7) Sic reconciliatur Syncellus l. l. Eusebio, qui I. 4. p. 18: »Hinc, inquit, nomina quoque tyrannorum Medorum edisserit octo, annosque eorum viginti quatuor supra ducentos." Haec Eusebii sane non optime, sed Syncelli verba pessime se habent, non sanata a Niebuhrio l. l. p.

videtur Chaldaeorum historia vere sic dicta; unde non amplius per Saros, Neros et Sossos computabatur, sed per annos solares [1]. Medos excepere Reges alii 11 [2], hos e Chaldaeis Reges 49 per annos 458, ex Arabibus 9 per annos 245 [3]. Enarratis deinde rebus Semiramidis, Assyriorum Reginae, Alexander distincte admodum nomina Regum 45 enumeravit, quibus post annos 526 Chaldaeorum Rex Phulus successerit [4]. Sed inde ab hoc Phulo in excerptis Eusebianis adeo confusa sunt omnia, ut vix potuerint eo et ordine et modo ab

---

192 n. 7. Ipsa afferam e recensione Dindorf.: *Ἀπὸ δὲ τούτου τοῦ χρόνου τῶν πϑ' δύο μὲν Χαλδαίων βασιλέων, Εὐηχίου καὶ Χωμασβήλου, πδ' δὲ Μήδων, Ζωροάστρην καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν ζ' Χαλδαίων βασιλεῖς εἰσάγει ἔτη κρατήσαντας ἡλιακὰ ρϑ' ὁ αὐτὸς Πολυΐστωρ.* In quibus plura perturbata esse nemo non videt. Priora non expedio, quamquam certum est indicari 84 Reges Chaldaeos, successores Euexii et Chomasbeli, quos Eusebius quoque solos nominat, diserte addens Alexandrum etiam ceterorum 84 nomina ex Beroso retulisse; sed vocabulum *Μήδων* cum sequentibus conjungendum, non referendum est ad numerum *πδ'*; ut 7 Reges e gente Medorum post Zoroastrem tenuerint regnum annos 190 (*ἔτη ἡλιακὰ ρϑ'*), Zoroastres ipse 34. Universe de dynastiis Chaldaeorum cf. Niebuhr. *Vortr.* I. p. 23 sqq. — 1) Syncell. p. 148.

2) Euseb. I. 4. p. 18. Cuius gentis hi fuerint, quot annos regnaverint, non proditur: nam qui in margine codicis Eusebiani legitur 48 annorum numerus, is procul dubio corruptus est.

3) Sic Eusebius, cui in his plus tribuerim quam Syncello, annos 215 numeranti; etsi huius partes tuetur Niebuhrius p. 193 sq. In fragmento Alexandri Syncellus Arabum prorsus non meminit, sed ubi meminit, ibi alium auctorem sequitur, ut patet ex numero senario. Ait enim p. 170: *Διεδέξαντο τὴν Χαλδαίων βασιλείαν Ἄραβες ἐπὶ ἔτη σιε', βασιλεῖς ϛ'.* Cf. p. 172. Quapropter equidem hac in re illum testem audire nolim. Accedit ut mox Assyrios Reges Syncellus numeret 41, secus ac Polyhistor.

4) Euseb. l. l. Cf. omnino Niebuhr *Kl. Schr.* I. p. 194 sqq., *Vortr.* I. p. 26.

Alexandro narrari, id quod iam animadvertit Niebuhrius [1]. Laborantibus nobis aliquid opis fertur ab Agathia et Syncello, quum Assyriorum Regum post Semiramidem *δυναστείαν* dissolutam esse ab Arbace et Belesy ex Polyhistore referant. *Ἐς Σαρδανάπαλον,* ait Agathias, *τῆς ἀρχῆς ἀπομαρανθείσης, Ἀρβάκης ὁ Μῆδος καὶ Βέλεσυς ὁ Βαβυλώνιος ἀφῄρηνται αὐτὴν τοὺς Ἀσσυρίους, καθέλοντες τὸν βασιλέα, καὶ ἐς τὸ Μηδικὸν μετέστησαν ἔθνος* [2]. His iungendum Syncelli testimonium: *Οὕτω φασὶν οἱ τὰ Βαβυλωνιακὰ γράψαντες, ὅτι Ἀρβάκης τὴν βασιλικὴν προσηγορίαν καὶ τὸν πλοῦτον εἰς Μήδους μετήγαγεν. Ἀσσυρίων δὲ βασιλέα κατέστησε Βέλεσυν ὑπ' αὐτὸν δηλονότι. καὶ οὗτοι λοιπὸν ἦσαν κατὰ διαδοχὴν ὑπὸ Μήδους τεταγμένοι, ὥς τισι δοκεῖ, ἕως τοῦ η' βασιλέως Ἀσσυρίων καὶ Μήδων Δαρείου τοῦ καὶ Ἀστυάγους, ὃν Κῦρος καθελὼν εἰς Πέρσας τὴν βασιλείαν μετήνεγκεν* [3]. Berosum et Alexandrum designari *τοῖς τὰ Βαβυλωνιακὰ γράψασι* quid moneam? Mox Nabonasari, quem Eusebius plane praetermittit, Syncellus ex iisdem scriptoribus meminit, loco qui attendatur dignissimo: *Ὡς ὁ Ἀλέξανδρος καὶ Βήρωσσός φασιν, οἱ τὰς Χαλδαϊκὰς ἀρχαιολογίας περιειληφότες, Ναβονάσαρος συναγαγὼν τὰς πράξεις τῶν πρὸ αὐτοῦ βασιλέων ἠφά-*

1) l. l. p. 195 sq.

2) Agath. II. 25, cuius loci neque priora verba negligenda sunt. *Ἐς τοῦτον δὴ τὸν Βέλεσυν τῆς τοῦ Σεμιραμείου φύλου διαδοχῆς παυσαμένης, Βελητάρας τις ὄνομα, φυτουργὸς ἀνὴρ καὶ τῶν ἐν τοῖς βασιλείοις κήπων μελεδωνὸς καὶ ἐπιστάτης, ἐκαρπώσατο παραλόγως τὴν βασιλείαν, καὶ τῷ οἰκείῳ ἐνεφύτευσε γένει, ὥς που Βίωνι γέγραπται καὶ Ἀλεξάνδρῳ τῷ Πολυΐστορι, ἕως ἐς Σαρδανάπαλον κτέ.* Cf. Syncellus p. 676.

3) Syncell. p. 386 sq.

νισεν, ὅπως ἀπ' αὐτοῦ ἡ καταρίθμησις γίνεται τῶν Χαλδαίων βασιλέων[1]. Cetera persequi non lubet, vel ut quae de Senecheribo Eusebius excerpsit, post debellatos in Cilicia Graecos [2] Tarsi urbis conditore [3], quaeque ille et Syncellus de Sardanapalo sive Nabopolassaro, cuius filio Nabuchodonosoro Astyages, Mediae satrapes, filiam in matrimonium dederit [4], ne de Cyro dicam, in planitie Daharum in pugna interfecto [5]. Quae quidem omnia uberrimam praebent disputandi materiem, ab hoc loco et consilio nostro alienam. Indolem operis, cuius laudes ab Eusebio [6] dudum praedicatas dedita opera celebravit Niebuhrius, satis illustratam reor. Hoc tantum ab Agathia doctus addo, Alexandrum in Χαλδαϊκοῖς commemorasse etiam Arsacis

1) l. l. p. 390. — 2) Cf. hac de re Niebuhrius l. l. p. 204 sq.

3) Euseb. I. 5. p. 19, ubi dicitur Sardanapalus, fuso exercitu Graecorum, »suam imaginem, ut esset victoriae monumentum, eo loco erectam reliquisse, cui Chaldaïcis litteris res a se gestas insculpi mandaverit ad memoriam temporum sempiternam. Tarsum quoque urbem ab eo structam ait (Polyhistor) ad Babylonis exemplar, eidemque nomen inditum *Tharsin*." Atque haec ex Beroso fonte manavisse videntur, ut similis locus Abydeni ap. Euseb. I. 9. p. 25 arguit: nam in τῷ Περὶ Κιλικίας Alexandrum Graecos duces habuisse efficias ex origine, quam fingit, nominis *Tarsi* ap. Steph. v. Ταρσός. Cf. § 8. Interim si pro Senecheribo Sardanapalum cogitabis, videbis narrationem Polyhistoris non multum differre a traditione Graecorum, quae aetate Alexandri M. invalescere coepit; quamquam in *Chron. Pasch.* p. 71 Perseus Tarsum condidisse dicitur, paulo ante quam Assyriorum Regem Sardanapalum interfecisset. In alia omnia abit Iosephus *Ant.* I. 6. 1, a *Tharso* Tarsi originem referens.

4) Euseb. p. 20 sq.; Syncell. p. 396.

5) p. 21: »Regnavit Babylone Cyrus annis novem, donec in planitie Daharum proelio conserto periit. Tum imperium tenuit Cambyses annis octo: deinde Darius annis sex et triginta: deinde Xerxes ceterique Persarum Reges." Neque ulterius Eusebiana excerpta procedunt.

6) Cf. I. 1. p. 7 s. f., 5. p. 20.

de Macedonibus victoriam regnumque Parthorum [1]. Quae res ut accuratius designat tempora, ad quae Polyhistor historiam Chaldaeorum persecutus est, ita arguit evidenter, quam perverse iudicent, qui ex Beroso excerpta et compilata credant quaecunque narrantur e *Χαλδαϊκοῖς* Alexandri.

§ 18. *Περὶ Ἰουδαίων.*

Si certum omne indicium desideraretur, vel ex Stephano colligeres exstitisse Alexandri *περὶ Ἰουδαίων σύνταγμα ἢ σύνταξιν*. Sic enim ille: *Ἰουδαία. Ἀλέξ. ὁ Πολυΐστ. ἀπὸ τῶν παίδων Σεμιράμιδος Ἰούδα καὶ Ἰδουμαία* [2]. Eandem viam monstraret Iustinus Martyr, ubi narrat praeter Hellanicum, Philochorum, Castorem et Thallum etiam *Alexandrum Polyhistorem* meminisse Moysis, *ὡς σφόδρα ἀρχαίου καὶ παλαιοῦ τῶν Ἰουδαίων ἄρχοντος* [3]. Tertium his addere liceret, sed multo locupletiorem testem Iosephum, ipsa adducentem Polyhistoris verba de Abrahami ex Chaetura liberis [4]. Nunc nihil coniecturis opus. Nam Clemens: *Ἀλέξανδρος*, inquit, *ὁ*

---

1) Agath. l. l. Cf. Syncell. p. 677.

2) Vulgata lectio *τὸ ἐθνικὸν Ἰουδαίους, τινὲς δὲ Ἰδουμαίους φασίν*, sic corrigenda: *τὸ ἐθν. Ἰουδαῖος. τινὲς δὲ Ἰδ. φ.* Brevitas Epitomatoris obscuravit narrationem Alexandri, qui certe ab Iuda Iudaeos, Idumaeos vero ab Idumaea nomen cepisse scripsit. Porro in *Ἰουδαϊκοῖς* (cf. § 14.) *Γαζάτας* Alexander dixerit incolas Gazae, non *Γαζαίους* vel *Γαζίτας* (Steph. v. *Γάζα*), quam maritimam Palaestinae urbem Pompeius liberam esse voluit et attribuit provinciae', ut testatur Iosephus *Ant.* XIV. 4. 4 s. f.

3) *Coh. ad Graec.* p. 13 D.

4) l. l. I. 15, ubi veterem lectionem *Λέδωρον* Dindorfius non mutare debuerat in *Δίδωρον*, sed scribere *Διόδωρον* cum Eusebio *Praep. Euang.* IX. 20 s. f., qui ex Iosepho germanum nomen servavit, ut legitur etiam ap. Plutarch. *Vit. Sert.* IX.

Πολυΐστωρ ἐπικληθεὶς, ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων συγγράμματι ἀνέγραψέ τινας ἐπιστολὰς Σολομῶνος μὲν πρός τε Οὐάφρην τὸν Αἰγύπτου βασιλέα πρός τε τὸν Φοινίκης Τυρίων, τάς τε (l. *τὰς δὲ*) *αὐτῶν πρὸς Σολομῶντα* (l. *Σολομῶνα*), *καθ' ἃ* (l. *ἃς*) *δείκνυται ὁ μὲν Οὐάφρης ὀκτὼ μυριάδας ἀνδρῶν Αἰγυπτίων ἀπεσταλκέναι αὐτῷ εἰς οἰκοδομὴν τοῦ νεὼ, ἅτερος δὲ τὰς ἴσας σὺν ἀρχιτέκτονι Τυρίῳ, ἐκ μητρὸς Ἰουδαίας, ἐκ τῆς φυλῆς Δαβὶδ, ὡς ἐκεῖ γέγραπται, Ὑπέρωνι τοὔνομα* [1]. Omnium vero testimonia superat ambitu et gravitate Eusebianum [2], cuius quidem quasi summarium confecisse sufficiet, ut illustretur operis Corneliani ratio.

---

[1]) *Strom.* I. p. 396 s. f. *Ὑπέρωνι* scripsi pro *Ὑπέρων*, quamquam de vera huius nominis scriptura mihi non constare fateor. Corrupto exemplari usum esse Clementem etiam vox *ἅτερος* indicat et quod dicit *τὸν Φοινίκης Τυρίων*· cur enim *Οὐάφρης* nominatur, siletur *Σούρων*; Atque hinc addidisse videtur: *ὡς ἐκεῖ γέγραπται* i. e. *in meo libro*. Nominis lectio etiam ap. Euseb. depravata est, qui l. l. 32 et 34 exemplaria Epistolarum ipsa exhibet, descriptarum ab Alexandro ex Eupolemo. Scribit ibi ad Salomonem Suro: *Ἀρχιτέκτονά σοι ἀπέσταλκα ἄνθρωπον Τύριον, ἐκ μητρὸς Ἰουδαίας, ἐκ τῆς φυλῆς τῆς Δαβίδ. Ὑπὲρ ὧν ἂν αὐτὸν ἐρωτήσῃς... ὑφηγήσεταί σοι καὶ ποιήσει.* Quae verbi *ἐρωτᾶν* constructio insolentior etiam in Eupolemo. Restitue... *Δαβὶδ, Ὑπέρωνα. ἃ ἂν αὐτὸν κτέ.* Eupolemum non legit, ut vult videri, auctor *Chron. Pasch.* p. 168 Dind. Ceterum non prorsus fictitias fuisse has literas docet Iosephus *Ant.* VIII. 2, ubi non easdem plane, quas ex Eupolemo Alexander, sed similes tamen afferens, scriptas ad Tyriorum Regem a Salomone et contra, Epistolas sua etiam aetate asservari dicit apud Tyrios, quod quis resciverit *δεηθεὶς τῶν ἐπὶ τῶν Τυρίων γραμματοφυλακίων δημοσίων.* Qui autem Eupolemo *Σούρων*, is Iosepho, ut aliis alius, est *Εἴραμος*, quique *Ὑπέρων* illi *ἐκ τῆς φυλῆς Δαβὶδ*, huic *Χείραμος, μητρὸς μὲν ὢν Νεφθαλίτιδος τὸ γένος (ἐκ γὰρ ταύτης ὑπῆρχε τῆς φυλῆς), πατρὸς δὲ Οὐρίου, γένους Ἰσραηλιτῶν.* Sed quamvis genus ab Israëlitis duxerit, ipse *Tyrius* fuit architecti pater. Igitur non *Οὐρίου*, sed *Τυρίου* legendum. — [2]) l. l. 17—39.

Exscriptis igitur iis quae ex Beroso, Hecataeo et Nicolao Damasceno refert de Abrahamo Flavius Iosephus [1], consimilia narrationi Moysis, Eusebius testem cum illis et cum sacra scriptura amice conspirantem Alexandrum Polyhistorem adducit, *ἐν τῇ περὶ Ἰουδαίων συντάξει* complurium scriptorum testimonia suppeditantem. Initium ducitur a fragmento Eupolemi, qui in opere *περὶ Ἰουδαίων* narraverit, decima post destructam turrim Babyloniacam aetate Camarinae sive Urae sive Chaldaeopoli natum esse Abrahamum, Dei observantissimum et cum cetera sapientia tum astrologiae peritia clarissimum [2]. Pertexta historia Abrahami cumque Graecorum et aliarum gentium mythis quodammodo conciliata, alia de Abrahamo sequuntur ex *Ἰουδαϊκοῖς* [3] Artapani et libris *ἀδεσπότοις*, quibus Alexander ex opere Molonis *κατὰ Ἰουδαίων* [4] narrationem dissimilem opposuisse dicitur, quum ipse paucis interpositis de prohibita Isaäci immolatione exponeret; quae quidem Mosaïcos libros vehementer redolent. Allatis porro secundum Polyhistorem versibus decem hexametris ex libro primo Philonis *περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα*, Eusebius eundem Iosephi locum laudat, quem supra commemorabam. Mox ad Alexandrum rediens super Iacobo

---

1) L. l. I. 7. 2.

2) *In his* Eupolemus Berosum secutus esse videtur, de quo vid. Ioseph. l. *l. Cf.* Richter *Berosi quae supers.* p. 58 sq.

3) *In Chron. Pasch.* idem *Ἀρτάβανος* vocatur; quod praetulerim. Saltem *Persis* hoc nomen fuisse ex Herodoto constat, Diodoro Siculo, Plutarcho. Sed alterum tuetur Ctesias *Persic.* XX, ubi cf. Baehr. p. 151, *et cum* Eusebio Clemens l. l. p. 413.

4) *Ap. Euseb.* legitur *Μήλων*. *Μόλων* scribitur in duobus codd. Paris. *Cf.* Rauchius p. 22 n. 47. *Apollonium Molonem* esse, Iudaeorum calumniatorem, docet Iosephus *c. Ap.* II. 2, 14, 33, 36.

eiusque filiis narrat quae Polyhistor excerpsit ex Demetrio et poëmate Theodoti *περὶ Ἰουδαίων*· quae omnia re non discrepant a testimoniis Moysis. Historiam Iacobi excipit Iosephi historia, ex Artapano petita et Philone. Rebus Iobi secundum Aristaeum descriptis, Alexander ad Moysem pergit, Eupolemo, Artapano, Ezechiele, cuius ferebatur *Ἐξαγωγὴ* inscripta tragoedia, et Demetrio auctoribus usus [1]. Tandem laudatis de Davide, Salomone et Hierosolymis Eupolemo, etiam Epistolas *ἀμοιβαίας* exhibente Salomonis et Vaphrae atque Suronis Regum, Theophilo, Timochare *ἐν τοῖς περὶ Ἀντιόχου* et Syriae *Σχοινομέτρῃ*, Alexander Hierosolymorum aquas describit ex Philone et Aristaeo [2]. Denique excerptorum velut agmen claudit Hieremiae prophetia, ab Alexandro ex Eupolemo relata.

Itaque *Ἰουδαϊκὰ* Alexandri magnam partem fuere petita ex poëmatis *Philonis*, *Theodoti* et *Ezechielis*, scriptisque *Eupolemi*, *Artapani*, *Demetrii*, *Aristaei*,

---

1) Non laudato Alexandro eadem ex Artapano et Ezechiele multo concinnius, ex Eupolemo paulo uberius recepit Clemens p. 413 sq. Cf. *Chron. Pasch.* p. 117.

2) Non satis assequor, cur hoc Aristaei fragmentum a Polyhistore profectum neget Rauchius, quum alterum illud de Iobo Alexandro deberi concedat et p. 21 cum Philipsono credat, totam hanc scriptorum classem ex *Ἰουδαϊκοῖς*, *quae sub Polyhistoris nomine ferrentur*, Iosepho, Clementi, Eusebio innotuisse. Neque enim urgenda sunt verba Eusebii l. l. 37 s. f.: *Τοσαῦτα μὲν δὴ τὰ ἀπὸ τοῦ Ἀλεξ. τοῦ Πολυΐστ.* Simile quid quum dicatur 21 s. f., Theodoti tamen narrationem ex eodem fonte Eusebius hausit, quamquam hoc quoque a Rauchio negatur p. 23 sq. Venturus enim a Demetrio ad Theodotum Eusebius: *Ταῦτά μοι κείσθω*, inquit, *ἀπὸ τῆς Ἀλεξ. τ. Π. γραφῆς. ἑξῆς ἐπισυνήφθω καὶ τάδε.* Quibus enarratis ad Artapanum his pergit: *Τούτοις καὶ τὰ ἑξῆς περὶ τοῦ Ἰωσὴφ ἐκ τῆς αὐτῆς τοῦ Πολυΐστορος γρα ῆς ἐπισυνῆφθαι* (l. *ἐπισυνήφθω*).

Theophili, *Σχοινομέτρου* Syriae, aliorum, ad quos ex Iosepho addo *Cleodemum* prophetam sive *Malchum*. Cave autem ex Eusebio efficias commentarium Alexandri fuisse florilegium, ut ita dicam, ex scriptoribus illis consarcinatum. Ita enim vereor ne magis inique de Polyhistore iudicemus quam recte sentiamus de ratione et consilio, quo Alexandri commentarium Eusebius velut mutilavit. Ipsam orationem Alexandri, ut v. c. ex loco de immolatione Isaäci, unico qui ex Polyhistoris verbis excerptus est [1], Eusebius ubivis fere missam fecit, in hoc potissimum incumbens ut quam plurimos testes citaret, qui sacrae scripturae essent suffragati. Quod agens non potuit sane ducem sibi eligere Alexandro commodiorem, qui vix quidquam memorare in rebus gravioribus soleret nisi nominato auctore [2], sive quo aliquam conciliaret narrationi vel fidem vel auctoritatem, seu quod doctrinae atque eruditionis ostentatione omnino delectaretur. Sed haec hactenus. Poëtis illis et historicis, quibus Alexander usus est in *'Ιουδαϊκοῖς* conscribendis quorumque magna pars Alexandriae fortasse degit [3], quum rerum Iudaïcarum notitiam alii alia ratione tam Iudaeis quam Graecis impertiri studerent, fundum *Historiarum* suarum fecisse videntur Graecam librorum Mosaïcorum versionem [4], quos ex fabulis Graecorum et Aegyptio-

---

1) l. l. 19. Quam parum integra Eusebius etiam reliquorum scriptorum fragmenta ex Alexandro descripserit, efficitur e loco Clementis, quem modo laudabam.

2) Cf. in primis testimonium Photii infra § 19, ne nunc repetam quae in superioribus passim observavi.

3) Cff. Valcken. *de Aristob. Iud.* p. 17 sq. quosque praeterea laudat Rauchius p. 20 sqq. — 4) Ostendit Rauchius p. 24 n. 54.

rum suo quisque modo illustrarent vel amplificarent. Accedebat ut haud pauca *Historiis* suis intexerent, quae si non ipsi finxissent, certe sine crisi ulla reciperent et pro veris traderent. Cum hoc scriptorum genere ii conjungendi, quorum inter Graecos plures fuere, qui de Hebraeorum gente atque institutis minus benigne sentirent, ut *Apollonius Molon*, ex Eusebio fontibus Alexandri annumerandus. Atque sic perspicuum est Alexandrum, quum etiam Moysis libros consuluisse videatur [1], satis magnam et variam subsidiorum copiam sibi paravisse, ut de Iudaeorum historia bene mereretur. Quum vero Eusebius, quod modo dicebam, Alexandrum excerpens non ad auctorem' *Ἰουδαϊκῶν* attenderit, sed ad testium quos adduxisset numerum, de vera indole illius commentarii et narrationis fide nihil amplius statuo. Nam non a delectu tantum, quo in fontibus sibi parandis Alexander usus sit, atque a numero librorum, sed a consilio, a ratione, a judicio in primis, quo eosdem adhibuerit, omnia pendent. Duo tamen persequenda restant, ne tacendo vel refutationem detrectare vel assentiri videar Wegenero et Rauchio, quorum uterque falsissimam tulit sententiam, alter de argumento operis, de auctore alter. Horum ergo rationes iam continuo examinandae.

Wegenerus, quem quod Alexandrum Pergami *Ἰουδαϊκὰ* composuisse opinatur, nunc non morabor: »Compilatis, inquit, Eupolemi, Artapani, Demetrii, Theodoti

---

1) Vid. Euseb. l. l. 19 s. f., coll. *Genes.* XXII. 2—13. Monet Rauchius p. 36 laudari *Ἰουδαϊκὰ* ab Hieronymo *lib. quaest. Hebraic. in Genesin* I. p. 529 ed. Benedict., quod opus mihi ad manum non est. Haud scio tamen an quidquam ex Alexandri libro proferat, quod aliunde ignoremus.

scriniis, ab orbe condito usque ad expugnatum a Babyloniis regnum historiam Iudaeorum conscripsit, opus magni ambitus, cuius singuli libri suos habebant titulos, ut *de diluvio, de turris aedificio, de Mose, de Senacheribo, de Nabochodonosore* etc." [1]. Haec ille, quibus luce clarius indicat sibi videri Eusebium continuum fragmentum exhibere ex *'Ιουδαϊκοῖς* Polyhistoris, quae opinio quam sit levis et incondita supra me monere memini [2]. Idem valet in titulos, quos singulis libris vult praepositos: nam quod tales excerptis suis praemittere Eusebio et Syncello placuit, ideo ab Alexandro idem factum Wegenerus putat. Aliam certe causam equidem nullam invenio. Syncello? roges. Iterum dico, Syncello: nam quae apud hunc ex *Χαλδαϊκοῖς* leguntur, ea Wegenerus ad *'Ιουδαϊκὰ* retulit. Sic omnia misere commiscet. Qui vero factum sit ut Alexandrum crederet historiam Iudaeorum non ulterius persecutum esse quam ad expugnata a Babyloniis Hierosolyma, plane non intelligo. Si forte propter Syncellum credidit, quod nimirum is tetigit secundum Alexandrum Nabuchodonosoris historiam neque excerpsit seriora, sententiam eius refellere nihil attinet. Ubi Alexander substiterit in Iudaeorum rebus exponendis, nullo argumento constat, ne ex Eusebio quidem, cuius disputationis natura ferebat ut ex libro Alexandri non nisi ea depromeret quae ad antiquissimam gentis historiam spectarent. Mihi Wegenerus a vero multo propius abfuisse videretur, si Alexandrum coniecisset regni Iu-

---

1) *De aul. Attal.* p. 196.

2) Non melioris notae sunt quae docet Vossius *H. G.* p. 189, ratus Eusebium *pene integrum* Alexandri librum exscripsisse.

daïci historiam pertexuisse ad subacta a Pompeio Hierosolyma, cui expugnationi ipse fortasse Pompeii comes adfuit [1].

Omnino difficilius esse refellere falsa quam ponere, id si nescirem, nunc me doceret Rauchius. Negat is *'Ιουδαϊκὰ* ab Eusebio laudata et Graeci esse hominis et Alexandri; ponit vero Iudaei esse compilatoris, qui »historiae suae Alexandri Polyhistoris nomen inscripserit, quippe qui diligentissimus antiquitatis mythorumque Asiae minoris et Syriae investigator eo tempore haberetur;" tandem Eusebio hanc fraudem latuisse. Quum non dignatus sit Rauchius argumenta adducere, quibus sententiam suam probaret vel probabilem redderet, ut potero, quae scripsit refellam. An vero pro argumento hoc habendum est, quod ait Iudaei nec Graeci hominis esse »eiusmodi commentarios in unum redigere," ut »iis Iudaeis, qui inter Graecos viventes, Hebraei sermonis ignari essent, aliquam rerum sacrarum gestarumque suae gentis notitiam conciliarent?' Sane iis Iudaeis et satius fuisset et facilius consulere sacrorum suorum librorum versionem Graecam, quam confugere ad doctam quandam compilationem ignoti ipsis hominis, Alexandri Polyhistoris nomen mentiti. Fac porro eiusmodi compilatorem exstitisse, qualem sibi cogitavit Rauchius; an probabile, si quis Iudaeus Iudaeos gentis suae historiam edocere voluerit, eum Graecorum scrinia compilavisse, ut Apollonii Molonis, qui Hebraeorum gentem, religionem, instituta ludibrio

---

1) Vid p. 99 sq. Nominat quidem Alexander (ap. Euseb. l. l. 35) in libris, ex quibus profecit, Timocharis τὰ περὶ 'Αντιόχου, sed Antiochorum quotus hic fuerit, incertum.

haberi et insectari conviciis viderentur? Imo fuit scriptoris Graeci, qualem Polyhistorem cognovimus, *diligentissimi antiquitatis mythorumque investigatoris*, etiam res Iudaeorum perscribere, qui mira esset instructus subsidiorum copia historiaeque universalis incredibili imbutus et studio et cognitione. Quod vero Eusebius eo fuerit deceptus, quod criticam artem prorsus negligeret; quid mihi cum Eusebio, si quaeram de auctore *'Ιουδαϊκῶν*; Hac in re criticam artem Rauchii prorsus desidero, immemoris Iosephi potius rationem habendam esse, tum Clementis, qui Eusebio floruit uno fere saeculo prior. Nam quae ex Alexandri *περὶ 'Ιουδαίων συγγράμματι* Clemens laudat, ea evidentissimum est ex *τῇ περὶ 'Ιουδαίων συντάξει* petita esse, qua usus est Eusebius [1]. At plus saeculo ante Clementem, totidem fere annis post obitum Alexandri, suam scripsit Romae, ut Alexander, *'Αρχαιολογίαν 'Ιουδαϊκὴν* Iosephus, a quo eundem commentarium laudari, quem Eusebius consuluit, ex hoc ipso satis certo scias [2]. Quid igitur? Eo res redit, ut dispiciamus, qua veri specie dici Iosephus possit falsus esse ab Iudaeo quodam, qui, aliquot annis post mortem Polyhistoris, huius nomine *'Ιουδαϊκὰ* ediderit. Mihi nulla offertur; si qua aliis, non celabunt.

---

1) Cf. p. 150. n. 1.

2) Cur enim Eusebius l. l. 20 s. f., si alio esset *συντάγματι* usus, laudaturus ipsum Iosephi locum, quo Alexandri Polyhistoris fit mentio, simpliciter monuisset: »*Ταῦτα μὲν δὴ ἀπὸ τῆς προειρημένης τοῦ Πολυΐστορος γραφῆς. καὶ ὁ 'Ιώσηπος δὲ ἐν τῇ πρώτῃ τῆς 'Αρχαιολογίας τοῦ αὐτοῦ μνημονεύει διὰ τούτων.*"?

§ 19. *Θαυμασίων συναγωγή.*

Ut hoc potissimum loco de libro agam, qui *Θαυμάσια* mundi complexus est, et argumentum ipsum postulat et suadet Protagorae Periegetae exemplum, qui quum commentariorum libris quinque prioribus periegesin quandam scripsisset Asiae et Africae, quin etiam Europae, sexto libro simile argumentum tractavit. Testis mihi est Photius, qui: *Τὸ ἕκτον* (*βιβλίον*), inquit, *σύστοιχόν πως ἐστι τῇ Ἀλεξάνδρου συναγωγῇ· τῶν γὰρ κατὰ τὴν οἰκουμένην παραδοξολογουμένων ἀναγράφει τὴν ἱστορίαν, ὧν τὰ μὲν εἰς ἀρχαιοτέρους ἀναγράφει τὴν ἱστορίαν, πολλὰ δὲ καὶ εἰς αὐτοψίαν ἕλκει, οὐκ ἔλαττον τῶν ἄλλων προβαλλόμενα τὸ παράδοξον* [1]. Historiam, ut ita dicam, ac rationem eiusmodi librorum persecutus post Ebertum [2] Westermannus verissime effecisse videtur, *Θαυμασίοις* colligendis primum Callimachum operam dedisse, auctorem *Θαυμάτων τῶν εἰς ἅπασαν τὴν γῆν κατὰ τόπους ὄντων συναγωγῆς* [3]. neque nos adeo eam rem nunc curabimus, sed hoc porro agemus, ut ex aliis quoque testimoniis Photii naturam operis Corneliani illustremus. Classicum igitur locum de libro Alexandri hunc esse scito: *Ἀνεγνώσθη Ἀλεξάνδρου Θαυμασίων συναγωγή. λέγει μὲν ἐν τῷ βιβλίῳ πολλὰ τερατώδη καὶ ἄπιστα, πλὴν ἄλλους τῶν οὐκ ἀφανῶν εἰσάγει ταῦτα* (l. *ταὐτὰ*) *προϊστορήσαντας. λέγει δὲ περί τε ζώων καὶ φυτῶν καὶ χωρῶν τινῶν καὶ ποταμῶν καὶ κρηνῶν καὶ βοτανῶν καὶ τῶν τοιούτων. σαφὴς δὲ τὴν*

1) *Bibl.* 188. p. 145 b. 20. — 2) *Diss. Sic.* I. p. 168 sqq.
3) *Praef. Paradoxogr.* p. IX sqq.

φράσιν καὶ κεφαλαιώδης ἐστὶ, καὶ οὐδὲ τοῦ ἡδέος ἀπεστερημένος [1]. Hinc sane coniicias licet, *Θαυμασίων* librum sive velut appendicem et supplementum fuisse librorum, quos supra examinavimus, sive argumento saltem quodammodo cum iis conjunctum, quippe quod varium ac multiplex cum per historiam naturalem, tum vero per totam historiam et geographiam late pateret. Quod scriptorum genus futilius fortasse quam utilius non ita alienum fuisse a schola Cratetea, suo ipse exemplo Crates arguit, quippe qui in eodem argumento elaboraverit [2]. Haud dissimilem, quamvis minus amplam et minus variam, scribendi materiem sibi elegit Sotion, cuius scriptionem cum sexto Protagorae libro et Alexandri *συναγωγῇ* deinceps comparans Photius hoc discrimen notat, *ὅτι ἐνταῦθα (ἐν Σωτίωνος βιβλιδαρίῳ) τὰ περὶ κρηνῶν μόνον καὶ λιμνῶν παραδοξολογούμενα ἱστορεῖται, ἐν ἐκείνοις δὲ καὶ πλειόνων ἄλλων* [3]. Tandem ut Nicolaum Damascenum deprehendit Photius *συμβαίνοντα εἰς ταὐτὸν ἐνίοις τῶν ὑπὸ Ἀλεξάνδρου παραδόξων συνειλεγμένων* [4], ita mox de Acestoridis *κατὰ πόλιν μυθικοῖς* judicium ferens in his quoque multa se invenisse testatur,

---

1) l. l. p. 145 b 9. Longe alio consilio *περὶ βοτανῶν καὶ ζώων κτέ.* egisse Dioscoridem in libris *περὶ ὕλης*, de quibus judicat Photius *Cod.* 178, neminem praeterit. Ibi igitur p. 121 b. 31 *Alexandri* mentionem factam legentes sponte intelligimus *medicum Trallianum*, ut in scholiis ad Nicandr. *Theriac.* 922, quo loco testis citatur *Alexander ἐν τῷ περὶ Θηριακῶν.*

2) Colligo ex compluribus fragmentis ab Aeliano et Plinio servatis, quorum tamen neuter titulum commemorat, miro modo fictum a Wegenero *de aul. Attal.* p. 150. Inscribit enim commentarium *Θαυμάσια τῶν θηρίων*, incertus etiam solutane an ligata oratione scriptus fuerit! Cf. p. 130. — 3) l. l. 189. p. 145 b 30. — 4) l. l. b 37.

ἅ τε συνείλεκται Κόνωνι καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν τῇ αὑτοῦ εἶπε βιβλιοθήκῃ καὶ Ἀ λ έ ξ α ν δ ρ ο ς ἤθροισε καὶ Νικόλαος προσεφώνησε καὶ Πρωταγόρας προδιέλαβεν [1]. Quae omnia hoc loco sunt attendenda, quo magis et nunc ratio explicetur *Θαυμασίων συναγωγῆς* et quasi praeparemus quae mox erunt de aliis commentariis disputanda. Fragmenta *Θαυμασίων* non diserte memorantur; sed illa Photii testimonia reputanti dubium esse nemini potest, quin ad *Θυαμάσια* respiciat Tzetzes, ubi Indiae miracula exposita narrat cum ab aliis plurimis, tum ab *Alexandro*, Sotione, Protagora, Acestoride, Ptolemaeo [2]. Quem Ptolemaeum quis non intelligat Chennum esse, Hephaestionis filium, qui in excerptis Photianis excerptum suppeditat Alexandri Myndii de dracone Herculis socio in oppugnando leone Nemeaeo [3]? Quod Alexandrum *Myndium* dicit, id luculentius etiam probat quis fuerit *Θαυμασίων συναγωγῆς* auctor: nam ex hac, opinor, depromptum est fragmentum [4]. Ceterum prouti possunt fortasse ad *Θαυμάσια* referri quae alio equidem retuli, ita res ipsa monet, ut quod omen Mario quartum Consuli oblatum tradit Plutarchus ex Alexandro Myndio, *τὸ περὶ τοὺς γῦπας θαύματος ἄξιον* [5], id in *Θαυμασίοις* enarratum fuisse statuamus [6]. Exstat

---

1) p. 146 a 22. — 2) *Chil.* VII. 644 sqq. Cf. supra § 12.

3) l. l. 190. p. 147 b. 23.

4) Sic eximitur qui possit superesse Viris Doctis scrupulus, dubitantibus num forte alii Alexandro, velut Paphio, *Θαυμάσια* adscribenda sint; quorum est Westermannus l. l. p. XVIII. Quid, quod ipsum silentium Photii de *Θαυμασίων συναγωγῇ* iudicium ferentis probat de scriptore cogitandum esse notissimo, qualis non Paphius fuit, sed Cornelius?

5) *Vit. Mar.* XVII.

6) Non aliter sentio de tribus locis Plinianis, quorum primus est IX. 56:

quoque iudicium Tzetzae, quo fabularum allegoricam interpretationem multo melius se callere iactitat quam Polyhistorem Alexandrum, Apollodorum, Rheginum, alios; quod levissimum testimonium quum in genere de scriptis Alexandri accipi possit, ideo in primis accipiam de *Θαυμασίων συναγωγῇ*, quod hanc unice cognovisse videtur vanissimus iudex [1].

§ 20. *Μυθικά.*

Μυθικῶν libros Polyhistori tribuentes sequimur Menagium, qui apud Diogenem Laërtium [2] *'Αλέξανδρος* re-

»Meliores (uniones) circa Actium, sed et hi parvi; et in Mauritaniae maritimis. *Alex. Polyh.* et Sudines senescere eos putant coloremque exspirare." Alter legitur XIII. 39: »*Alex. Corn.* arborem eonem appellavit, ex qua facta esset Argo, similem robori viscum ferenti, quae nec aqua nec igni posset corrumpi, sicuti nec viscum: nulli alii cognitam, quod equidem sciam." Tertius denique locus est XVI. 6 atque haec continet: »Dulcissima omnium fagi (glans), ut qua obsessos etiam homines durasse in oppido Chio tradat *Corn. Alex.*" His addiderim Artemidorum *Oneirocr.* (ed. Rigalt.) p. 58, ubi dicit *Alex. Myndium* de *κρομμύων* usu *ἰσχυρῶς ἀπορῆσαι*· p. 90, ubi et de illo et de Phoebo Antiochensi: *Πολλὰ*, inquit, *περὶ τοῦ δοκεῖν κεραυνοῦσθαι ἀπὸ πείρας ἰδίας προσέθεσαν, πλὴν οὐ πάντα γε ἀκριβῶς ἐξίσχυσαν εὑρεῖν*· tandem hirudinis historiam, mortem luctumque portendentis, quae ex *Alex. Myndio* et Dionysio Heliopolita narratur l. l. p. 152.

1) Tzetzae verba, non digna quae exscribantur, legas Lycophr. 177 p. 455.

2) I. 1. 29. Rauchius p. 8. n. 15 *'Αλεξίων* praefert, non explicans tamen, unde hunc resciverit patriam habuisse Myndum. *'Εν τῷ περὶ αὐλῶν* laudatur ab Athenaeo IV. p. 182 C, si recte vidit Schweighaeuserus ibi nomen eius latere in vocibus *"Αλεξις ὤν*. — Diu haec scripta erant, quum Menagianam coniecturam impugnatam legi a Roepero, *Conject. zu Diog. Laert.* p. 32 sqq. (Schneidew. *Philol.* III. 1). Quod quamquam monendum, tamen mutandum nihil duco. Multi certe erunt qui repudient Menagii lectionem; qui vero Roeperum probabilius coniecisse censeat, haud scio an quisquam inveniatur. De Myndio *Alexandro* ideo

stituit pro *'Αλέξων* corrupto nomine. Nam qui *'Αλεξίων* reponunt et grammaticum intelligunt, cuius saepissime fit mentio in Scholiis ad Homerum, non reputant scriptorem laudari *Myndium*. Diogenes igitur, tra-

---

cogitari posse negat Vir Doct., quod in rebus naturalibus et zoölogicis explicandis semper is soleat laudari. Nec placet illi nomen *'Αλέξων* vel *'Αλεξίων*. *Ζήνων* putat legendum esse, quo ducat duorum codd. Paris. lectio *'Αέξων*, intelligens Myndium grammaticum, quem commemorat Stephanus Byz. v. *Μύνδος*, citat Clemens Alex. *Protr.* III. p. 37, significare Roepero videtur Hesychius v. *'Υπομέλαθρα*, ut Arnobius *adv. gent.* VI. 6. p. 193. (Vide supra p. 135 sq.). At cur a Zenone magis quam ab Alexandro exspectemus Bathyclis filii mentionem, sive is *Θυρίων* sive, ut mavult Roeperus, *Θηρίων* appellatus fuerit, causa nulla est. Et Alexander et Zeno uterque fuit grammaticus, fuit etiam Alexion, quem si Myndi natum constaret nomen *'Αλεξίων* apud Diogenem locum suum forsitan posset tueri, ut nunc potest *'Αλέξανδρος*: nam neque omnino verum est, Myndium Alexandrum tantum in rebus naturalibus et zoölogicis testem citari, dummodo ne quis eo trahat locum Photii p. 160 laudatum, et Myndius idem est ac Corn. Alexander, qui *μυθικοῖς* exponendis mirum quantum delectabatur. *ΑΛΕΞ* similitudine literarum *Λ* et *Δ* mutari facillime in *ΔΕΞ*, sed hoc ipsum oriri e scriptura *ΖΗΝ* vix ac ne vix quidem potuit. Tandem quod exemplum affert Roeperus ex *Anecdotis* Crameri, eius nulla omnino vis est, quippe quae posita sit in lectione temere mutata. Docet ibi III. p. 350, 14 in scholio, quod corruptissimum esse nemo negabit, Tzetzes Herodotum filium fuisse *Ξύλου*· legi enim *'Ηρόδοτον Ξύλεω* in epigrammate, *οὗ Ζήνων ἐν [τῇ] τετάρτῃ τῶν εὐθυνῶν μνημονεύει*. Roeperus corrigit *Μυθικῶν*, ut idem opus a Diogene laudetur et Tzetza. Si quid mutandum, pro *τῶν εὐθυνῶν*, quod valere debuit *Emendationum*, legam *εὐθύνων*, *corrigens*. Utut est, agitur de *recta* nominis scriptura. Tzetzes dubium se haesisse testatur, utrum scribendum sit, *Ξύλου* an *'Οξύλου*, donec lectis commentariis Zenonis illam lectionem probam esse viderit. Qui meminerit quam saepe iam olim erratum sit in nominibus scribendis, non mirabitur id dedita opera egisse grammaticos, ut quid verum esset, quid non, certis argumentis demonstrarent. Sic *Ξύλου* corrigens Zeno commode laudato epigrammate usus est. Eiusmodi autem emendationi, qua patri Herodoti germanum nomen vindicaretur, ecquis potuit esse in *Μυθικοῖς* locus?

dita historia de aureo tripode a Milesiis Delphos misso, aliter rem legi ait in Callimachi *Ἰάμβοις*, secuti Leandrum Milesium. *Βαθυκλέα γάρ τινα Ἀρκάδα φιάλην καταλιπεῖν καὶ ἐπισκῆψαι δοῦναι τῶν σοφῶν τῷ πρωτίστῳ. Ἐδόθη δὴ Θαλῇ, καὶ κατὰ περίοδον πάλιν Θαλῇ· ὁ δὲ τῷ Διδυμαίῳ Ἀπόλλωνι ἀπέστειλεν.* Eandem historiam tractans Alexander phialam docuit circumlatam esse a Thyrione, Bathyclis filio. *Ὁ περιενεγκὼν τὴν φιάλην τοῦ Βαθυκλέους παῖς Θυρίων ἐκαλεῖτο, καθά φησιν Ἔλευσις ἐν τῷ περὶ Ἀχιλλέως καὶ Ἀλέξ. ὁ Μύνδιος ἐν ἐνάτῳ Μυθικῶν.* Quod quum unicum sit *Μυθικῶν* Polyhistoris fragmentum, de natura operis si quaeras, non certius scias qualis ea fuerit quam qualis non fuerit. E testimonio Photii de Acestoridis *Μυθικοῖς* efficias quidem aliquam exstitisse coniunctionem *Θαυμασίων* et *Μυθικῶν*, quae dicebantur, sed haec inde explicanda, quod non ita fuere utrorumque limites circumscripti, quin possent interdum eadem et ad *Θαυμάσια* referri et ad *Μυθικά*. Hoc certum est, Alexandri aliam fuisse *Θαυμασίων*, aliam *Μυθικῶν συναγωγὴν* [1], ut vel librorum numerus probat: nam illa unum, haec plures libros complexa est, sive acquiescas vulgari lectione *ἐν ἐνάτῳ Μυθίκῶν* seu restituere malis *ἐν α' τῶν Μυθικῶν*. Caput vero quaestionis in hoc versatur, fuerintne Alexandri *Μυθικά*, ut Acestoridis et aliorum, *τὰ κατὰ πόλιν* vel *κατὰ τόπους*, an fabulas priscas

[1]) Huc faciunt etiam verba Photii de Acestoridis *λόγοις* l. l. *Ἔοικε μὲν οὖν οὗτος ὁ ἀνήρ*, inquit, *οὐκ ὀλίγων εὐστοχώτερον τῇ ἐπιγραφῇ κεχρῆσθαι· ἃ γὰρ ἕτεροι ἢ οἵ γε μετριώτεροι μηδὲν ἐπισημηνάμενοι ἢ ἔνιοι καὶ ὡς ἀληθῆ σπουδαιολογήσαντες ἀνεγράψαντο, ταῦθ' οὗτος σὺν τῷ φιλαλήθει μύθους καλέσας τὴν περὶ αὐτῶν ἱστορίαν ἢ μυθολογίαν — συνετάξατο.*

narrationesque exhibuerint et explicaverint, quas vel antiquas servasset poësis vel finxisset novas. Sunt fortasse quae pro hac altera sententia afferri possint, velut si quis dicat Alexandrum *τὰ κατὰ τόπους μυθικὰ* abunde iam collegisse et illustravisse in multis illis libris, quibus de complurium regionum rebus et historia absolvit. At iisdem in libris Alexander haud dubie descripsit quae ubivis essent memorabilia et mirabilia, et tamen *Θαυμάσια* mundi singulari etiam commentario persecutus est. Locus Diogenis Laërtii eiusmodi est, ut utramcunque fuisse *Μυθικῶν* rationem statuas, eum utro velis facili negotio trahas, sed faciliore ad *Μυθικὰ τὰ κατὰ τόπους*. Et vero ab homine, qui grammatici quidem doctissimi partes cum laude sustinuit, sed geographiae, sed historiae indagatorem diligentissimum se probavit, qui etiam, ut statim ostendam, in Alcmanis carminibus explicandis haud dissimili consilio ductus fuisse videtur, — ab eo, nisi me omnia fallunt, potius *τοπικῶν*, ut ita dicam, quam *ποιητικῶν μύθων* commentarios exspectare liceat. Quid, quod egregie huc facit exemplum Dionysii Musonii f., qui etsi scripsit *οἰκουμένης Περιήγησιν*, edidit item *Ἱστορίας τοπικάς* [1]; Sic, praeter Acestoridis, Neanthis Cyziceni et Antiochi commentarios laudant, *Κατὰ πόλιν μυθικὰ* inscriptos [2], a quibus libris fortasse titulo

1) Suid. s. v.; Eudoc. p. 129. *Ἱστορίας* cuiusdam *τοπικῆς* meminit etiam Scholiastes Hom. *Iliad. K.* 266.

2) Plutarch. *Symp.* I. 10, Ammon. v. *Βωμός;* Ptolemaeus ex Athenodoro ap. Phot. l. l. p. 150 b 4. Videndum etiam, num huc pertineant Nysaei duo, pater et filius, Aristodemum dico et Sostratum, quorum *Μυθικὴν συναγωγὴν* laudat Plutarchus, qui dicitur *Parall. min.* XXXV et *de fluv.* XXIV. 4. Cf. Stobaei *Floril.* XIX. Dictionem *κατὰ πόλιν* ad unas Athenas falso restringit Prellerus *Polem. Perieg. fragm.* p. 195.

magis quam argumento diversa fuerunt aliorum[1] *Κατὰ τόπους μυθικά*, quum in omnibus his libris id maxime ageretur, ut fabulae veteres et traditiones minus notae vel incertae ex complurium locorum historiis atque urbium *κτίσεσιν* eruerentur. Quid plura? Meam explicare sententiam studui; nihil aliud. Meliora docenti protinus me victum dabo.

§ 21. *Περὶ τῶν παρ' Ἀλκμᾶνι τοπικῶς ἱστορημένων.*

Affine argumentum tractavit Alexander in *τοῖς παρ' Ἀλκμᾶνι τοπικῶς ἱστορημένοις* sive *εἰρημένοις*, a Stephano commemoratis [2], dummodo et de horum argumento recte coniiciam et de *Μυθικοῖς* vere iudicaverim. Nisi enim totus fallor, Alexander hoc commentario plurimarum regionum gentiumque illustravit fabulas et historias, quas tetigit in poëmatis Alcman. Eius duo servata sunt exigua fragmenta, paene dicere audeam tria. Locutus enim de Araxa oppido, quod ad Lyciam refert ex Alexandri *Lyciacis* Stephanus: *Ἀράξαι ἢ Ἀραξοί*, inquit, *ἔθνος Ἰλλυρίας, ὡς Ἀλέξ. Κορν. ἐν τῷ π. τ. παρ' Ἀλκμ. τοπ. εἰρημένων.* Cuius loci memor dubitat quidem Schneidewinus [3], Alcman ipse *Araxas* vel *Araxos* commemoraverit, an Alexander in commentariis Alcmanicis ad hos aliosque populos excurrerit; sed dubitat sine causa. Sane Alcmanem illius gentis injecisse mentionem, mirum

---

1) Unius anonymi memoria exstat ap. Apollon. *Hist. Mir.* XIII, ubi laudatur *ἐν τῷ Κατὰ τόπους μυθικῷ.*

2) Hic alter titulus videri possit quasi patronum habere laudatum a Fabricio *B. G.* II. 90. Eusebium, cuius olim ferebatur liber *περὶ τῶν τοπικῶς εἰρημένων ἐν τῇ θείᾳ γράφῃ*, cui tamen exemplo cave nimium tribuas. — 3) *Conjectan. critt.* p. 29.

non videbitur cogitanti, quod Schneidewinus ipse observat, poëtam alios quoque Illyriae incolas in carminibus suis perstrinxisse. Contra Alexandro, qui singularem librum *de tractu Illyrico* scripsit, quam fuisse causam putemus, ut in ἐξηγήσει ad incolas Illyriae excurreret ab Alcmane praetermissos? Sed pergamus ad alterum Stephani locum. "*Ἄσσος*, inquit, πόλις *Αἰολίδος* κατὰ τὸν Ἑλλήσποντον ἢ Κεκρόπειόν. Ἀλέξ. δ' ὁ Κορν. ἐν τῷ π. τ. παρ' Ἀλκμ. τοπ. ἱστορημένων Μυτιληναίων ἄποικον ἐν τῇ Μυσίᾳ φησὶν Ἄσσον, ὅπου ὁ σαρκοφάγος γίγνεταὶ λίθος. Aeolis, in qua cum aliis Plinius [1] *Asson* sitam tradit, quum latiore sensu Troadem contineat ipsaque quondam Mysia dicta fuerit, nulla est discordia inter Alexandrum et Plinium, dicentem: »Circa Asson Troadis lapis nascitur, quo consumuntur omnia corpora: Sarcophagus vocatur [2]." Quod vero urbem Alexander Mytilenaeorum ἄποικον scribit, in eo paululum dissentit a Myrsilo, qui Methymnae natus [3] a patriae urbis colonis conditam tradit [4]. Huius Assi rursus colonia fuit proxime situm oppidum *Gargarus* sive *Gargara* [5], cuius pariter memorem fuisse Alcmanem idem Stephanus docet. Qui locus quum ex libro Alexandri petitus esse videatur,

1) *B. N.* V. 32. Ceterum de situ Assi vid. Forbiger, *Handb. d. alt. Geogr.* II. p. 142 sq. — 2) II. 98. Cf. XXXVI. 27.

3) Steph. Byz. v. *Μήθυμνα*.

4) Ap. Strab. XIII. p. 909 A. Aeoliorum coloniam *Asson* facit Pomponius Mela I. 18. 3, praeeunte Hellanico ap. Strab. l. l., quo neque ab Alexandro dissentit neque a Myrsilo. Nam λέγονται καὶ οἱ τὴν *Λέσβον* οἰκοῦντες *Αἰολεῖς* ἀπὸ τῶν *Αἰόλου* παίδων. Quae sunt Stephani verba v. *Αἰολία*.

5) Testis est l. l. Strabo, Aeolicam urbem dicens p. 874 C. De nomine agit ex Ephoro et Philea Macrobius *Saturn.* V. 20. Cf. Forbiger p. 143.

non est silentio praetereundus. *Γάργαρα, πόλις τῆς Τρωάδος ἐπὶ τῇ ἄκρᾳ τῆς Ἴδης, πάλαι Γάργαρος καλουμένη. — Ἀλκμὰν δὲ θηλυκῶς τὴν Γάργαρόν φησιν, ἐν ᾗ κατῴκουν Λέλεγες· ὠνομάσθη δ' ἀπὸ Γαργάρου τοῦ Διός, τοῦ ἐκ τῆς Λαρίσσης ἐν Θεσσαλίᾳ.* Postrema in primis Alexandrum redolent, talia addere quavis opportunitate solitum, in hac vero *ἐξηγήσει* dedita opera exponentem. Ceterum si quid conjicere juvaret, his fragmentis plura possent ex Stephano addi, velut ubi narrat Heracleam Cariae eam fuisse urbem, quam appellaverit Alcman *Latmum* [1]; haec enim cum Schneidewino credo deprompta esse ex Alexandri *ἐξηγήσει*· sed quum in illis brevissimus sit Stephanus nec quidquam fere nisi nomina praebeat, non intelligo, quem possit inde res Alexandri fructum percipere. Quid enim prodest, quaeso, scire de *quibus* gentibus oppidisque Alcmanicis Alexander scripserit vel scribere potuerit, si *quid* scripserit ignoramus [2]? Quo circa his in suspenso relictis redire malo ad argumentum operis et agere de consilio, quo editum fuisse videatur.

Commentarios *περὶ Ἀλκμᾶνος* confecere Ptolemaei Philadelphi aetate Sosibius Laco [3], *ὁ λυτικὸς* dictus,

1) v. *Ἡράκλεια.*

2) Universe huius rei ratio habenda est in fragmentis alicuius scriptoris colligendis. Non sufficit scire *quas res* in opere deperdito *tetigerit*, sed *quo modo* de iisdem *exposuerit*. Si fertur e. g. Aristobulus venustissimam pinxisse *Timocleae* imaginem (Plutarch. *Non poss. suav. viv.* X.), si commendatur eius descriptio *Tyri* (Menand. *de encom.* II. 1.), conducunt utique haec *testimonia* ad indolem operis cognoscendam, in *fragmenta* recipienda non sunt. Quod ut moneam Geieri facit vituperium, quod legas *Zeitschr. f. d. Altherth.* 1846. p. 1141, in censura mei opusculi ceterum humanissima. Tamen Geieri vestigia pressit Muellerus *Scriptt. rerum Alex. M.* p. 95 et 98.

3) *Ἐν τρίτῳ περὶ Ἀλκμᾶνος* laudatur ab Athenaeo III. p. 115 A,

et Philochorus Atheniensis [1], quorum alter ad singula verba civis sui attendit et dictionem, omninoque obscuriora quaeque in Alcmane illustravit, alter fortasse in primis *μύθους* explicavit et sacras, ut ita dicam, antiquitates. Neutrius horum commentationibus similis fuisse Corn. Alexandri liber, sed ad Philochori tamen *ἐξήγησιν* propius accessisse videtur. Quas urbes gentesque, quas locorum vetustas sive historias seu fabulas Alcman in poëmatis celebraverat, eas, opinor, Alexander interpretatus est: nam de commentario mere geographico non acceperim, quae dicuntur *τοπικῶς ἱστορημένα*, re non diversa a *τοπικαῖς ἱστορίαις*. Vel sic tamen hoc agenti Polyhistori geographica multa explicanda fuisse nec quisquam negabit nec nego equidem. Quae tempore Alcmanis in Asia Minore aliisque in regionibus florebant civitates, earum Alexandri aetate, post sexcenta fere saecula, aliae interierant, vix fama cognitae, nomen commutaverant aliae. Hinc non poterat non de poëta bene mereri ipsisque literis, qui loca illa ex antiquitate quasi erueret eorumque notitiam aperiret omnibus, qui Musa Alcmanica delectarentur; non poterat talis labor indignus esse studiis atque eruditione Alexandri, si quis alius grammatico-

---

XIV. p. 646 A. Ad idem scriptum pertinent, quae leguntur III. p. 81 F, XIV. p. 648 B.

1) Suidas v. *Φιλόχορος*. Cf. Proclus ad Hesiod. *Opp.* 271. Ex Athenaeo IX. p. 390 A et XIII. p. 600 F efficio Chamaeleontem quoque Heracleotam *περὶ Ἀλκμᾶνος* scripsisse, ut de Pindaro, Anacreonte, Sapphone, Aeschylo, aliis egisse dicitur; sed videtur ille poëtarum vitas potius enarrasse et laudes generatim persecutus esse, quam poëmatum *ἐξηγήσεις* dedisse. Simile opus sive omnino *περὶ ποιητῶν* seu *περὶ Ἀλκμᾶνος*, scripsit forsitan Crates Mallotes, cuius ex schola Alexandrum profectum vidimus. Cf. Suidas v. *Ἀλκμάν*.

rum, geographiae et historiae peritissimi. Sed difficillimum est, ubi veterum testimonia omnia deficiunt, ex titulo libri atque ex duobus tribusve fragmentis brevissimis naturam totius operis cognoscere. Neque adeo amplius disputando operam perdere vellem videri, nisi gravior in literis Schneidewini auctoritas paulisper me subsistere cogeret; qui quum neque de argumento consilioque ἐξηγήσεως in Alcmanem recte statuerit nec de auctore ex aequo tulerit judicium, huius sententiae meae rationes afferam necesse est.

Schneidewinum igitur si audis, Alexander in eo potissimum carmine interpretando desudavit, quo fertur Alcman gloriabundus enumeravisse vel remotissimos terrae populos, apud quos ipse esset in honore et laudibus [1]. Movit Virum Cl. hoc Ael. Aristidis testimonium [2]: Ἑτέρωθι καλλωπιζόμενος (ὁ Ἀλκμὰν), παρ' ὅσοις εὐδοκιμεῖ, τοσαῦτα καὶ τοιαῦτα ἔθνη καταλέγει, ὥστ' ἔτι νῦν τοὺς ἀθλίους γραμματιστὰς ζητεῖν, οὗ γῆς ταῦτ' εἶναι, λυσιτελεῖν δ' αὐτοῖς καὶ μακρὰν, ὡς ἔοικεν, ἀπελθεῖν ὁδὸν μᾶλλον ἢ περὶ τῶν Σκιαπόδων ἀνήνυτα πραγματεύεσθαι. Quae scripta legas in fucosa declamatione, in qua studet rhetor ille suam ipse iactantiam veterum scriptorum exemplis excusare. Tantarum vero ineptiarum cur Polyhistorem prae aliis suspectum habeamus? Nolim contendere, quamvis id suspicari in promptu sit, Aristidem rhetorum more rem paululum exaggeravisse; — qui quaererent, libidinosior Anacreon an ebriosior vixisset, an Sappho publica fuisset, sane istiusmodi hominum genus consentaneum est summo studio in Σκιάποδας

1) l. l. p. 20. — 2) II. p. 508.

inquisivisse [1]; — sed quantacunque in his est fides Aristidis, non eos indicat, qui de industria *τοπικῷ*, ut hoc verbo utar, commentario instruxerunt carmina Alcmanis, sed notavit universe grammaticos suae aetatis. In his autem si fuere qui bonum otium tererent anxieque desudarent in sede exquirenda *Σκιαπόδων*, *Ὠτολίκνων*, *Κυνοκεφάλων*, *Μονομμάτων* aliorumque similium, idem de Alexandro statuere vereor ne iniquum, ne falsum sit. Egit omnino Alexander de fabulosis istis Indiae gentibus [2], sed Alcmanem explicans et singulari opere de India absolvens abstinere a talibus non potuit. Tandem Alexander non ethnographicum commentarium in unum Alcmanis carmen, sed *τοπικὸν* in omnia eius poëmata scripsit, id quod vel ex titulo cuivis foret manifestum, si contrarium arguere fragmenta viderentur. Neque Alcman in unis gentibus mirabilibus, sed in aliis plurimis geographorum et historicorum explicatione egebat; idque etiam Schneidewinus concedit. Quodsi eiusmodi fabellis fidem Alexander habuit [3], dispiciendum, fueritne tanta credulitas scriptoris vitium an quo vixit aevi.

§ 22. *Περὶ ζώων ἱστορία*.

Ut *Θαύματα τὰ εἰς ἅπασαν τὴν γῆν* collegisse Callimachus fertur [4] et tamen seorsum disputavit *περὶ*

---

1) Alcman tamen non de *Σκιάποσι* locutus est, ut ait Aristides, sed *Στεγανόποδας* gentem appellavit. Cf. Schneidew. p. 22.

2) Cf. Tzetzes *Chil.* VII. 629 sqq., quae vel ad *Indica* (§ 12) vel potius ad *Θαυμασίων συναγωγὴν* (§ 19) pertinent.

3) Cf. Photius *Bibl.* 188. p. 145 b 10, quem locum apponam § 19.

4) Cf. § 19.

ὀρνέων sive ὀρνίθων [1], ita simile consilium secutus Corn. Alexander congessit quidem in Θαυμασίων συναγωγῇ, ut cum Photio credimus, mirabilia multa quae de animalibus tradita legerat, sed de natura eorundem singulari opere commentatus est. Saepissime enim laudatam vel indicatam ab antiquis videas Myndii Alexandri *Historiam* quandam *Animalium*. Quandam dico, quia huius quoque commentarii rationem nondum satis exploratam habeo. Profertur descriptio coturnicis feminae, qualis legebatur in libro Alexandri β' περὶ ζώων [2]; dicitur in γ' περὶ ζώων haesitavisse, cur apud Homerum Ulyssi cum Diomede speculatum exeunti Minerva non noctuam mittat, sed ardeam [3]. Utroque igitur libro quum de avium generibus disseruisse videatur, in promptu sit coniicere alterum totius operis librum significari ab Athenaeo, ubi de τέτρακι deque πορφυρίωνι avibus testimonium affert ex β' περὶ πτηνῶν ζώων et β' περὶ τῆς τῶν πτηνῶν ἱστορίας [4]. Idem vero etiam librum β' κτηνῶν ἱστορίας laudat [5]. In qua inscriptione ne κτηνῶν corruptum existimes e vocabulo πτηνῶν cavet argumentum loci: nam describitur animal Libycum, Marii militibus contra Iugurtham bellantibus exitiosum, Gorgon, προβάτῳ ἀγρίῳ ὅμοιον vel, ut statuebant alii, μόσχῳ. Fortasse divisa fuit haec συναγωγὴ in plures sectiones, suis quasque titulis distinctas, ita ut Athenaeus librum β' πτηνῶν ἱστορίας laudans ad sectionem *primam*

1) Citatur hoc opus cum ab aliis tum ab Athenaeo IX. p. 388 D, p. 389 B, p. 394 D, p. 395 F. — 2) Athen. IX. p. 392 C.

3) Porphyrius ad *Iliad.* *K.* 274. — 4) IX. p. 398 C et 388 D.

5) V. p. 221 B—D, quo loco usus est Eustathius *Odyss.* *Δ.* p. 1704, a quo rursus sua deprompsisse Eudociam monui p. 98.

respexerit, cuius adeo *secundus* liber totius operis fuerit secundus, sed librum *β' κτηνῶν ἱστορίας* commemorans *alteram* sectionem cogitaverit. Nihil dirimo, sed satis constare mihi videtur, quemadmodum Aristotelis, ita Alexandri commentariorum inscriptionem generalem fuisse *Περὶ ζώων ἱστορίαν*. Quae ex iisdem excerpta legimus, pleraque spectant ad historiam naturalem avium, quarum describuntur vel commemorantur, ut servem nomina Graeca, *πελαργοί* [1], *χελιδόνες λευκαί* [2], *αἰγιθαλεῖς* et *συκαλίδες* [3], *πέρδικες* [4], *ὦτοι* [5], *σκῶπες* sive *κῶπες* [6], *φάσσαι* [7], *στρουθοί* [8], *αἰγυπιοί* [9], *ἁλκυόνες* [10], *ἀκανθίδες* [11], *ἀτταγαῖ* [12], *ὀρτυγομήτραι* [13], *κύκνοι* [14], *τυλάδες* sive *ἰλλάδες* [15], *νῆτται* [16]. Ceterorum animantium recensentur *χαμαιλέων* [17], *πρόβατα* Ponti atque *αἶγες* montis Mimantis [18], *ὀπισθονόμοι βόες* Libyae [19], *ἴδυκες* [20]. Quorum quidem omnium modo brevior legitur descriptio, modo explicantur mirae ac fabulosae narrationes, sive apud poëtas lectae seu vulgi rumoribus sparsae. Fuit omnino apud veteres non minima huius *Περὶ ζώων* historiae auctoritas, quam sicubi

---

1) Aelian. *de nat. anim.* III. 23.

2) Aelian. X. 34. Res vulgo traditur in Samo insula facta esse. Cf. Schneidew. *Heracl. Polit.* p. 73. — 3) Athen. II. p. 95 B.

4) IX. p. 389 C. — 5) p. 390 E.

6) p. 391 B et C, Schol. Theocr. I. 136

7) Athen. IX. p. 394 E, Schol. Theocr. V. 96.

8) Athen. IX. p. 391 F. — 9) Schol. Hom. *Iliad. Π.* 428.

10) Schol. Theocr. VII. 57. — 11) l. l. 140.

12) Athen. IX. p. 387 F. — 13) p. 393 A. — 14) p. 393 D.

15) II. p. 65 A. — 16) IX. p. 395 D. — 17) Aelian. l. l. IV. 33.

18) Id. V. 27. — 19) Athen. V. p. 221 E.

20) Bekker *Anecd.* III. p. 1383 v. *Ἴδυξ* ex Choerobosco.

in dubium vocat Athenaeus [1], tamen cum sequitur saepius tum confirmat etiam [2]. Aelianus vero tantum credidit Alexandro, ut vel a suspicione malae fidei eum defendat [3]. Haud semel adeo Polyhistoris commentarii coniunctim cum libris Aristotelis laudantur, ut huius testimonia illius narratione vel corroborentur vel illustrentur [4]. Nec mirum. Usus enim, quod ipse fatetur [5], Aristotelio opere Alexander alia plura eiusdem generis scripta adhibuit, in quibus Callimachi scriptum *περὶ ὀρνέων* sive *ὀρνίθων* fuisse suspicor [6], haud dubie eo consilio, ut quae illic omissa essent vel minus recte exposita, suppleret et corrigeret, additis simul suis observationibus. Sic, ut haec afferam, — nam ubi desunt graviora, utendum levioribus — scripsit de cygnis Aristoteles: *Εἰσὶ δ' ᾠδικοί, καὶ μάλιστα περὶ τὰς τελευτάς· διαίρουσι δὲ καὶ τὸ πέλαγος ᾄδοντες·* scripsit contra Alexander, *πολλοῖς τελευτῶσι παρακολουθήσας οὐκ ἀκοῦσαι ᾀδόντων* [7]. E quibus apparet rursus, quantopere fallantur qui Polyhistorem putent tantum aliorum scripta compilasse. Quo fortasse etiam hoc pertinet, quod legimus apud Athenaeum [8], *τέτρακος* avis meminisse Epicharmum et Aristophanem, non

---

1) p. 221 E. — 2) p. 221 F.

3) l. l. III. 23. Hac in re nobis non quaerendum esse quid verum sit vel probabile, sed quid veteribus visum fuerit, saltem Aeliano, res ipsa loquitur.

4) Athen. II. p. 65 A, IX. p. 388 D, p. 389 C, p. 390 E, p. 391 F, p. 392 C, p. 394 E; Schol. Theocr. VII. 140.

5) Athen. IX. p. 391 C. — 6) l. l. et p. 389 C; Schol. Theocr. I. 136.

7) Athen. IX. p. 393 D.

8) l. l. p. 398 C. Ceterum quae verbo monet Athenaeus II. p. 57 C: *Ὁ Μύνδιος Ἀλέξ. πιτυΐνους κώνους (καλεῖ)*, ea verisimile est lecta fuisse in *τοῖς Περὶ ζώων*.

meminisse Aristotelem, sed ab Alexandro Myndio eandem descriptam esse. Tandem, ne quid omittam quod huc pertinere videatur, memoriae ab Alexandro proditum est, *ἐν Δήλῳ κεῖσθαι κέρατα ἀπὸ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, κριοῦ μὲν δίπηχυ καὶ δακτύλων ὀκτὼ, σταθμούμενα δὲ μνῶν εἴκοσιν ἥμισυ, τράγου δὲ πηχῶν δύο καὶ σπιθαμῆς καὶ σταθμοῦ ἴσου* [1].

§ 23. *Διαδοχαὶ τῶν φιλοσόφων.*

Claudant iam velut agmen *Διαδοχαὶ τῶν φιλοσόφων*, ut a Diogene Laërtio vocantur, qui solus earum aliquot reliquias servavit, in quibus sermo est de Pherecyde *Pittaci*, Socrate *Damonis* et Pyrrhone *Drysonis* auditoribus; de Euclide *Geloö* et Chrysippo *Tarsensi;* de Carneade *Philocomi* filio; tandem de Platone dicto antea *Aristocle* et in *Academia* primum, deinde in *horto prope Colonum* philosophato [2]. Quae tamen omnia non satis indicant, quid *Διαδοχαῖς* conscribendis Alexander sibi proposuerit. Multorum vero testimoniorum instar et vere classicus est locus, quem ex opere Polyhistoris deprompsit Diogenes, de Pythagorae et Pythagoreorum placitis absolvens [3]. Quod fragmentum plane egregium atque ex ipsis fontibus petitum —

---

1) Schol. Hom. *Iliad. Δ.* 109, qui quum alia quoque hauserit ex libris *Περὶ ζώων*, nolim locum allatum alio referre. Cf. § 13. Rem tetigit paucis Meinekius *Anall. Alex.* p. 60. n. 1.

2) Diog. I. 11. 116; II. 5. 19, 10. 106; III. 1. 4, 5; IV. 9. 62; VII. 7. 179; IX. 11. 61. Menagius, (*Obss.* in Diog. III. 1. 5) dubitans num apud Origenem *c. Cels.* lib. VI. pro *Ἀρίστανδρος* legendum sit *Ἀλέξανδρος*, ut Polyhistor auctor fuerit narratiunculae de Platone non Aristonis, sed spectri filio, haudquaquam est audiendus. Platonicus quidam significatur. — 3) VIII. 1. 24—36.

bis enim *ἐν Πυθαγορικοῖς ὑπομνήμασιν* Alexander sua se reperisse testatur [1] — cum reliquis locis a Diogene excerptis comparanti et coniungenti haec mihi nata est de *Διαδοχαῖς* Alexandri sententia. Opus fuit amplissimum, quo singulorum qui deinceps floruere philosophorum et vitas enarravit et explicavit placita, eo quidem modo ut, praemissa fortasse disputatione de antiquissimis Graecorum philosophis, philosophiae originem, ut ita dicam, et progressus illustraret, alius alii quid debuisset vel statuisset contrarium ostenderet, scholarum quae deinceps exstitissent rationem in primis haberet earumque qui principes fuissent et diversis temporibus antesignani ordine exponeret.

Quae quum laudati operis indoles fuisse videatur, paene incredibile est quomodo fieri potuerit, ut librum *Περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων* a Clemente et Cyrillo memoratum, hodie plerique omnes diversum habeant a *Διαδυχαῖς*. In his enim si de philosophia Pythagorea Alexander tam fuse disputavit, ut doctrinae illi omni lucem afferret plenissimam, id quod ex loco Diogeniano evidentissime patet, in altero opere quid potissimum egerit, me plane praeterire fateor. Quid, quod *Συμβόλων* fragmentum id ipsum continet, quod debuit in *Διαδοχαῖς* narrari? *Ἀλέξανδρος*, ait Clemens, *ἐν τῷ Περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων Ναζαράτῳ τῷ Ἀσσυρίῳ μαθητεῦσαι ἱστορεῖ τὸν Πυθαγόραν — Ἰεζεκιὴλ τοῦτον ἡγοῦνταί τινες, οὐκ ἔστι δέ — ἀκηκοέναι τε πρὸς τούτοις Γαλατῶν καὶ*

1) Addit etiam l. l. Diogenes similia ab Aristotele narrata esse, qui consensus non omnino nihili faciendus est. Ceterum Alexandro in *Διαδοχαῖς* scribendis fontem fuisse Heraclitum *τὸν φυσικὸν*, monet ipse ap. Diog. III. 1. 5.

Βραχμάνων τὸν Πυθαγόραν βούλεται [1]. Crede mihi, iidem fuere commentarii qui *Διαδοχαὶ τῶν φιλοσόφων* quique *Περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων* inscribebantur; sed hoc nomine sectio quaedam operis, illo opus totum indicatur. Divisis *Διαδοχαῖς* in capita plurima, Alexander his sectionibus pro singulis philosophorum scholis sive sectis, singulos dedit titulos. Quo igitur capite de disciplina Pythagorae atque universe de placitis Pythagoreorum absolvit, id inscripsit *Περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων*, quam partem *Διαδοχῶν* seorsum suaque inscriptione laudantes Clemens et Cyrillus, ut saepe fert in scriptis commemorandis veterum mos, multis fuerunt erroris iam, ni fallor, manifesti auctores [2]; quo sublato tollitur etiam omnis dubitatio de auctore *Διαδοχῶν*, siquidem, Cyrillo teste, *Περὶ*

---

1) *Strom.* I. p. 358. Cyrilli locus est *c. Iulian.* IV. p. 133 E. Is vero Alexandrum legerit ipsum an ex Clemente cognoverit, quem etiam Eusebius sequitur *Praep. Euang.* X. 4, dubium est. Sed et apud Clementem et apud Cyrillum corrupte legitur nomen eius, qui Pythagorae praeceptor datur. Illius *Ναζαράτῳ*, ut huius *Ζάρᾳ*, mutandum in *Ζαράτᾳ*, quod suppeditat, praeter Origenem *Philos.* p. 42 ed. Wolf., Plutarchus *de anim. procr. e Tim.* II, ubi: *Ζαράτας, ὁ Πυθαγόρου διδάσκαλος*. Alio modo depravatum nomen est apud Suidam v. *Πυθαγόρας*· editur enim: *ἤκουσε — Ζάρητος τοῦ Μάγου*, alio ap. Plutarch. *Non poss. suav. viv.* XIII, ubi mentio fit non de Pythagorae praeceptore, sed de *Ναράτῳ, τῷ σατραπεύσαντι Βαβυλῶνος*. Ceterum, teste Euseb. *Chron.* I. 5. p. 20, scripsit in *Χαλδαϊκοῖς* Alexander, quae commode cum his conferas: »Pythagoras sapiens fertur ea tempestate sub his (Senecheribo eiusque filio, Assyriorum Regibus) extitisse;" in quibus anachronismum satis vulgarem unus quisque agnoscet.

2) Nisi falsus est Suidas v. *Ἀναξίμανδρος*, *συμβόλων Πυθαγορείων ἐξήγησιν* scripsit etiam Anaximander Milesius iunior, qui vixit tempore Artaxerxis Mnemonis. Ex Polyhistoris libro haud pauca petiisse videtur Clemens l. l., velut V. p. 661 sqq.

Πυθαγορικῶν συμβόλων scripsit Alexander *ὁ ἐπίκλην Πολυΐστωρ* [1].

ARGUMENTUM.

Pars I.

Pars II.

M. TULLII CICERONIS

COMMENTARII

RERUM SUARUM

SIVE

DE VITA SUA.

FINXIT

W. H. D. SURINGAR.

(Liber Quartus).

Ex noto fictum cet.

HORAT. A. P. 240.

LIBER QUARTUS.

I. 1. Equidem [1] vehementer laetor, eum fuisse me in exitu consulatus, in quem, si quis cuperet, nullam contumeliam iacere potuerit. Etenim [2], in qua civitate res tantas gessissem, memineram, et in qua urbe versarer, intelligebam. Plenum forum erat eorum hominum, quos ego a civium cervicibus depuleram, a meis non removeram. Horum ego faces eripere de manibus, et gladios extorquere potui, sicut feci: voluntates vero consceleratas ac nefarias nec sanare potui, nec tollere. Quare non eram nescius, quanto periculo viverem in tanta multitudine improborum, quum mihi uni cum omnibus improbis aeternum viderem bellum esse susceptum. Nemo [3] tamen me tenuissima suspicione perstrinxit, quem non praeverterim. 2. Itaque [4] ego Metello praesenti restiti. Nam in senatu Kal. Ian. sic cum eo de re publica disputavi, ut sentiret sibi cum viro forti et constanti esse pugnandum. A. d. tertium Non. Ianuar. quum agere coepisset, tertio quoque verbo orationis suae me appellabat, mihi minabatur; neque illi quidquam deliberatius fuit quam me, quacunque ra-

---

1) pro Sulla c. 7. § 23. — 2) Ibid. c. 9. § 28. — 3) Ibid. c. 16. § 46. — 4) Epist. ad Metell. Celer. (ad Fam. V. 2. § 8.)

tione posset, non iudicio neque disceptatione, sed vi atque impressione, evertere. Huius ego temeritati si virtute atque animo non restitissem, quis esset, qui me in consulatu non casu potius existimaret quam consilio fortem fuisse?

II. 3. Gravia [1] tum iudicia pro rei publicae dignitate, multa de coniuratorum scelere facta sunt. Nos [2] autem, qui a ceteris coniurationis causis abstinuimus, P. Sullam defendimus. Veniebat [3] ad me, et saepe veniebat, Autronius, multis cum lacrimis, supplex, ut se defenderem, et se meum condiscipulum in pueritia, familiarem in adolescentia, collegam in quaestura commemorabat fuisse: multa mea in se, nonnulla etiam sua in me proferebat officia. Quibus ego rebus ita flectebar animo atque frangebar, ut etiam ex memoria, quas mihi ipsi fecerat insidias, deponerem: ut iam immissum esse ab eo C. Cornelium, qui me in sedibus meis, in conspectu uxoris meae ac liberorum meorum trucidaret, oblivíscerer. 4. Quae si de uno me cogitasset, qua mollitia sum animi ac lenitate, nunquam mehercule illius lacrimis ac precibus restitissem: sed, quum mihi patriae, quum singulorum periculorum, quum huius urbis, quum illorum delubrorum atque templorum, quum puerorum infantium, quum matronarum ac virginum veniebat in mentem: et quum illae infestae ac funestae faces universumque totius Urbis incendium, quum tela, quum caedes, quum civium cruor, quum cinis patriae versari ante oculos, atque

---

[1]) pro Flacco c. 38. § 94. — [2]) pro Sulla c. 29. § 80. — [3]) Ibid. c. 6. § 18.

animum memoria refricare coeperat, tum denique ei resistebam: neque me arbitrabar sine summo scelere posse, quod maleficium in aliis vindicassem, idem in illorum socio, quum scirem, defendere. 5. At [1] idem ego neque P. Sullam supplicem ferre, neque Marcellos, propinquos huius [2], patrem et filium, quorum alter apud me parentis gravitatem, alter filii suavitatem obtinebat, pro [3] huius periculis lacrimantes adspicere, neque Messalae, hominis necessarii, preces sustinere potui. Neque enim est causa adversata naturae, nec homo, nec res misericordiae meae repugnavit. Etenim [4] multa, quum essem consul, de summis rei publicae periculis audivi, multa quaesivi, multa cognovi: nullus tamen unquam de Sulla nuntius ad me, nullum indicium, nullae literae pervenerunt, nulla suspicio. Huius [5] igitur causam suscepi, et feci libenter, ut me, quem boni constantem semper, ut spero, existimassent, eumdem ne improbi quidem crudelem dicerent.

III. 6. Sed [6] quid ego utor hac voce ad purgandum me? Etenim [7], si qui ipsas causas contendere velint, mirari [8] desinent, me, qui Autronio abfuerim, Sullam defendisse. Quae enim Autronii fuit causa? quae Sullae? Ille ambitus iudicium tollere ac disturbare primum conflato voluit gladiatorum ac fugitivorum tumultu: deinde, id quod vidimus omnes, lapidatione atque concursu; Sulla, si sibi suus pudor ac dignitas non prodesset, nullum auxilium requisivit. Ille da-

[1]) Ibid. c. 6. § 20. — [2]) Ibid. § 19. — [3]) Ibid. § 20. — [4]) Ibid. c. 5. § 14. — [5]) Ibid. c. 6. § 20. — [6]) pro Sulla c. 5. § 14. — [7]) in Catilin. II. c. 11. § 25. — [8]) pro Sulla c. 5. § 14.

mnatus ita se gerebat, non solum consiliis et sermonibus, verum etiam adspectu atque vultu, ut inimicus esse amplissimis ordinibus, infestus bonis omnibus, hostis patriae videretur. Hic se ita fractum illa calamitate atque afflictum putavit, ut nihil sibi ex pristina dignitate superesse arbitraretur, nisi quod modestia retinuisset. 7. Hac vero in coniuratione, quid tam coniunctum, quam ille cum Catilina, cum Lentulo? quae tanta societas ullis inter se rerum optimarum, quanta ei cum illis sceleris, libidinis, audaciae? quod flagitium Lentulus non cum Autronio concepit? quod sine eodem illo Catilina facinus admisit? quum interim Sulla cum eisdem illis non modo noctem solitudinemque non quaereret, sed ne mediocri quidem sermone et congressu coniungeretur. Illum Allobroges, maximarum rerum verissimi indices, illum multorum literae ac nuntii coarguerunt: Sullam interea nemo insimulavit, nemo nominavit. 8. Postremo, eiecto sive emisso iam ex Urbe Catilina, ille arma misit, cornua, tubas, falces, signa, legiones: ille relictus intus, exspectatus foris, Lentuli poena compressus, convertit se aliquando ad timorem, nunquam ad sanitatem. Hic contra ita quievit, ut eo tempore omni Neapoli fuerit, ubi neque homines fuisse putantur huius affines suspicionis, et locus est ipse non tam ad inflammandos calamitosorum animos, quam ad consolandos accommodatus. Propter [1] hanc igitur tantam dissimilitudinem hominum atque causarum, dissimilem me in utroque praebui.

---

[1]) Ibid. c. 6. § 17.

IV. 9. Vide [1], quae sint postea consecuta. Consul imponitur nobis is, quem nemo praeter nos philosophos adspicere sine suspiritu possit. M. Piso [2] in aedilitate offensiuncula accepta, summos a populo Romano honores adeptus: consul [3] parvo animo et pravo, tantum cavillator genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur, facie magis quam facetiis ridiculus, nihil agens cum re publica, seiunctus ab optimatibus, a quo nihil speres boni rei publicae, quia non vult; nihil metuas mali, quia non audet. Eius autem collega, partium studiosus ac defensor bonarum. Messala [4] consul egregius, fortis, constans, diligens, nostri laudator, amator, imitator. 10. Ille alter uno vitio minus vitiosus; quod iners, quod somni plenus, quod imperitus, quod ἀπρακτότατος, sed voluntate ita καχέκτης, ut Pompeium post illam concionem, in qua ab eo senatus laudatus est, odisse coeperit. Itaque mirum in modum omnes a se bonos alienavit. Neque id magis amicitia Clodii adductus fecit quam studio perditarum rerum atque partium. Sed habebat sui similem in magistratibus, praeter Fufium tribunum, neminem. 11. Quantum [5] hoc vulnus! Facto senatus consulto de ambitu, de iudiciis, nulla lex perlata, exagitatus senatus, alienati equites Romani. Sic ille annus duo firmamenta rei publicae per me unum constituta evertit; nam et senatus auctoritatem abiecit et ordinum concordiam disiunxit.

V. 12. Tum [6] primus, ut opinor, introitus fuit in cau-

[1]) ad Att. I. 18. § 3. — [2]) pro Plancio c. 21. § 51. — [3]) ad Att. I. 13. § 2. — [4]) ad Att. I. 14. § 6. — [5]) ad Att. I. 18. § 3. — [6]) ad Att. I. 18. § 2.

sam fabulae Clodianae. Scito[1] enim P. Clodium, Appii F., cum veste muliebri deprehensum domi C. Caesaris, quum pro populo fieret, eumque per manus servulae servatum et eductum; idque[2] sacrificium quum virgines instaurassent, mentionem a Q. Cornificio in senatu factam — is fuit princeps; — postea rem ex senatus consulto ad pontifices relatam, idque ab iis nefas esse decretum; deinde ex senatus consulto consules rogationem promulgasse; uxori Caesarem nuntium remisisse. 13. In hac causa Piso, amicitia P. Clodii ductus, operam dabat, ut ea rogatio, quam ipse ferebat et ferebat ex senatus consulto et de religione, antiquaretur. Messala vehementer agebat severe. Boni viri precibus Clodii removebantur a causa; operae comparabantur; nosmet ipsi, qui Lycurgei a principio fuissemus, quotidie demitigabamur; instabat et urgebat Cato. Quid multa? Verendum erat, ne haec, neglecta a bonis, defensa ab improbis, magnorum rei publicae malorum causa essent. 14. Etenim[3] quod sacrificium tam vetustum est, quam hoc, quod a regibus aequale huic urbi accepimus? quod autem tam occultum, quam id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes? quo non modo improbitas, sed ne imprudentia quidem possit intrare? quod quidem sacrificium nemo nisi P. Clodius omni memoria violavit, nemo unquam adiit, nemo neglexit, nemo vir adspicere non horruit: quod fit per virgines Vestales, fit pro populo Romano, fit in ea domo, quae est in imperio, fit incredibili caerimonia, fit ei deae, cuius ne nomen quidem viros scire fas est.

---

[1]) ad Att. I. 12. § 3. — [2]) ad Att. I. 13. § 3. — [3]) de Harusp. resp. c. 17. § 37.

VI. 15. Ego [1] nactus, ut mihi videbar, locum resecandae libidinis et coërcendae iuventutis, vehemens fui et omnes profudi vires animi atque ingenii mei, non odio adductus alicuius, sed spe rei publicae corrigendae et sanandae civitatis. Ego [2] enim, quam diu senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter et vehementer proeliatus sum, ut clamor concursusque maxima cum mea laude fierent. Quod si cui unquam sum visus in re publica fortis, certe me in illa causa admiratus esset. Quum enim ille ad conciones confugisset in iisque meo nomine ad invidiam uteretur, dii immortales! quas ego pugnas et quantas strages edidi! quos impetus in Pisonem, in Curionem, in totam illam manum feci! quo modo sum insectatus levitatem senum, libidinem iuventutis! 16. Postea vero quam Hortensius excogitavit, ut legem de religione Fufius tribunus pl. ferret, in qua nihil aliud a consulari rogatione differebat nisi iudicum genus — in eo autem erant omnia —, pugnavitque, ut ita fieret: quod et sibi et aliis persuaserat nullis illum iudicibus effugere posse: contraxi vela, perspiciens inopiam iudicum, neque dixi quidquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum atque testatum, ut non possem praeterire: quum [3] iste se fuisse Interamnae probaret testimonio [4] C. Cassinii. Quo testimonio Clodius eadem hora Interamnae fuerat et Romae! 17. Itaque [5] afflicta res publica est empto constupratoque iudicio. Illa [6] furia muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam

---

[1]) ad Att. I. 18. § 2. — [2]) ad Att. I. 16. § 1. — [3]) pro Domo sua c. 30. § 80. — [4]) pro Milone c. 17. § 46. — [5]) ad Att. I. 18. § 3. — [6]) Epist. ad P. Lentulum (ad Fam. I. 9. § 15.)

Deam quam tres sorores, impunitatem est illorum sententiis assecutus, qui quum tribunus pl. poenas a seditioso civi per bonos viros iudicio persequi vellet, exemplum praeclarissimum in posterum vindicandae seditionis de re publica sustulerunt. Quid [1] plura? Homines eum in re foedissima defenderunt: turpissimum nocentissimumque laudarunt: prope confitentem propter pecuniam iudicio liberaverunt.

VII. 18. Itaque [2], si causam quaeris absolutionis, egestas iudicum fuit et turpitudo. Id autem ut accideret, commissum est Hortensii consilio, qui, dum veritus est, ne Fufius ei legi intercederet, quae ex senatus consulto ferebatur, non vidit illud, satius esse illum in infamia relinqui ac sordibus quam infirmo iudicio committi. Sed ductus odio properavit rem deducere in iudicium, quum illum plumbeo gladio iugulatum iri tamen diceret. 19. Sed iudicium, si quaeris, quale fuerit: incredibili exitu; sic, uti nunc ex eventu ab aliis, a me tamen ex ipso initio consilium Hortensii reprehendatur. Nam ut reiectio facta est clamoribus maximis, quum accusator, tamquam censor bonus, homines nequissimos reiiceret, reus tamquam clemens lanista frugalissimum quemque secerneret, ut primum iudices consederunt, valde diffidere boni coeperunt. Non enim unquam turpior in ludo talario consessus fuit. Maculosi senatores, nudi equites, tribuni non tam aerati, quam, ut appellantur, aerarii. Pauci tamen boni inerant, quos reiectione fugare ille non potuerat, qui maesti inter sui dissimiles et maerentes sedebant

[1]) de Harusp. resp. c. 18. § 38. — [2]) ad Att. I. 16. § 2.

et contagione turpitudinis vehementer permovebantur. 20. Hic, ut quaeque res ad consilium primis postulationibus referebatur, incredibilis erat severitas, nulla varietate sententiarum; nihil impetrarat reus; plus accusatori dabatur, quam postulabat: triumphabat — quid quaeris? — Hortensius se vidisse tantum; nemo erat, qui illum reum ac non millies condemnatum arbitraretur. Me vero teste producto, quae consurrectio iudicum facta est! ut me circumsteterunt! ut aperte iugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarunt! Quae mihi res multo honorificentior visa est quam aut illa, quum iurare Athenienses Xenocratem testimonium dicentem prohibuerunt, aut quum tabulas Metelli Numidici, quum eae, ut mos est, circumferrentur, nostri iudices adspicere noluerunt; multo haec, inquam, nostra res maior. 21. Itaque iudicum vocibus, quum ego sic ab iis, ut salus patriae, defenderer, fractus reus et una patroni omnes conciderunt. Ad me autem eadem frequentia postridie convenit, quacum abiens consulatu sum domum reductus. Clamare praeclari Ariopagitae se non esse venturos nisi praesidio constituto. Refertur ad consilium; una sola sententia praesidium non desideravit. Defertur res ad senatum; gravissime ornatissimeque decernitur; laudantur iudices; datur negotium magistratibus; responsurum hominem nemo arbitrabatur. 22. *Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι, ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε.* Crassus, ille laudator meus, de cuius oratione erga me honorifica in superiori libro scripsi, biduo per unum servum, et eum ex gladiatorio ludo, confecit totum negotium; arcessivit ad se, promisit, intercessit, dedit. Iam vero — o dii boni rem perditam! — etiam noctes certarum mulierum atque adolescentu-

lorum nobilium introductiones nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. Ita, summo discessu bonorum, pleno foro servorum, XXV iudices ita fortes tamen fuerunt, ut, summo proposito periculo, vel perire maluerint quam perdere omnia: XXXI fuerunt, quos fames magis quam fama commoverit. Quorum Catulus quum vidisset quemdam: "Quid vos, inquit, praesidium à nobis postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis?"

Habes, ut brevissime potui, genus iudicii et causam absolutionis.

VIII. 23. Sed [1] tamen non ita, ut sperarant mali, tanto imposito rei publicae vulnere, alacris exsultabat improbitas in victoria. Nam plane ita putaverant, quum religio, quum pudicitia, quum iudiciorum fides, quum senatus auctoritas concidisset, fore, ut aperte victrix nequitia ac libido poenas ab optimo quoque peteret sui doloris, quem improbissimo cuique inusserat severitas consulatus mei. 24. Idem ego recreavi afflictos animos bonorum unumquemque confirmans, excitans. Insectandis vero exagitandisque nummariis iudicibus omnem omnibus studiosis ac fautoribus illius victoriae παῤῥησίαν eripui; Pisonem consulem nulla in re consistere unquam sum passus; desponsam homini iam Syriam ademi; senatum ad pristinam suam severitatem revocavi atque abiectum excitavi; Clodium praesentem fregi in senatu quum oratione perpetua, plenissima gravitatis, tum altercatione eiusmodi, ex qua licet pauca degustes. 25. Nam, ut Idib. Maiis in senatum conve-

---

[1]) Ibid. § 7

nimus, rogatus ego sententiam multa dixi de summa re publica atque ille locus inductus a me est divinitus: "ne, una plaga accepta, patres conscripti conciderent, ne deficerent; vulnus esse eiusmodi, quod mihi nec dissimulandum nec pertimescendum videretur: ne aut metuendo ignavissimi aut ignorando stultissimi iudicaremur; bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam; hunc tertium iam esse a iudicibus in rem publicam immissum. Erras, Clodi; non te iudices Urbi, sed carceri reservarunt, neque te retinere in civitate sed exsilio privare voluerunt. Quamobrem, patres conscripti, erigite animos, retinete vestram dignitatem. Manet illa in re publica bonorum consensio; dolor accessit bonis viris, virtus non est imminuta; nihil est damni factum novi, sed, quod erat, inventum est. In unius hominis perditi iudicio plures similes reperti sunt."

26. Sed quid ago? paene orationem in hos Commentarios inclusi. Redeo ad altercationem.

Surgit pulchellus puer, obiicit mihi, me ad Baias fuisse. — "Falsum; sed tamen quid hoc? Simile est, inquam, quasi dicas in operto fuisse." — Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? — "Narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinatis aquas concupivit; nosti enim Marianas." — Quousque, inquit, hunc regem feremus? — "Regem appellas, inquam, quum Rex tui mentionem nullam fecerit?" — ille autem Regis hereditatem spe devorarat. — Domum, inquit, emisti. — "Putes, inquam, dicere, iudices emisti." — Iuranti, inquit, tibi non crediderunt. — "Mihi vero, inquam, XXV iudices crediderunt; XXXI, quoniam nummos ante acceperunt, tibi nihil crediderunt." Ma-

gnis clamoribus afflictus conticuit et concidit. Hinc [1] mihi odium cum P. Clodio fuit, quod perniciosum patriae civem fore putabam, qui turpissima libidine incensus, duas res sanctissimas, religionem et pudicitiam, uno scelere violasset.

IX. 27. Ego [2] autem — posteaquam primum Clodii absolutione levitatem infirmitatemque iudiciorum perspexi, deinde vidi nostros publicanos facile a senatu disiungi, quamquam a me ipso non divellerentur, tum autem beatos homines non obscure nobis invidere — putavi mihi maiores quasdam opes et firmiora praesidia esse quaerenda. 28. Itaque primum eum, qui nimium diu de rebus nostris tacuerat, Pompeium adduxi in eam voluntatem, ut in senatu non semel sed saepe multisque verbis huius mihi salutem imperii atque orbis terrarum adiudicarit. Quod non tam interfuit mea — neque enim illae res aut ita erant obscurae, ut testimonium, aut ita dubiae, ut laudationem desiderarent, — quam rei publicae, quod erant quidam improbi, qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompeio ex rerum illarum dissensione arbitrarentur. Cum hoc ego me tanta familiaritate coniunxi, ut uterque nostrûm et in sua ratione munitior et in re publica firmior hac coniunctione esse posset. 29. Odia autem illa libidinosae et delicatae iuventutis, quae erant in me incitata, sic mitigata sunt comitate quadam mea, me unum ut omnes illi colerent. Nihil iam denique a me asperum in quemquam fiebat. nec tamen quidquam populare ac dissolutum; sed ita temperata tota ratio

---

[1]) de Provinc. Consul. c. 10. § 24. — [2]) ad Att. I. 19. § 6.

est, ut rei publicae constantiam praestarem, privatis rebus meis propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malevolorum, odium in me improborum adhiberem quamdam cautionem et diligentiam. Atque ita tamen his novis amicitiis implicati sumus, ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurraret Epicharmus cantilenam illam suam:

Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν.

X. 30. Sed [1] attende, quaeso, quae sint consecuta. Exponam [2] enim omnem rationem facti et consilii mei. Instat [3] annus egregius! Est [4] enim C. Herennius quidam tribunus plebis, homo [5] sane nequam atque egens — Sextus [6], pater eius, nummos tribulibus dividere solebat —: is ad plebem P. Clodium traducit; idemque fert, ut universus populus in campo Martio suffragium de re Clodii ferat. Hunc ego accepi in senatu, ut soleo; sed nihil est illo homine lentius. Metellus est consul egregius et nos amat, sed imminuit auctoritatem suam, quod habet dicis causa promulgatum illud idem de Clodio. Auli autem filius, o dii immortales! quam ignavus ac sine animo miles! is [7] ita se gerit, ut eius consulatus non consulatus sit, sed Magni nostri ὑπώπιον. 31. Clodius [8] autem non simulat, sed plane tribunus pl. fieri cupit. Qua de re quum in senatu ageretur, fregi hominem et inconstantiam eius reprehendi, qui Romae tribunatum pl. peteret, quum

1) Epist. ad P. Lentulum (ad Fam. I. 9. § 15.) — 2) pro Sextio c. 48. § 56. — 3) ad Att. I. 18. § 5. — 4) Ibid. § 4. — 5) ad Att. I. 19. § 5. — 6) ad Att. I. 18. § 4. — 7) ad Att. I. 20. § 5. — 8) ad Att. II. 1. § 5.

in Sicilia, Herae, aedilitatem se petere dictitasset. Sed neque magno opere dixi esse nobis laborandum: quod nihilo magis ei liciturum esset plebeio rem publicam perdere, quam similibus eius, me consule, patriciis fuisset licitum. Iam, quum se ille septimo die venisse a freto neque sibi obviam quemquam prodire potuisse et noctu se introisse dixisset in eoque se in concione iactasset, *nihil ei novi* dixi *accidisse;* ex Sicilia septimo die Romam: *tribus horis Roma Interamnam;* noctu introisse: *item ante;* non esse itum obviam: *ne tum quidem, quum iri maxime debuit.* Quid quaeris? hominem petulantem modestum reddo non solum perpetua gravitate orationis, sed etiam hoc genere dictorum.

XI. 32. Verum [1] illud, quod institueram dicere, huiusmodi est. Pulchellus [2] noster volitat, furit, nihil habet certi; multis denuntiat; quod fors obtulerit, id acturus videtur. Quum videt, quo sit in odio status hic rerum, in eos, qui haec egerunt, impetum facturus videtur; quum autem rursus opes et vim exercitus recordatur, convertit se in nos. Nobis autem ipsis quum vim, tum iudicium minatur. 33. Cum hoc Pompeius egit, et, ut ad me ipse referebat — alium enim habeo neminem testem —, vehementer egit, quum diceret in summa se perfidiae et sceleris infamia fore, si mihi periculum crearetur ab eo, quem ipse armasset, quum plebeium fieri passus esset; sed fidem recepisse sibi et ipsum et Appium de me; hanc si ille non servaret, ita laturum, ut omnes intelligerent nihil sibi antiquius amicitia nostra fuisse. Haec et in eam sen-

[1]) in Verrem Act. I. c. 12. § 34. — [2]) ad Att. II. 22. § 4.

tentiam quum multa dixisset, aiebat illum primo sane diu multa contra, ad extremum autem manus dedisse et affirmasse nihil se contra eius voluntatem esse facturum. 34. Sed postea tamen ille non destitit de nobis asperrime loqui. Mox [1] etiam mihi denuntiat periculum. Pompeius affirmat non esse periculum; adiurat; addit etiam se prius occisum iri ab eo quam me violatum iri. Mihi [2] autem periculosum erat credere; ad resistendum me parabam. Studia sperabam me summa habiturum omnium ordinum. Varro mihi satisfaciebat. Pompeius loquebatur divinitus. Metellus [3] etiam consul, incipientem furere Clodium atque conantem, sua se manu interfecturum, audiente senatu, dixit. Sperabam [4] nos aut cum summa gloria aut certe sine molestia discessuros.

XII. 35. Adhuc [5] quidem igitur minae Clodii contentionesque, quae mihi proponebantur, modice me tangebant. Etenim vel subire eas videbar mihi summa cum dignitate vel declinare nulla cum molestia posse: et [6] usque ad Caesarem et Bibulum consules, quum sententiae nostrae magnum in senatu pondus haberent, unus fere sensus fuit bonorum omnium. 36. Quare [7] ita nos gerebamus, ut in dies singulos et studia in nos hominum et opes nostrae augerentur. Rem publicam nulla ex parte attingebamus; in causis atque in opera nostra forensi summa industria versabamur. Quod

---

1) ad Att. II. 20. § 2. — 2) ad Att. II. 21. § 6. - 3) pro Caelio c. 24. § 60. — 4) ad Att. II. 21. § 6. — 5) ad Att. II. 19. § 1. — 6) Epist. ad P. Lentulum (ad Fam. I. 9. § 12.— 7) ad Att. II. 22. § 3.

egregie non modo iis, qui utebantur opera, sed etiam in vulgus gratum esse sentiebamus. Domus celebrabatur; occurrebatur; renovabatur memoria consulatus; studia significabantur; in eam spem adducebamur, ut nobis ea contentio, quae impendebat, interdum non fugienda videretur. 37. Memini [1] me in quaestione legitima et in iudicio publico, quum res ageretur apud praetorem populi Romani, lectissimum virum, et apud severissimos iudices, magno conventu hominum ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreret: et pro summo poëta atque eruditissimo homine dicentem, perficere, [2] ut A. Licinium non modo non segregandum, quum esset civis, a numero civium, verum etiam, si non esset, quivis putaret adsciscendum fuisse. Causa [3] erat eiusmodi, quae beneficio legis, auctoritate municipii, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobaretur. 38. Idemque [4] memini nostros equites paene a senatu esse disiunctos; qui primum illud valde graviter tulerunt, promulgatum ex senatus consulto fuisse, ut de eis, qui ob iudicandum pecuniam accepissent, quaereretur. Qua in re decernenda quum ego casu non affuissem sensissemque id equestrem ordinem ferre moleste neque aperte dicere, obiurgavi senatum, ut mihi visus sum, summa cum auctoritate, et in causa non verecunda admodum gravis et copiosus fui. Sed [5] Cato noster, quem nemo amat plus quam ego, sed qui optimo animo utens et summa fide nocet interdum rei publicae, sententiam dixit tam-

---

[1]) pro Archia c. 2. § 3. — [2]) Ibid. § 4. — [3]) Ibid. c. 12. § 31. — [4]) ad Att. I. 17. § 8. — [5]) ad Att. II. 1. § 8.

quam in Platonis πολιτείᾳ, non tamquam in Romuli faece. Quid enim verius quam in iudicium venire, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit? Censuit hoc Cato; assensit senatus. Equites curiae bellum, non mihi; nam ego dissensi.

XIII. 39. Ecce [1] aliae deliciae equitum vix ferendae! quas ego non solum tuli, sed etiam ornavi. Asiani, qui de censoribus conduxerant, questi sunt in senatu se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse; ut induceretur locatio, postulaverunt. Ego princeps in adiutoribus atque adeo secundus. Nam, ut illi auderent hoc postulare, Crassus eos impulit. Invidiosa res, turpis postulatio et confessio temeritatis. Summum erat periculum, ne, si nihil impetrassent, plane alienarentur a senatu. Huic quoque rei subventum est maxime a nobis perfectumque, ut frequentissimo senatu et liberalissimo uterentur, multaque a me de ordinum dignitate et concordia dicta sunt Kal. Decemb. et postridie. Unus contra dixerat Metellus, consul designatus. 40. Tum [2] etiam cum Catone meo dissensi. Nimis is mihi praefracte videbatur aerarium vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa sociis; quum in hos benefici esse deberemus, cum illis sic agere, ut cum colonis nostris solemus; eoque magis, quod illa ordinum coniunctio ad salutem rei publicae pertinebat. Ergo [3], conservans rationem institutionemque nostram, tuebar, ut poteram, illam a me conglutinatam concordiam. Sed [4] restitit et pervicit

[1]) ad Att. I. 17. § 9. — [2]) de Off. III. 22. § 88. — [3]) ad Att. I. 17. § 10. — [4]) ad Att. II. 1. § 8.

Cato, usus [1] constantia magis et integritate, quam, ut mihi videtur, consilio aut ingenio.

XIV. 41. Urbanae [2] autem res sic se habebant. Agraria lex a Flavio tribuno pl. vehementer agitabatur auctore Pompeio; quae nihil populare habebat praeter auctorem. Ex hac ego lege, secunda concionis voluntate, omnia illa tollebam, quae ad privatorum incommodum pertinebant; liberabam agrum eum, qui P. Mucio L. Calpurnio consulibus publicus fuisset; Sullanorum hominum possessiones confirmabam: Volaterranos et Arretinos, quorum agrum Sulla publicarat neque diviserat, in sua possessione retinebam; unam rationem non reiiciebam, ut ager hac adventicia pecunia emeretur, quae ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur. 42. Huic toti rationi agrariae senatus adversabatur, suspicans Pompeio novam quamdam potentiam quaeri. Pompeius vero ad voluntatem perferendae legis incubuerat. Ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium privatorum possessiones — is enim est noster exercitus, hominum locupletium —; populo autem et Pompeio — nam id quoque volebam — satisfaciebam emptione: qua constituta diligenter, et sentinam Urbis exhauriri et Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar. Sed haec tota res interpellata bello refrixerat.

Haec [3] erant, ut opinor, in re publica. Nunc [4] ad privata redeam.

---

1) ad Att. I. 18. § 7. — 2) ad Att. I. 19. § 4. — 3) Ibid. § 5. — 4) ad Att. I. 14. § 7.

XV. 43. Nos [1] igitur, qui publicis consiliis nullis intereramus, totos nos ad forensem operam laboremque contulimus. Ex quo, quod facile intelligi possit, in multa commemoratione earum rerum, quas gessimus, versabamur: praesertim [2] quum L. Flacci res agebatur. 44. Huius [3] amor in patriam mihi fuerat perspectus: qui [4], iis consiliis, quibus mecum in consulatu meo coniunctus fuit ad conservandam rem publicam, dignissimus, indicia [5] communis exitii exceperat: quem [6] tota civitas modestissimum adolescentem, provinciae maximae sanctissimum civem, nostri exercitus fortissimum militem, diligentissimum ducem, temperatissimum legatum quaestoremque cognoverunt: quem senatus constantissimum senatorem, iustissimum praetorem atque amantissimum rei publicae civem iudicavit. 45. Quare [7], quum in maximis periculis huius urbis atque imperii, gravissimo atque acerbissimo rei publicae casu, socio atque adiutore consiliorum periculorumque meorum, L. Flacco, caedem a civibus, vastitatem a templis, delubris, Urbe, Italia depulissem: speraveram honoris potius L. Flacci me adiutorem futurum, quam miseriarum deprecatorem. Et [8], si esset aliquando futurum, ut aliquis de L. Flacci pernicie cogitaret, nunquam tamen existimaveram D. Laelium, optimi viri filium, optima ipsum spe praeditum summae dignitatis, eam suscepturum accusationem, quae sceleratorum civium potius odio et furori, quam ipsius virtuti atque institutae adolescentiae conveniret. 46. Vehementem [9] accusatorem

1) ad Att. II. 23. § 3. — 2) pro Flacco c. 11. § 25. — 3) Ibid. c. 1. § 2. — 4) in Pison. c. 23. § 54. — 5) pro Flacco c. 2. § 5. — 6) Ibid. c. 3. § 8. — 7) Ibid. c. 1. § 1. — 8) Ibid. § 2. — 9) Ibid. c. 5. § 13.

nacti sumus, et inimicum in omni genere odiosum et molestum. At [1] quos testes? Testes [2], quorum studium cum accusatore erat sociatum. Negavi [3] esse ista testimonia, quae accusator ipse phsephismata appellabat: sed fremitum egentium, et motum quemdam temerarium Graeculae concionis. Sed [4], quoniam de testibus, totoque Mithridatico crimine disseruerat et subtiliter et copiose Q. Hortensius, nos ad reliqua perreximus. 47. Hic [5] autem, quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit, quum de Flacci praetura et de illo tempore Allobrogum diceret! Sic habeto, nec amantius nec honorificentius nec copiosius potuisse dici. Sed [6] quantum Hortensio credendum esset, nesciebam. Postea enim me summa simulatione amoris summaque assiduitate quotidiana sceleratissime insidiosissimeque tractavit, adiuncto quoque Arrio: qui [7] consulatum sibi a Caesare ereptum fremebat. Quorum [8] ego consiliis, promissis, praeceptis inductus in calamitatem incidi. 48. Duas [9] praeterea habui orationes: quarum alteram non libebat mihi scribere, quia abscideram; alteram, ne laudarem eum, quem non amabam. Innocens [10] autem et bonus vir, et omnibus rebus ornatus, bis iam antea, me defendente, absolutus erat A. Thermus. Quanta, rei publicae causa, laetitia populi Romani, quanta gratulatio consecuta est!

XVI. 49. Sed [11] non alienum esse arbitror, explicare

---

1) Ibid. c. 4. § 9. — 2) Ibid. c. 10. § 21. — 3) Ibid. c. 10. § 23. — 4) Ibid. c. 17. § 41. — 5) ad Att. II. 25. § 1. — 6) ad Q. fratrem I. 3. § 8. — 7) ad Att. II. 7. § 3. — 8) ad Q. fratrem I. 3. § 8. — 9) ad Att. II. 7. § 4. — 10) pro Flacco c. 39. § 98. — 11) de Provinc. Consul c. 17. § 40.

breviter, quae mihi ratio fuerit et causa cum Caesare: omnem [1] enim dicunt illam tempestatem, cui cesserim, Caesare impulsore atque adiutore esse excitatam. Ac [2] primum illud tempus familiaritatis et consuetudinis, quae mihi cum illo, quae fratri meo, quae C. Varroni, consobrino nostro, ab omnium nostrûm adolescentia fuit, praetermitto. Posteaquam sum penitus in rem publicam ingressus, ita dissensi ab illo, ut, in disiunctione sententiae, coniuncti tamen amicitia maneremus. 50. Consul ille egit eas res, quarum me participem esse voluit: quibus ego si minus assentiebar, tamen illius mihi iudicium gratum esse debebat. Me ille, ut Vigintiviratum acciperem, rogavit: me in tribus sibi coniunctissimis consularibus esse voluit: mihi legationem, quam vellem, quanto cum honore vellem, detulit. 51. Quae ego omnia non ingrato animo, sed obstinatione quadam sententiae repudiavi. Quam sapienter, non disputo: multis enim non probabo: constanter quidem et fortiter certe, qui quum me firmissimis opibus contra scelus inimicorum munire, et populares impetus populari praesidio propulsare possem, quamvis excipere fortunam, subire vim atque iniuriam malui, quam aut a senatus sanctissimis mentibus dissidere, aut de meo statu declinare. Ego illa ornamenta, quibus ille me ornabat, decere me, et convenire iis rebus, quas gesseram, non putabam. Illum quidem amico animo me habere eodem loco, quo principem civium, suum generum, sentiebam. 52. Traduxit ad plebem inimicum meum, sive iratus mihi, quod me secum ne beneficiis quidem videbat posse coniungi, sive exoratus. Ne haec quidem

---

[1]) Ibid. c. 8. § 18. — [2]) Ibid. c. 17. § 40.

fuit iniuria. Nam postea me, ut sibi essem legatus, non solum suasit, verum etiam rogavit. Ne id quidem accepi: non quo alienum mea dignitate arbitrarer, sed quod tantum rei publicae sceleris impendere a consulibus proximis non suspicabar. Praeterea [1] haec legatio et praesidii apud pudorem Pulchelli non habebat satis et a fratris adventu me ablegabat. 53. Quae [2] omnia quum repudiarem, repudiari se totum in XXviratu putavit. Nam solebat postea, quum se purgaret, in me conferre omnem illorum temporum culpam: ita me sibi fuisse inimicum, ut ne honorem quidem a se accipere vellem.

XVII. 54. Proximo [3] anno quum res publica Pisonem et Gabinium, non consules, haberet, sed mercatores provinciarum et seditionum servos ac ministros, iecit quidam casus caput meum quasi certaminis causa in mediam contentionem dissensionemque civilem. Quo in discrimine quum mirifica senatus, incredibilis Italiae totius, singularis omnium bonorum consensio in me tuendo exstitisset, non dicam, quid acciderit — multorum est enim et varia culpa — tantum dicam brevi, non mihi exercitum sed duces defuisse. In quo, ut iam sit in iis culpa, qui me non defenderunt, non minor est in iis, qui reliquerunt; et, si accusandi sunt, si qui pertimuerunt, magis etiam reprehendendi, si qui se timere simularunt. 55. Audieram [4] quidem ex sapientissimo homine, atque optimo civi et viro, Q. Catulo, non saepe unum consulem improbum, duos vero

---

[1]) ad Att. II. 18. § 3. — [2]) ad Att. IX. 2. A. § 1. — [3]) Epist. ad P. Lentulum (ad Fam. 1. 9. § 13.) — [4]) post Redit. in senatu c. 4. § 9.

nunquam, post Romam conditam, excepto illo Cinnano tempore, fuisse: quare meam causam semper fore firmissimam, dicere solebat, dum vel unus in re publica consul esset. Quod vere dixerat, si illud de duobus consulibus, quod ante in re publica non fuerat, perenne ac proprium manere potuisset. 56. Sed[1] fuerunt duo consules, quorum mentes angustae, humiles, parvae, oppletae tenebris ac sordibus, nomen ipsum consulatus, splendorem illius honoris, magnitudinem tanti imperii nec tueri, nec sustinere, nec capere potuerunt: non consules, sed mercatores provinciarum ac venditores summae dignitatis: quorum alter a me Catilinam, amatorem suum, multis audientibus, alter Cethegum, consobrinum, reposcebat: qui me duo sceleratissimi post hominum memoriam, non consules, sed latrones, non modo deseruerunt, in causa praesertim publica et consulari, sed prodiderunt, oppugnarunt, omni auxilio, non solum suo, sed etiam senatus, ceterorumque ordinum, spoliatum esse voluerunt.

XVIII. 57. Alter[2] unguentis affluens, calamistrata coma, despiciens conscios stuprorum, ac veteres vexatores aetatulae suae, puteali et feneratorum gregibus inflatus, a quibus compulsus olim, ne in Scyllaeo illo aeris alieni tamquam in freto ad columnam adhaeresceret, in tribunatus portum perfugerat. Contemnebat equites Romanos, minabatur senatui, venditabat se operis, atque ab iis se ereptum, ne de ambitu causam diceret, praedicabat, ab iisdemque se, etiam invito senatu, provinciam sperare dicebat: eamque nisi adeptus esset, se incolumem

[1]) Ibid. § 10. — [2]) pro Sextio c. 8. § 18.

nullo modo fore arbitrabatur. 58. Alter, o dii boni! quam teter incedebat! quam truculentus! quam terribilis adspectu! unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen rei publicae, diceres intueri. Vestitus asper, nostra hac purpura plebeia ac paene fusca: capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipse tum imaginis ornandae causa duumviratum gerebat, Seplasiam sublaturus videretur. Nam quid ego de supercilio illo dicam, quod tum hominibus non supercilium, sed pignus rei publicae videbatur? Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio res publica, tamquam Atlante coelum, niti videretur. 59. Erat quidem hic omnium sermo: *Est tamen rei publicae magnum firmumque subsidium: habeo quem opponam labi illi atque coeno: vultu, me dius fidius, collegae sui libidinem levitatemque franget: habebit senatus in hunc annum quem sequatur: non deerit auctor et dux bonis.* Mihi denique homines praecipue gratulabantur, quod habiturus essem contra tribunum plebis furiosum et audacem, quum amicum et affinem, tum etiam fortem et gravem consulem. 60. Atque eorum alter fefellit neminem. Quis enim clavum tanti imperii tenere, et gubernacula rei publicae tractare in maximo cursu ac fluctibus posse arbitraretur hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum? vino, ganeis, lenociniis adulteriisque confectum? quum is praeter spem in altissimo gradu alienis opibus positus esset, qui non modo tempestatem impendentem intueri temulentus, sed ne lucem quidem insolitam adspicere posset? 61. Alter multos plane in omnes partes fefellit. Erat enim hominum opinioni, nobilitate ipsa, blanda conciliatricula, com-

mendatus. Omnes boni semper nobilitati favemus, et, quia utile est rei publicae, nobiles homines esse dignos maioribus suis, et, quia valet apud nos clarorum hominum et bene de re publica meritorum memoria etiam mortuorum. Quia tristem semper, quia taciturnum, quia subhorridum atque incultum videbant, et quod erat eo nomine, ut ingenerata familiae frugalitas videretur, favebant, gaudebant, et ad integritatem maiorum spe sua hominem vocabant, materni generis obliti. Ego autem — vere dicam — tantum esse in homine sceleris, audaciae, crudelitatis, quantum ipse cum re publica sensi, nunquam putavi. Nequam esse hominem, et levem, et falsa opinione, errore hominum ab adolescentia commendatum, sciebam. Etenim animus eius vultu, flagitia parietibus tegebantur: sed haec obstructio nec diuturna est, nec obducta ita, ut curiosis oculis perspici non possit.

XIX. 62. Iidem [1] consules, (si appellandi sunt consules, quos nemo est, quin non modo ex memoria, sed etiam ex fastis evellendos putet,) pacto iam foedere provinciarum — ut [2] Gabinio Syria daretur, Macedonia Pisoni, utrique infinitum imperium, ingens pecunia — producti [3] in circo Flaminio in concionem ab illa furia ac peste patriae, maximo cum gemitu bonorum, illa omnia, quae tum contra me contraque rem publicam fiebant, voce ac sententia sua comprobaverunt. 63. Iisdem consulibus sedentibus atque inspectantibus, lata lex est, *ne auspicia valerent, ne*

---

[1]) Ibid. c. 14. § 33. — [2]) pro Domo sua c. 21. § 55. — [3]) pro Sextio c. 14. § 33.

quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet: ut omnibus fastis diebus legem ferri liceret: ut lex Aelia, lex Fufia ne valeret: qua una rogatione, quis est, qui non intelligat, universam rem publicam esse deletam? Iisdem consulibus inspectantibus, servorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio nomine collegiorum; quum vicatim homines conscriberentur, decuriarentur, ad vim, ad manus, ad caedem, ad direptionem incitarentur. 64. Iisdem consulibus arma in templum Castoris palam comportabantur, gradus eiusdem templi tollebantur: armati homines forum et conciones tenebant: caedes lapidationesque fiebant: nullus erat senatus, nihil reliqui magistratus: unus omnem omnium potestatem armis et latrociniis possidebat, non aliqua vi sua, sed quum duo consules a re publica provinciarum foedere retraxisset, insultabat, dominabatur, aliis pollicebatur, terrore ac metu multos, plures etiam spe et promissis tenebat. 65. Quae [1] igitur L. Catilinam conantem consul prohibui, ea P. Clodium facientem hi consules adiuverunt. Voluit ille senatum interficere; hi sustulerunt: leges incendere; hi abrogarunt: interimere patriam; hi afflixerunt. Incendere illa coniuratorum manus voluit Urbem; hi eius domum, quem propter Urbs incensa non est. Illud [2] vero geminum consiliis Catilinae et Lentuli, quod me domo mea expulerunt, Cn. Pompeium domum suam compulerunt. Neque enim, me stante, et manente in Urbis vigilia, neque resistente Cn. Pompeio, omnium gentium victore, unquam se illi rem publicam delere posse duxerunt. A me quidem etiam poe-

[1]) in Pison. c. 7. § 15. — [2]) Ibid. § 16.

nas expetiverunt, quibus coniuratorum manes expiarent: omne odium, inclusum nefariis sensibus impiorum, in me profuderunt. Quorum ego furori nisi cessissem, in Catilinae busto mactatus essem.

XX. 66. Sed [1] necesse est, me totum istius anni rei publicae naufragium exponere. Multa [2] acerba, multa turpia, multa turbulenta habuit ille annus: qui [3], in rei publicae magno motu et multorum timore, attulit tamquam intentum arcum in me unum, sicut vulgo ignari rerum loquebantur; re quidem vera in universam rem publicam, traductione ad plebem furibundi hominis ac deperditi, mihi irati, sed multo acrius otii et communis salutis inimici. Hunc vir clarissimus, mihique, multis repugnantibus, amicissimus, Cn. Pompeius, omni cautione, foedere, exsecratione devinxerat, nihil in tribunatu contra me esse facturum. At ille nefarius, ex omnium scelerum colluvione natus, parum se foedus violaturum arbitratus est, nisi ipsum cautorem alieni periculi suis propriis periculis terruisset. 67. Hanc tetram immanemque belluam, vinctam auspiciis, alligatam more maiorum, constrictam legum sacratarum catenis, solvit subito, lege curiata consul vel, ut ego arbitror, exoratus vel, ut non nemo putabat, mihi iratus, ignarus quidem certe et imprudens impendentium tantorum scelerum ac malorum. Qui tribunus pl. felix in evertenda re publica fuit, nullis suis nervis: qui enim in eiusmodi vita nervi potuerunt esse hominis, fraternis flagitiis, sororiis stu-

[1]) pro Sextio c. 6. § 15. — [2]) Ibid. c. 27. § 58. — [3]) Ibid. c. 7. § 15.

pris, omni inaudita libidine insani? 68. Sed fuit profecto illa rei publicae fortuna fatalis, ut ille caecus atque amens tribunus plebis nancisceretur — quid dicam? — consules? hoccine ut ego appellem nomine eversores huius imperii, proditores dignitatis Romanae, hostes bonorum omnium? qui ad delendum senatum, affligendum equestrem ordinem, exstinguenda omnia iura atque instituta maiorum, se illis fascibus ceterisque insignibus summi honoris atque imperii ornatos esse arbitrabantur.

XXI. 69. Omnibus [1] in concionibus illa furia clamabat, se, quae faceret contra salutem meam, facere auctore Cn. Pompeio, clarissimo viro, mihique amicissimo. M. Crassus, quocum mihi omnes erant amicitiae necessitudines, vir fortissimus, ab eadem illa peste infestissimus esse meis fortunis praedicabatur. C. Caesar, qui a me nullo meo merito alienus esse debebat, inimicissimus esse meae saluti ab eodem quotidianis concionibus dicebatur. 70. His se tribus auctoribus in consiliis capiendis, adiutoribus in re gerenda esse usurum dicebat; ex quibus unum habere exercitum in Italia maximum: duo, qui privati tum essent, et praesto esse et parare, si vellent, exercitum posse idque facturos esse dicebat. Nec mihi ille iudicium populi, nec legitimam aliquam contentionem, nec disceptationem, aut causae dictionem, sed vim, arma, exercitus, imperatores, castra denuntiabat. 71. Quid ergo? inimici oratio, vana praesertim, tam improbe in clarissimos viros coniecta, me movit? Me

---

[1]) Ibid. c. 17. § 39.

vero non illius oratio, sed eorum taciturnitas movebat, in quos illa oratio tam improba conferebatur: qui tum, quamquam ob aliam causam tacebant, tamen hominibus, omnia timentibus, tacendo loqui, non infitiando confiteri videbantur. Illi autem aliquo tum timore perterriti, quod acta illa atque omnes res superioris anni labefactari a praetoribus, infirmari a senatu atque a principibus civitatis putabant, tribunum popularem a se alienare nolebant, suaque sibi propiora pericula esse, quam mea, loquebantur. 72. Sed tamen et Crassus a consulibus meam causam suscipiendam esse dicebat, et eorum fidem Pompeius implorabat neque se privatum publicae susceptae causae defuturum esse dicebat: quem virum studiosum mei, cupidissimum rei publicae conservandae, certi homines, ad eam rem compositi, monuerunt, ut esset cautior: eiusque vitae a me insidias apud me domi positas esse dixerunt: atque hanc ei suspicionem alii literis mittendis, alii nuntiis, alii coram ipsi excitaverunt, ut ille, quum a me certe nihil timeret, ab illis, ne quid meo nomine molirentur, sibi cavendum putaret. Ipse autem Caesar, quem maxime homines ignari veritatis mihi esse iratum putabant, erat ad portas, erat cum imperio: erat in Italia eius exercitus, inque eo exercitu ipsius tribuni plebis, inimici mei, fratrem praefecerat.

XXII. 73. Foedus [1] fecere consules cum tribuno plebis palam, ut ab eo provincias acciperent, quas ipsi vellent: exercitum et pecuniam, quantam vellent, ea lege, si ipsi prius tribuno plebis afflictam et con-

---

[1]) Ibid. c. 10. § 24.

strictam rem publicam tradidissent. Id autem foedus meo sanguine ictum sanciri posse dicebant. Qua re patefacta, (neque enim dissimulari tantum scelus poterat nec latere,) promulgantur uno eodemque tempore rogationes ab eodem tribuno de mea pernicie et de provinciis consulum nominatim. 74. Hic [1] tum senatus sollicitus, omnes equites excitati, Italia cuncta permota, omnes denique omnium generum atque ordinum cives summae rei publicae a consulibus atque a summo imperio petendum esse auxilium arbitrabantur, quum illi soli essent, praeter furiosum illum tribunum, duo rei publicae turbines, qui non modo praecipitanti patriae non subvenirent, sed eam etiam nimium tarde concidere maererent. Flagitabatur ab his quotidie, quum querelis bonorum omnium, tum etiam precibus senatus, ut meam causam susciperent, agerent aliquid; denique ad senatum referrent. Hi non modo negando, sed etiam irridendo, amplissimum quemque illius ordinis insequebantur.

XXIII. 75. Hic [2] subito quum incredibilis in Capitolium multitudo ex tota Urbe cunctaque Italia convenisset, vestem mutandam omnes meque iam omni ratione, privato consilio, (quoniam publicis ducibus res publica careret) defendendum putarunt. Vos, inquam, equites Romani, et omnes boni, veste mutata vos pro meo capite ad pedes lenonis impurissimi proiecistis: cum vestris precibus a latrone illo repudiati estis. 76. Erat eodem tempore senatus in aede Concordiae, quod ipsum templum repraesentabat me-

[1]) Ibid. c. 11. § 25. — [2]) Ibid. c. 11. § 26.

moriam consulatus mei, quum flens universus ordo cincinnatum consulem orabat. Nam alter ille horridus et severus consulto se domi continebat. Qua tum superbia coenum illud ac labes, amplissimi ordinis preces et clarissimorum civium lacrimas repudiavit! me ipsum ut contempsit heluo patriae! nam quid dicam patrimonii, quod ille, quum quaestum faceret, amisit? Tum vir incredibili fide, magnitudine animi, constantia, L. Ninnius, ad senatum de re publica retulit, senatusque frequens vestem pro mea salute mutandam censuit. 77. O diem [1] illum, funestum senatui bonisque omnibus! rei publicae luctuosum! mihi ad domesticum maerorem, gravem! ad posteritatis memoriam, gloriosum! Quid enim quisquam potest ex omni memoria sumere illustrius, quam pro uno cive et bonos omnes privato consensu, et universum senatum publico consilio mutasse vestem? quae quidem tum mutatio non deprecationis causa facta est, sed luctus. Quem enim deprecarentur, quum omnes essent sordidati, quumque hoc satis esset signi, esse improbum, qui mutata veste non esset?

XXIV. 78. Hac mutatione vestis facta, tanto in luctu civitatis, omitto, quid ille tribunus, omnium rerum divinarum humanarumque praedo, fecerit: qui adesse nobilissimos adolescentes, honestissimos equites Romanos, deprecatores salutis meae iusserit, eosque operarum suarum gladiis et lapidibus obiecerit: de consulibus loquor, quorum fide res publica niti debuit. 79. Exanimatus evolat ex senatu Gabinius, non mi-

[1]) Ibid. c. 12. § 27.

nus perturbato animo atque vultu, quam si annis ante paucis in creditorum conventum incidisset: advocat concionem: habet orationem talem consul, qualem nunquam Catilina victor habuisset: *Errare homines, si etiam tum senatum aliquid in re publica posse arbitrarentur: equites vero Romanos daturos illius diei poenas, quo, me consule, cum gladiis in clivo Capitolino fuissent: venisse tempus iis, qui in timore fuissent,* (coniuratos videlicet dicebat) *ulciscendi se.* Si dixisset haec solum, omni supplicio esset dignus. Nam oratio ipsa consulis perniciosa potest rem publicam labefactare. 80. Quid fecerit, videte. L. Lamiam, qui, quum me ipsum pro summa familiaritate, quae mihi cum fratre, cum patre eius erat, unice diligebat, tum pro re publica vel mortem oppetere cupiebat, in concione relegavit edixitque, ut ab Urbe abesset millia passuum ducenta, quod esset ausus pro civi, pro bene merito civi, pro amico, pro re publica deprecari. Quid [1] hoc homine facias? aut quo civem importunum, aut potius hostem tam sceleratum reserves? qui, ut omittam cetera, quae sunt ei cum collega immani impuroque coniuncta atque communia, hoc unum habet proprium, ut ex Urbe expulerit, relegarit, non dico equitem Romanum, non ornatissimum atque optimum virum, non amicissimum rei publicae civem, non illo ipso tempore una cum senatu et cum bonis omnibus casum amici reique publicae lugentem, sed civem Romanum sine ullo iudicio, ut edicto ex patria consul eiecerit.

XXV. 81. Erat [2] igitur in luctu senatus: squalebat

---

[1]) Ibid. c. 13. § 29. — [2]) Ibid. c. 14. § 32.

civitas publico consilio veste mutata: nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, nulla Romae societas vectigalium, nullum collegium aut concilium aut omnino aliquod commune consilium, quod tum non honorificentissime de mea salute decrevisset: quum subito edicunt duo consules, ut ad suum vestitum senatores redirent. 82. Quis unquam consul senatum ipsius decretis parere prohibuit? quis tyrannus miseros lugere vetuit? Parumne est, Piso, ut omittam Gabinium, quod tantum homines fefellisti, ut negligeres auctoritatem senatus? optimi cuiusque consilia contemneres? rem publicam proderes? consulare nomen affligeres? Etiamne edicere audebas, ne maererent homines meam, suam, rei publicae calamitatem, neve hunc suum dolorem veste significarent? Sive illa vestis mutatio ad luctum ipsorum sive ad deprecandum valebat, quis unquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quemquam aut sibi maerere, aut ceteris supplicare? 83. Idem[1] tu, productus in concionem ab eo, cui sic aequatum praebebas consulatum tuum, quum esses interrogatus, quid sentires de consulatu meo: gravis auctor! respondebas, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio: *crudelitatem tibi non placere.* Hic te ille homo, dignissimus tuis laudibus, collaudavit. Crudelitatis tu, furcifer, senatum consul in concione condemnabas! non enim me, qui senatui parui; nam relatio illa salutaris et diligens fuerat consulis: animadversio et iudicium, senatus. Quae quum reprehendis, ostendis, qualis tu, si ita forte accidisset, fueris illo tempore consul futurus. Stipendio, meher-

[1]) in Pison. c. 6. § 14.

cule, et frumento Catilinam esse putasses iuvandum. Quid enim interfuit inter Catilinam et eum, cui tu senatus auctoritatem, salutem civitatis, totam rem publicam, provinciae praemio vendidisti? 84. Tu [1] es ille, cui crudelitas displicet? qui, quum senatus luctum ac dolorem suum vestis mutatione declarandum censuisset, quum videres maerere rem publicam amplissimi ordinis luctu, o noster misericors! quid facis? quod nulla in barbaria quisquam tyrannus. Edicere [2] ausus es cum illo tuo pari, quem tamen omnibus vitiis superare cupiebas, VT SENATVS, contra, quam ipse censuisset, AD VESTITVM REDIRET. Quis hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non sineret?

XXVI. 85. Haec [3] ego quum viderem (neque enim erant occulta) senatum, sine quo civitas stare non posset, omnino de civitate esse sublatum; consules, qui publici consilii duces esse deberent, perfecisse, ut per ipsos publicum consilium funditus tolleretur; eos, qui plurimum possent, opponi omnibus concionibus, falso, sed formidolose tamen, auctores ad perniciem meam; conciones haberi quotidie contra me; vocem pro me ac pro re publica neminem mittere; intenta signa legionum existimari cervicibus ac bonis civium, falso, sed putari tamen; coniuratorum copias veteres, et fusam illam ac superatam Catilinae manum importunam, novo duce, et insperata commutatione rerum esse renovatam: haec ergo quum viderem, quid agerem? 86. Contenderem contra tribunum plebis privatus armis? Vicissent

---

[1]) Ibid. c. 8. § 17. — [2]) Ibid. § 18. — [3]) pro Sextio c. 19. § 42.

improbos boni, fortes inertes: interfectus esset is, qui hac una medicina sola potuit a rei publicae peste depelli. Quid deinde? quum reliqua instarent. Cui denique erat dubium, quin ille sanguis tribunicius, nullo praesertim publico consilio profusus, consules ultores et defensores esset habiturus? quum quidem in concione dixisset, *aut mihi semel pereundum, aut bis esse vincendum.* Quid erat *bis vincere?* Id profecto, ut cum amentissimo tribuno plebis quum decertassem, cum consulibus ceterisque eius ultoribus dimicarem. Ego vero, si pugnandum fuisset, ac non accipienda plaga mihi, sanabilis illa, non mortifera, quam imposuisset, semel perire tamen maluissem, quam bis vincere. Erat enim illa altera eiusmodi contentio, ut neque victi neque victores rem publicam tenere possemus. 87. Potui [1] quidem, multis auctoribus fortissimis viris, me vi armisque defendere: nec mihi ipsi ille animus idem meus, nemini incognitus, defuit. Sed videbam, si vicissem praesentem adversarium, nimium multos mihi alios esse vincendos; si victus essem, multis bonis et pro me, et mecum, etiam post me esse pereundum: tribuniciique sanguinis ultores esse praesentes: meae mortis poenas iudicio et posteritati reservari. Nolui, quum consul communem salutem sine ferro defendissem, meam privatus armis defendere: bonosque viros lugere malui meas fortunas, quam suis desperare: ac, si solus essem interfectus, mihi turpe; si cum multis, rei publicae funestum fore videbatur.

XXVII. 88. Quare [2] quum omnium perditorum et

---

[1]) post Red. in senatu c. 13. § 33. — [2]) pro Domo sua c. 36. § 96.

coniuratorum incitata vis, duce tribuno plebis, consulibus auctoribus, afflicto senatu, perterritis equitibus Romanis, suspensa ac sollicita tota civitate, non tam in me impetum faceret, quam per me in omnes bonos: servorum [1] et egentium civium et facinorosorum armis meos cives, meis consiliis periculisque servatos, pro me obiici nolui. Vidi enim, vidi, Q. Hortensium, lumen et ornamentum rei publicae, paene interfici servorum manu, quum mihi adesset: qua in turba C. Vibienus, senator, vir optimus, cum hoc quum esset una, ita est mulcatus, ut vitam amiserit. 89. Quae [2] quum omnia atque etiam multo alia maiora, quae consulto praetereo, accidissent, deflevi [3] coniugis miserae discidium, liberorum carissimorum solitudinem, fratris absentis amantissimi atque optimi casum, subitas fundatissimae familiae ruinas: sed his omnibus rebus vitam anteposui meorum civium; remque publicam concidere meo unius discessu, quam omnium interitu occidere malui. 90. Servavi [4] igitur rem publicam discessu meo, eoque caedem a civibus liberisque eorum, vastitatem, incendia, rapinas, meo dolore luctuque depuli: et unus rem publicam bis servavi, semel gloria, iterum aerumna mea. Neque enim in hoc me hominem esse infitiabor umquam, ut me optimo fratre, carissimis liberis, fidissima coniuge, conspectu bonorum, patria, hoc honoris gradu, sine dolore caruisse glorier. 91. Mihi [5] autem temporibus illis multum in animo Marius versabatur, recordanti, quam ille gravem suum casum magno animo, quam constanti tulisset. Memineram [6] divinum

[1]) pro Milone c. 14. § 36. — [2]) pro Sextio c. 23. § 52. — [3]) pro Domo sua c. 36. § 96. — [4]) pro Sextio c. 22. § 49. — [5]) de Divinat. II. c. 67. § 140. — [6]) pro Sextio c. 22. § 50.

illum virum, atque ex iisdem, quibus nos, radicibus natum ad salutem imperii huius, summa senectute, quum vim prope iustorum armorum profugisset, primo senile corpus paludibus occultasse demersum: deinde ad infimorum ac tenuissimorum hominum Minturnis misericordiam confugisse: inde navigio perparvo, quum omnes portus terrasque fugeret, in oras Africae desertissimas pervenisse. Atque ille vitam suam, ne inultus esset, ad incertissimam spem et ad rei publicae fatum reservavit.

XXVIII. 92. Hac [1] tanta perturbatione civitatis, ne noctem quidem consules inter meum casum, et rei publicae praedam interesse passi sunt: statim, me perculso, ad meum sanguinem hauriendum, et, spirante etiam re publica, ad eius spolia detrahenda advolaverunt. Omitto gratulationes, epulas, partitionem aerarii, beneficia, spem, promissa, praedam, laetitiam paucorum in luctu omnium. Vexabatur uxor mea: liberi ad necem quaerebantur: gener, et Piso gener, a Pisonis consulis pedibus supplex reiiciebatur: bona diripiebantur, eaque ad consules deferebantur: domus ardebat in Palatio: consules epulabantur et [2] in coniuratorum gratulatione versabantur; quum alter se Catilinae delicias, alter Cethegi consobrinum fuisse diceret. 93. Quod si [3] meis incommodis laetabantur, Urbis tamen periculo eos commoveri oportebat. Ecquod [4] enim in hac urbe maius unquam incendium fuit, cui non consul subvenerit? At Piso illo ipso tempore apud socrum suam prope a

---

[1]) pro Sextio c. 24. § 54. — [2]) pro Domo sua c. 24. § 62. — [3]) pro Sextio c. 24. § 54. — [4]) in Pison. c. 11. § 26.

meis aedibus, cuius domum ad meam exhauriendam patefecerat, sedebat, non exstinctor, sed auctor incendii, et ardentes faces furiis Clodianis paene ipse consul ministrabat.

XXIX. 94. Sed [1], ut a mea causa iam recedam, reliquas illius anni pestes recordemur. Nam latae quidem sunt consulibus illis, tacentibus dicam? immo vero etiam approbantibus: ut censoria notio et gravissimum iudicium sanctissimi magistratus de re publica tolleretur: ut collegia non modo illa vetera contra senatus consultum restituerentur, sed ab uno gladiatore innumerabilia alia nova conscriberentur: ut, remissis semissibus et trientibus, quinta prope pars vectigalium tolleretur: ut Gabinio, pro illa sua Cilicia, quam sibi, si rem publicam prodidisset, pactus erat, Syria daretur: ut uni heluoni bis de eadem re deliberanti potestas esset, rogata lege, provinciae commutandae: ut [2] homini egentissimo et facinorosissimo, Sex. Clodio, omne frumentum privatum et publicum, omnes provinciae frumentariae, omnes mancipes, omnes horreorum claves traderentur. Qua ex re primum caritas nata est: deinde inopia. Impendebat fames, incendia, caedes, direptio. 95. Mitto [3] eam legem, quae omnia iura religionum, auspiciorum potestatem, omnes leges, quae sunt de iure et de tempore legum rogandarum, una rogatione delevit: mitto omnem domesticam labem: etiam exteras nationes illius anni furore conquassatas videbamus. Lege tribunicia Matris Magnae Pes-

---

1) pro Sextio c. 25. § 55. — 2) pro Domo sua c. 10. § 25. — 3) pro Sextio c. 26. § 56.

sinuntius ille sacerdos expulsus, et spoliatus sacerdotio est, fanumque sanctissimarum atque antiquissimarum religionum venditum pecunia grandi, Brogitaro, impuro homini, atque indigno illa religione, praesertim quum ea sibi ille non colendi, sed violandi causa appetisset: appellati reges a populo, qui id nunquam ne a senatu quidem postulassent: reducti exsules Byzantium condemnati tum, quum indemnati cives e civitate eiiciebantur. 96. Rex Ptolemaeus, qui, si nondum erat ipse a senatu socius appellatus, erat tamen frater regis, qui, quum esset in eadem causa, iam erat a senatu honorem istum consecutus; erat eodem genere iisdemque maioribus, eadem vetustate societatis; denique erat rex, si nondum socius, at non hostis; pacatus, quietus, fretus imperio populi Romani, regno paterno atque avito, regali otio perfruebatur: de hoc nihil cogitante, nihil suspicante, eisdem operis suffragium ferentibus, est rogatum, ut sedens cum purpura et sceptro et illis insignibus regiis, praeconi publico subiiceretur: et imperante populo Romano, qui etiam bello victis regibus regna reddere consuevit, rex amicus, nulla iniuria commemorata, nullis repetitis rebus, cum bonis omnibus publicaretur.

XXX. 97. At [1] etiam eo negotio M. Catonis splendorem maculare voluerunt. Non enim illi ornandum Catonem, sed relegandum; nec illi committendum illud negotium, sed imponendum putaverunt, qui in concione palam dixerint, *linguam se evellisse M. Catoni,*

[1]) Ibid. c. 28. § 60.

quae semper contra extraordinarias potestates libera fuisset. Et [1] si isti Cypriae rogationi sceleratissimae non paruisset, haereret illa nihilominus in re publica turpitudo. Regno enim iam publicato, de ipso Catone erat nominatim rogatum. Quod ille si repudiasset, quis dubitet, quin ei vis esset allata, quum omnia acta illius anni per unum istum labefactari viderentur? 98. Sic [2] M. Cato, invitus, quasi per beneficium, Cyprum relegatur. Eiiciuntur duo, quos improbi videre non poterant: alter per honorem turpissimum, alter per honestissimam calamitatem; et [3] Cyprius ille miser, qui semper socius, semper amicus fuit, de quo nulla unquam suspicio durior aut ad senatum aut ad imperatores nostros allata est, vivus (ut aiunt) est et videns cum victu ac vestitu suo publicatus. 99. Quae [4] vero promulgata illo anno fuerint, quae promissa multis, quae conscripta, quae sperata, quae cogitata, quid dicam? qui locus orbis terrae iam non erat alicui destinatus? cuius negotii publici cogitari, optari, fingi curatio potuit, quae non esset attributa atque descripta? quod genus imperii aut quae provincia, quae ratio auferendae aut conflandae pecuniae non reperiebatur? quae regio, orave terrarum erat latior, in qua non regnum aliquod statueretur? quis autem rex, qui illo anno non aut emendum sibi, quod non habebat, aut redimendum, quod habebat, arbitraretur? quis provinciam, quis pecuniam, quis legationem ab senatu petebat? Damnatis de vi, restitutio; consulatus petitio ipsi illi populari sacerdoti comparabatur. Haec geme-

[1]) Ibid. c. 29. § 62. — [2]) pro Domo sua c. 25. § 65. — [3]) pro Sextio c. 27. § 59. — [4]) Ibid. c. 30. § 66.

bant boni, sperabant improbi, agebat tribunus plebis, consules adiuvabant.

100. Atque [1] haec quidem hactenus. Nunc [2] enim venio ad illum discessum meum: cuius ego temporis rationem explicabo brevi, neque invitus. Nihil enim ex meis est temporibus, quod minus pervulgatum, quodque minus aut mea commemoratione celebratum sit, aut hominibus auditum atque notum.

---

[1]) de Offic. I. c. 45. § 160. — [2]) pro Plancio c. 40. § 95.

MISCELLANEA CRITICA.

CAPUT I.

IN CORNELII TACITI AGRICOLAM.

Quum nuper ad me pervenissent egregiae Taciti editiones Turicensis et Cantabrigiensis, quarum illa Io. Casp. Orellio, haec Franc. Rittero debetur, nihil prius mihi faciendum putavi, quam ut utramque compararem cum iis, quae ego olim de locis Agricolae vel dubiis vel corruptis discipulorum causa adnotaveram. Vidi autem verba scriptoris vel e libris Manuscriptis vel ex ingenio passim emendata atque melius, quam antea factum erat, explicata. Sunt tamen, in quibus etiamnunc haeream quaeve aliter expedienda esse videantur. Graviora ex iis nunc adferam.

Cap. 6 Tacitus domesticam Agricolae felicitatem his verbis descripsit: *Vixerunt* (Agricola cum uxore Domitia Decidiana) *mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto major laus, quanto in mala plus culpae est.* Primum in his verbis Orellius praepositionem *per* male ad tempus refert, illa *per mutuam caritatem* explicans: "in continua caritate mutua". Immo indica-

tur origo et fundamentum illius concordiae, et *per*, quod fere idem est ac *propter*, omnino notat causam, quidquid contra disputat Dronkius in edit. altera. Quae sequuntur: *et invicem se anteponendo* non integra judico. Non equidem nego, quod Ciceroni est *inter se amare*, *colere*, *diligere*, id apud Tacitum et aequales non modo dici *invicem amare* cet., sed etiam *invicem se amare*, de quo dubitare non sinunt haec Plinii Epist. III. 7. 15 ἀγαθὴ δ' ἔρις, *quum invicem se mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt;* verum, ut nemo dixit *inter se anteponere*, ita non potuit Tacitus scribere: Agricola et Decidiana invicem se anteponebant, non addito nomine personae aut rei, cui alter alterum anteponeret. Ergo aut *anteponendo* vitiosum est, aut dativus excidit. Utrum probabilius sit, modo videbimus. Prius consideremus necesse est ultimam sententiae partem, quam adjectam esse ad laudem socrus superstitis (cap. 44) merito observat Orellius. Sed interpretando non removerunt editores difficultatem, quae oritur e particulis *nisi quod*, quae non ἁπλῶς adversative ponuntur, sed tum demum, si aliquid additur, quod modo dicta corrigat vel circumscribat. Exempla peti possunt ex Handii Tursellino IV. p. 236 sq., qui hujus quoque loci memor Tacitum haec eo consilio addidisse putat, ut causam admirationis (nam dixerat *miram* concordiam) minuat. Atque verba, ut nunc sunt, aliter explicari non posse concedo; sed quis ferat Tacitum dicentem: Vixerunt mira concordia, sed non miram dixerim, si reputo tanto majorem laudem esse in bona uxore, quanto majorem culpam in mala? Contra haec verba aptissime superioribus adjiciuntur, expuncto

nisi, quod participium verbi *nitor* h. l. esse vix serio suspicatus est Peerlkampius. Latent autem in istis literis vestigia verae scripturae, quae talis videtur: *Vixerunt mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo omnibus, quod in bona uxore tanto major laus, quanto in mala plus culpae est.* Non anteposuit Agricola uxorem sibi, quod esset juvenis uxorii et viro indignum, sed maritus uxorem, uxor maritum omnibus aliis anteferebat, idque Tacitus tanto magis laudandum censet, si uxor bona est, ut erat Decidiana, quanto magis culpandum esset mariti judicium, si uxor esset mala. Multo facilius etiam e scriptura alterius codicis Vaticani *appetendo* corrigi posset — *et invicem se appetendo donis.* Sed quod est adolescentis amorem puellae captantis, inhoneste in puellam transfertur, et a vitae consuetudine mariti atque uxoris plane abhorret.

C. 16. *Didicere jam barbari quoque ignoscere vitiis blandientibus.* Ex Orellii adnotatione "imprimis luxuriae, cui ipsi Britanni paulatim indulgere coeperunt" apparet, *vitiis blandientibus* ei dativum fuisse. Ritterus nihil monet, sed levi distinctione haec separans a v. *ignoscere* amplecti videtur Dronkii sententiam, qui ablativos putat. Mihi non magis quam Peerlkampio perspicuum est, quae sint *vitia blandientia*, neque tamen placet correctio, quam vir doctissimus proposuit in Bibl. Crit. Nova III. p. 137 et in edit. Agricolae a. 1827 repetiit. Sed omnis difficultas evanescit, si *blandientibus* intelligitur dativus personae, qui pendet ab *ignoscere* et adsciscit alium dativum *vitiis.* Sententia est: Britanni facile tulerunt Trebellium et Romanos blandientes suis vitiis, inertiae et desidiae

(cf. cap. 11 extr.). Nam luxuria non cadit in barbaros. Simillimam orationis formam, vel si mavis similem obscuritatem, notavi e Caesaris B. C. III. 32 *universis imperatis pecuniis* ɔ: quum pecuniae universis imperatae essent.

C. 18 narrat scriptor caesa Ordovicum gente Agricolam decrevisse expeditionem in insulam Monam. Fecit *non ignarus instandum famae ac, prout prima cessissent, terrorem caeteris fore universa.* Sic e codd. Vat. dederunt Orellius et Ritterus, deleto tantum postremo voc. *universa*, quod e praecedenti versu male repetitum videtur. Atque Orellius merito reprehendit eos editores, qui cum Puteolano duo vocabula *terrorem ceteris* extruserunt, sed non satisfecit Dronkio, qui testatur propterea se Puteolani lectionem retinuisse, quod verba *prout prima cessissent* alius rei mentionem postulent quam terroris. Huic facile remedium praestabo corrigamque: *prout prima cessissent, tenorem ceteris fore.* Tenorem esse cursum non interruptum apparebit inspicienti exempla Liviana, quae cumulavit Drakenborchius ad IV. 37. 9. Post Livium vocabulo usi sunt Plinius (Paneg. 84) et Suetonius (Domit. 10), et legitur in hoc ipso Taciti libro c. 6 *idem praeturae tenor.* Sed eo loco debetur Rhenano, quem vix puto verum invenisse. Cum verbis a me emendatis optime conveniunt sententiae, quae ex Hist. II. 20 et XII. 31 atque ex Ciceronis Ep. ad Att. X. 18 citantur.

C. 20 *nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur.* E commentariis Soc. philol. Lips. Vol. III. P. 2. p. 302 vidi Dahlium offensum usu particulae *quo minus* aut *apud hostem* aut *popularentur* scribendum censuisse, ut haec non

de Agricola, sed de Britannis dicerentur. Non fecisset, si diligentius explorasset locos, ubi apud Tacitum *quo minus* ponitur. Multi enim sunt, in quibus *quo minus* nihil differt a *quin*. Hunc usum optime illustravit Haasius ad Reisigii Scholas de Gramm. Lat. in adn. 490. p. 572.

Quae leguntur initio cap. 24 *Quinto expeditionum anno nave prima transgressus ignotas ad id tempus gentes — domuit*, in quibus illa *nave prima* nonnullis criticis displicebant, bene explicuit Dronkius in edit. altera, eandemque rationem tenuit Orellius, ut *nave prima* dictum sit pro *tum primum navibus*. Minus recte Ritterus ita interpretatur: "in navium agmine Clotam trajicientium primus ipse legatus fuit." Debuit enim scriptor declarare hoc demum anno naves esse adsumptas, (non *in partem virium*, quod sequenti aestate factum (vid. c. 25), sed ad copias traducendas) quum tamen jam tertio anno perventum esset ad Taum (c. 22, hodie *frith of Tay*), ultra Bodotriam situm aestuarium. Tum demum operae pretium erat memorare Agricolam in navium agmine primum fuisse, si armati hostes littus obtinuissent Romanosque aditu prohibuissent. Quod tamen factum non esse e Taciti silentio patet. Sed non credo tamen nihil in his verbis mutandum esse. Offendit enim participium *transgressus* absolute positum. Transgressus est *Clotam* (vid. Ritterus ad h. l. et ad cap. 25 in.); sed nonne verosimile est a diligenti scriptore hoc vel diserte declaratum vel certo indicio significatum esse? Negligentiae culpa scriptorem liberabimus scribentes *primam*, quod in antiquo codice ita scriptum *primā* postea accommodatum est ad v. *nave*, ut in altero Vaticano c. 9 ex

virtute remansit ablativus, quum *virtutem* in altero Ms. Vaticano recte scriptum esset. *Primam transgressus* post ea, quae paullo ante leguntur *Nam Clota et Bodotria*, satis aperte indicat nunc agi de Clota. Et ne quem offendat *primam* dici, ubi *priorem* requiri videtur, quum de duobus sermo sit, inspiciat exempla similia e Ciceronis scriptis, quae collegit Aug. Matthiaeus ad orat. p. Sestio 19, 44. Causa hujus licentiae in eo posita videtur, quod *primus* superlativi naturam deposuit.

C. 31. *Bona fortunasque in tributum aggerant, annum in frumentum.* Sic verba dedit Orellius, cui praeiverat Dronkius. Ritterus maluit sequi R. Seyffertum, qui pressius codd. Vaticanorum vestigia observavit scribendo: *Bona fortunaeque in tributum, ager et annus in frumentum*, in qua lectione verbi defectus lectorem moratur. Ego adscripsi hunc locum, ut cum iis, qui haec legunt, certissimam emendationem communicarem, quam proposuit Huschkius in libro a. 1847 Berolini edito, *über den Census und die Steuerverfassung der frühern Röm. Kaiserzeit*, p. 26 in adn. Is suspicatur pro *aggerat* geminata littera praecedenti scribendum esse *macerāt'* i. e. *macerantur*, verbaque ita constituta: *bona fortunaeque in tributum* MACERANTUR, *annus in frumentum* interpretatur: "das Vermogen wird zur Steuer, der Jahresertrag zum Zehenten ausgezehrt."

In oratione, quam Agricola ad milites habuisse fingitur cap. 33 seq. hic locus a criticis saepe et varie tentatus est: *acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt; reliquus est numerus ignavorum et metuentium. Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed depre-*

hensi sunt; novissimae res et extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis. Apud paucos editores aucteritas codicum scriptorum tantum valet, ut corrupta aliquo modo explicare et callida interpretatione defendere, quam mutandi necessitatem concedere malint. In iis, qui haec nobis tanquam vera et integra venditant, sunt tamen Dronkius et Orellius. Non tanta fuit Rhenano superstitio, cujus suspicionem probat Ritterus, quanquam ille justo audacius *res* et *aciem* delevit et vim verborum *non restiterunt, sed deprehensi sunt* imminuit *novissimi* vel *novissime* iis addendo. Aliena remedia quum minime satisfacerent, ipse aliquid excogitaveram; sed ecce, quum haec typis iam descripta perlustro, cognovi ex Annalium Philologorum et Paedagogicorum fasciculo recens allato (vol. LVIII. 1. p. 39) palmariam emendationem, quam anno 1844 in libello Dresdae edito propositam male sprevit Ritterus. Mihi quidem adeo placet, ut, deletis quae antea scripseram, gratissimum me harum litterarum studiosis facturum putem, si verba a Bezzenbergero emendata hoc loco repetam: — *deprehensi sunt. Novissimi haesere et extremo metu ac torpore defixere aciem in his vestigiis,* cet. In ultima voce scrupulus restat, quem exemit Peerlkampius, *in his fastigiis* scribi posse monens.

C. 36. *nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in arto pugnam non tolerabant. In arto* recte scripsit Ritterus ex emendatione Francisci Medicei, ostenditque quam facile hinc oriri potuerit *in aperto*, quod miror ab Orellio defensum esse. Utilis erit comparatio eorum, quae leguntur apud Li-

vium XXVIII. 33: *Scipio pro se esse loci angustias ratus et quod in arto pugna Romano aptior, quam Hispano militi futura videbatur — novo etiam consilio adjecit animum.*

CAPUT II.

IN SENECAE LIBRUM AD MARCIAM DE CONSOLATIONE.

In capite primo magnificis laudibus ornatur Marcia, quod scripta patris sui Cremutii Cordi per aediles cremata occultaverat et mutatis temporibus ediderat. Ibi haec legimus: *Optime meruisti de Romanis studiis: magna illorum pars arserat; optime de posteris, ad quos veniet incorrupta rerum fides auctori suo magno imputata; optime de ipso, cujus viget vigebitque memoria, quamdiu in pretio fuerit Romana cognosci.* Quae verba si quis accurate considerat, facile concedet in verbis *magna illorum pars arserat* aliquid vitii inesse. Nam ut in sequentibus membris ratio additur, cur Marcia optime meruerit de posteris et de patre, ita haec explicare debent, qua re optime meruerit de Romanis studiis. Sed nihil ejusmodi continent. Et ne verum quidem est magnam librorum partem igne deletam esse. Exempla publice cremata sunt, sed ut scribit Dio LVII. 24 cum alii tum maxime filia libros occultarunt et ediderunt. Cf. Tac. Ann. IV. 35. Postremo *illorum* non accurate ad *libros* refertur, quum in verbis proximis de *studiis* mentio facta sit. Locum corrumpunt litterae ARS male geminatae, scripsitque Seneca: *Optime*

meruisti de Romanis studiis: magna illorum pars ERAT nim. pater tuus; et respexit fortasse illud Vergilianum *quorum pars magna fui.* Utitur eadem locutione c. 18 *erisque et spectatrix et pars magna conantium.*

Paucis post versibus § 5 oratio iterum aliquid vitii contraxisse videtur. Locus ita sonat: *Antiqua mala in memoriam reduxi: et vis scire hanc quoque plagam esse sanandam? ostendi tibi aeque magni vulneris cicatricem.* In his quaestio interposita nescio quid duri habet. Mollior et teretior fiet oratio ita correcta: *Antiqua mala in memoriam reduxi et*, UT SCIRES *hanc quoque plagam esse sanandam*, *ostendi tibi aeque magni vulneris cicatricem.*

§ 8. cap. 1. *Nam vulnerum quoque sanitas facilis est, dum a sanguine recentia sunt: tunc et uruntur et in altum revocantur et digitos scrutantium recipiunt; ubi corrupta in malum ulcus verterunt, difficilius curantur.* Perperam nonnemo haec stulta dixit et ad transpositionis remedium confugit. Mallem docuisset, quid esset *vulnus in altum revocare.* Necessarium puto: *et in altum* (ɔ: *alte*, ut scriptores illius aetatis *in longum, in publicum*, similiaque pro adverbiis ponebant) RESECANTUR.

Quae leguntur cap. 2. § 3 *Bene legerat nulli cessura ponderi fundamenta* continere nihil nisi inanem antecedentium amplificationem merito observat H. C. Michaëlis, in edit. hujus libelli, quae prodiit Harlemi a. 1840, p. 42. Sed in Senecae virtutibus profecto non est sobrietas, multaque redundantia, quae in Cicerone non feras, in hoc scriptore ferenda sunt. Sed ut haec ad Marcellum pertineant, non ut nunc fit ad Augustum, scribendum est: *Bene* IECERAT *nulli*

cessura ponderi fundamenta, quod e margine codicis Palatini notavit Fickertus.

Quum constet in minoribus Senecae scriptis recensendis eo tutius editorem procedere, quo pressius sequatur optimi libri Mediolanensis A vestigia, cujus libri ope adjutus Fickertus infinitis locis veram scripturam restituit, miramur illius libri auctoritatem neglectam esse in verbis, quae cap. 9 praecedunt illum versiculum: *Cuivis potest accidere quod cuiquam potest*. Ea quum vulgo e Gronovii infelici suspicione sic ederentur: *Egregium versum et dignum, qui non e Publio exiret*, Fickertus temere sublata negatione scripsit: *Egregium versum et dignum, qui e Publio exierit*, monens meliora non suppetere. Sed longe aliud latere videtur in scriptura cod. A *egregium versum et dignum, qui non e populo eriet*, quam plane servant cod. Berol. et Gudianus, optimis et ipsi adnumerandi, nisi quod unius litterae spatio relicto *eri et* habere notantur. Ortam credo scripturam e litteris archetypi quadratis male distinctis, in quo ita fortasse scriptum fuit: *QVINOÑIPOPVLOHERI..ET* ɔ: *qui in omni populo haereret*, quem omnes memoria tenerent quique in hominum mentibus infixus esset. Simili fere modo dixit Cicero in Catil. IV. 10, 22 *memoria tantorum periculorum — in omnium gentium sermonibus ac mentibus semper haerebit*.

In cap. 10 agitur de fortunae regno in res humanas perduciturque disputatio ad hanc conclusionem: *Moderandum est itaque vobis maxime quae immoderate fertis*. Ita enim verba scribuntur in optimis libris. Sed obscure dicitur, cui rei moderandum sit, et absurde additur *vobis*, quasi hoc non ad omnes per-

tineret, aut, si ad solam Marciam converteretur oratio, non *tibi* esset dicendum. Atque ob eandem rationem displicet *fertis*. Difficultatem partim intellexerunt librarii codicum Palatinorum secundi et quarti, scripsitque hic: *Moderandus est itaque nobis maxime dolor, quem immoderate fertis*, ille: *Moderandus est itaque nobis animus adhuc maxime quae immoderate fertis*. Hullemanni ingeniosa suspicione adjutus experiar, si forte leniori remedio vulnus curare mihi contingat, scribendo: *Moderandum est itaque* VOTIS, MARCIA, NE QUA *immoderate* FERAS.

Capite 11 in verbis *Huc* (ɔ: ad mortem) *omnis ista, quae in foro litigat, in theatris, in templis precatur turba, dispari gradu vadit* verbum excidisse manifestum est. Vulgo post *theatris* addunt ex Erasmi conjectura *desidet*. Sed mihi quidem multo aptius videtur *in theatris* RIDET, quod e scriptura duorum codicum *in theatris et in templis* nullo labore invenitur.

Venio ad impedita verba in cap. 25. Senecam quis credat scripsisse haec: *Utque ignotarum urbium monstrator hospiti gratus est, ita sciscitanti coelestium causas domesticus interpres et in profunda terrarum permittere aciem: juvat enim ex alto relicta respicere?* Non habet infinitivus *permittere*, quo referatur; quare in duobus codicibus correctum est *dimittit*. Sed in illa lectione hoc potius latet: — *interpres. Et in profunda terrarum* DEmittere *aciem juvat* INTERIM ET *ex alto relicta respicere. Sic itaque, Marcia, te gere, tanquam sub oculis patris filiique posita*, cet. Itaque Seneca dicit: Non semper parens tuus cum nepote suo coelestia contemplabitur; interdum terram respicient et quae tu, Marcia, agis videbunt. *Interim* Se-

necae aetate pro *interdum* usitatum fuisse nemo Latine doctus ignorat.

Postremo cap. 26 pro *tot supprimet montes* non dubito reponere TOTOS *supprimet montes.*

J. C. G. BOOT.

EMENDATUR A. GELLIUS N. A. V. 13.

Verba Masurii Sabini ita scribenda videntur: *In officiis apud maiores ita observatum est: primum tutelae, deinde hospiti, deinde clienti, tum cognato, postea affini* (np. locum dederunt in officiis praestandis). AE*qua causa feminae potiores habitae, pupillarisque tutela mulieris praelata. Etiam adversus quem affuissent, ejus* FILIO *tutores relicti in eadem causa pupillo aderant.* Mss. dant *de qua causa et filiis*; cetera restitui ex optimo codice Regio, cuius ope sexcentis locis vera scriptura revocari potest; *praelata* est e codice Rottendorfii, quo usus est Joh. Fr. Gronovius. Verbis *pupillarisque tutela mulieris praelata* explicatur atque confirmatur id quod praecedit, in officiis praestandis feminas potiores esse habitas quam mares, quando in simili causa cum iis versarentur, atque ut v. c. opera prius danda erat cognatae quam cognato, hospitae quam hospiti, sic in tutela pupilla praeferebatur pupillo. Caute autem Sabinus tutelam mulieris dixit *pupillarem*, ne quis etiam perpetuam illam tutelam, in qua mulieres adultae erant, potiorem esse crederet. — M. Catonis et C. Caesaris fragmenta, quae in hoc capite inveniuntur, emendavit H. Meyerus in fragm. oratt. Rom. p. 139 et 419 ed. sec.

AD GELLII N: A. XIII. 22.

E Cn. Gellii annali tertio affertur formula precandi, qua Hersilia ad T. Tatium verba faciens usa esse dicitur. Ea ita scribitur in edit. Gronoviana: *Neria Martis, te obsecro pacem dare, uti liceat nuptiis propriis et prosperis uti, quod* (ↄ: quoniam) *de tui coniugis consilio contigit, uti nos itidem integras raperent, unde liberos sibi et suis posteris patriae pararent.* Postrema verba plane absurdam continent sententiam; quis enim ducit rapitve uxorem, ut liberos suis posteris paret? Neque excusari potest dativus *patriae* sine copula superioribus verbis additus. Corrige: *unde liberos sibi et suis, post*EROS *patriae pararent.* Ad v. *itidem* altera pars comparationis supplenda est: *ut Mars te integram rapuit.* Vereor autem, ut illa *te obsecro pacem dare* Latina sint. In Ms. Franeq. inveni *date*, unde apparet scribendum esse: *te obsecro, pacem dato.*

In eodem capite, ut hoc obiter moneam, e codd. restituendum est *proprie* et *correptim* in verbis: *sed qui probe loquuti sunt, primam correptam dixerunt.* Illud confirmatur iis, quae leguntur c. 24 extr. *qui proprie atque signate loquuti sunt;* atque ut hic syllabam *correptim* dictam, scripsit Gellius IV. 6: *littera i tractim pronunciata.* Extremo capite revocanda est vetus forma genitivi *sonus*, male mutata in *sonitus*. Nam fuisse hoc vocabulum quartae declinationis apparet ex ablat. *sonu* apud Nonium p. 491.

J. C. G. BOOT.

QUAESTIONES GRAECAE.

INSTITUIT

J. G. HULLEMAN.

I.

SOLONIS QUI DICUNTUR κύρβεις ET ἄξονες.

Solent fere grammatici, ubi quid κύρβεις fuerint, quid ἄξονες exponunt, tam diversas proferre sententias, ut ex eorum interpretationibus nec de argumento horum monumentorum nec de figura neque etiam de materia, e qua confecta essent, certi quid effici posse videatur. Quae dissensio quo maior est, eo plures exstitere qui diligentiore examine rem dignam putarent, quorum alii aliam viam ingressi aliosque auctores secuti, in eo tamen consentiunt omnes, ut κύρβεις atque ἄξονας sat magno discrimine separandos putent. Mihi examinatis sedulo locis veterum qui huc pertinent primariis plane contrarium videtur. Probare igitur conabor omne illud discrimen, antiquis optimisque scriptoribus ignoratum vel negatum, nonnisi argutiis grammaticorum deberi [1].

[1]) Idem (quod nuperrime vidi) suspicatus est Muellerus in annot.

Facem in his tenebris nobis praetendat qui in antiquitate Attica exploranda certissimus dux est et auctor eximius, sed in re *κύρβεων* et *ἀξόνων* nimis neglectus, Aristoteles. Scripsit hic in Politia Atheniensium: *Ἀναγράψαντες δὲ τοὺς νόμους εἰς τοὺς κύρβεις ἔστησαν ἐν τῇ στοᾷ τῇ βασιλείᾳ.* (Harpocr. v. *Κύρβεις.* Cf. Photius s. v. p. 189, 19.) Cum quo Aristotelis loco si comparabis fragmentum Lampsaceni Anaximenis, ab Harpocratione v. *ὁ κάτωθεν νόμος* (Phot. p. 324, 28, Suid. s. v.) ex Didymi commentario adversus Asclepiadem excerptum: *Τοὺς ἄξονας καὶ τοὺς κύρβεις ἄνωθεν ἐκ τῆς ἀκροπόλεως εἰς τὸ βουλευτήριον καὶ τὴν ἀγορὰν μετέστησεν Ἐφιάλτης, ὥς φησιν Ἀναξιμένης ἐν Φιλιππικοῖς,* — haec, inquam, si inter se comparabis, Aristotelem videbis nulla facta *ἀξόνων* mentione unice *τοὺς κύρβεις* meminisse, quibus *τοὺς νόμους* Athenienses inscripserint, Anaximenem vero cum *κύρβεσι* conjunxisse *ἄξονας*. Quam difficultatem tolles quidem facillime, si Didymum ponis magis ex sua sententia Anaximenem interpretatum esse quam ipsa eius verba reddidisse; sed eo non opus est ut procedas, nisi forte talis suspicio iam eo refutetur, quod Didymus in praecedentibus suam ferens sententiam tantum *ἄξονας*, mox et Euphorionem laudans et Anaximenem simul cum *ἄξοσι κύρβεις* commemorat. Utroque nomine si usus est Anaximenes, haudquaquam sequitur alia monumenta ei fuisse *ἄξονας*, alia *κύρβεις*, sed videtur recentius *ἀξόνων* vocabulum, quo ante ipsius aetatem leges Solonis non designantur, cum

---

ad Aristot. fragm. 11 (Hist. Graec. Fragm. II. p. 109. "Ignorasse hanc nominum distinctionem utpote seriorum commentum, aut non attendisse ad haec Aristotelem colligitur."

antiquo κύρβεων coniunxisse. Quidquid est, in rebus Atticis auctoritas Anaximenis multo est Aristotelis fide inferior, quem certe gravior movit causa ut Solonis leges non in ἄξονας et κύρβεις, sed tantum in κύρβεις relatas scriberet. Nec mutavit verba Aristotelis Harpocration, id quod luculente patet e testimonio Plutarchi Vit. Sol. XXV, loco hac etiam de causa palmario, quod quum tanquam declaret, cur qui proprie appellarentur κύρβεις, iidem dici ἄξονες potuerint, originem ficti a grammaticis discriminis haud obscure indicat. *Κατεγράφησαν* (οἱ νόμοι), inquit, *εἰς ξυλίνους ἄξονας, ἐν πλαισίοις περιέχουσι στρεφομένους, ὧν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἐν πρυτανείῳ λείψανα μικρὰ διεσώζετο· καὶ προσηγορεύθησαν, ὥς Ἀριστοτέλης φησί, κύρβεις.* Germano igitur nomine, nisi me omnia fallunt, uti Aristoteles maluit quam de Solonis aetate dicens nomen adhibere, quod multo serius invaluisse noverat. Illorum autem ἀξόνων ratio quo intelligatur rectius afferam locum ex Etymol. M. v. Ἄξονες p. 115, 45 et Anecd. Bekk. I. p. 413, 15 s. ead. v., ubi legas: *Ξύλα τετράγωνα ἦν, ἀπὸ τοῦ ἐδάφους μέχρι τοῦ ὀρόφου διήκοντα, καὶ διά τινος περόνης στρεφόμενα, ἐφ' ὧν οἱ Σόλωνος νόμοι ἀνεγράφοντο* (*ἀνεγράφησαν*). Vide porro Etymol. M. v. *Κύρβεις* p. 547, 53, Gudian. p. 355, 38, Harpocr. v. *Ἄξων*, Hesych. v. *Κύρβις*. Adducit etiam Plutarchus, Aristotelium testimonium confirmaturus, hos binos versus e *Νόμοις* Cratini:

> πρὸς τοῦ Σόλωνος καὶ Δράκοντος οἷσι νῦν
> φρύγουσιν ἤδη τὰς κάχρυς τοῖς κύρβεσιν·

quibus videtur voluisse et nomini κύρβεις aliquam auctoritatem addere et probare, quod iam sensit Wes-

termannus, *ligneas* fuisse tabulas. Utique non dubitabat testibus illis locupletissimis unice fidem habere, aspernatus turbam grammaticorum, quos significans deinceps: *Ἔνιοι δέ φασιν ἰδίως*, inquit, *ἐν οἷς ἱερὰ καὶ θυσίας περιέχονται κύρβεις, ἄξονας δὲ τοὺς ἄλλους ὠνομάσθαι.* A quo Plutarchi judicio cur posteriore aetate recessum sit, prorsus me fugit. Apertum enim est *κύρβεις* inde *ἄξονας* vocari coeptos, quod reapse *axibus ligneis*, ut interpretatur Gellius N. A. II. 12, inscriptae essent leges Solonis. Quodsi res dubia et confugiendum erat ad grammaticos et scholiastas, quidni auxilium petitum a scholiasta Demosthenis c. Aristocr. p. 630 Reisk., quem Suidas v. *Ἄξονες* descripsit? Disertis enim verbis testatur ille: *Ἄξονας ἐκάλεσαν Ἀθηναῖοι τοὺς Σόλωνος νόμους διὰ τὸ ἐγγραφῆναι ἐν ξυλίνοις ἄξοσιν· ἦσαν δὲ τετράγωνοι τὸ σχῆμα*, quibus similia legas in scholiis Orat. I. in Steph. p. 129 atque in Anecd. Bekk. I. p. 204, 3, p. 413, 15.

Esse scio inter scriptores antiquos, qui de re sacra dicentes *κύρβεις* commemorent, vel de civili lege agentes nomine *ἄξονες* utantur; id vero factum esse, a vetustioribus saltem, propter *discrimen* utriusque vocabuli, crediderint grammatici licet, doctiores sibi visi quo argutius differentias vocabulorum excogitabant, nos non credimus. Alia ex causa usus ille repetatur oportet, ea potissimum, quam supra tangebam, sed iam explicabo, ut appareat *ἀξόνων* nomini longe recentiori antiquum idemque germanum *κύρβεων* paulatim cessisse. Illo primus, quod sciam, — nam de Anaximene memoravi in praecedentibus — Demosthenes utitur l. l. in verbis *ὡς ἐν τῷ ἄξονι εἴρηται.* Quodsi *primus* dico, probe sum memor quam mul-

torum, qui ante Demosthenem floruere, scripta nobis interierint, sed reputo simul ipsa illa verba afferri *sola* ab Harpocratione v. *Ἄξονι*, qui adeo vetustioris sive oratoris sive scriptoris testimonium alterum ignoravisse videtur. Ceterum, si recte memini, *ἄξονας* unice illi vocant leges Solonis, qui Alexandrino aevo vel post haec tempora vixere, ut Diogenes Laërt. I. 45, Lucianus Eunuch. X, Ammonius v. *Οἰκότριψ* p. 101 Valck. aliique grammatici bene multi, quorum etiam qui de legibus Solonis commentarios ediderunt, scripserunt *περὶ τῶν ἀξόνων τοῦ Σόλωνος*, Seleucus dico (Phot. p. 344, 11 et Suid. v. *Ὀργεῶνες*), Asclepiades (cf. Lehrs Anall. gramm. in edit. Herod. p. 446), cuius laudantur *ἀξόνων ἐξηγητικὰ* (Etymol. Gud. l. l.), Didymus in *ἀντιγραφῇ πρὸς Ἀσκληπιάδην* (Plutarch. l. l. I init.), et plures fortasse [1]. Quibus ipsis titulis, quod velut in transitu observare liceat, omne *κύρβεων* et *ἀξόνων* discrimen taciti negarunt, nisi cui videantur de legibus Solonis exponentes tantummodo *civilium* legum rationem habuisse; quae sane opinio parum probabilis est. Ut igitur ante Demosthenem non constat quemquam meminisse *ἄξονας*, ita vox *κύρβις* tam priscae est aetatis, quod Prellerus Polem. fragm. p. 91 recte animadvertit, ut olim non constaret de genere; qua de re laudat ille in Add. et Corrig. Boissonadum

---

1) Aristotelem quoque *περὶ τῶν Σόλωνος ἀξόνων* quinque scripsisse libros refertur in Vita eius ante Menagium *ἀνεκδότῳ*. Illi vero commentarii, a Gellio II. 12 fortasse indicati, quum praetermittantur a Diogene Laërtio, dubitari merito solet an ab Aristotele sint profecti, eo certe quo laudantur titulo. Sed fac profectos esse, magis etiam comprobabit Aristoteles, quod volumus, commentitium esse *κύρβεων* et *ἀξόνων* discrimen.

ad Psell. de Daem. p. 301 et affert opportune locum Helladii, servatum a Photio Bibl. p. 532 b 8. Bekk. Quod vero Helladius contendit: τὸ Κυρβεις οἱ μὲν Ἀττικοὶ ἀῤῥενικῶς ἐκφωνοῦσι, Καλλίμαχος δὲ οὐδετέρως, id ita vere retulit, ut θηλυκῶς etiam κύρβεις dicantur, v. c. ab Aristophane Avv. 1354 atque, ne plane missos faciam seriores, a Demostrato ap. Aelian. de nat. anim. XV. 9. Cf. Jungerm. ad Polluc. VIII. 128. Iam Cratinus ita vocat leges Solonis. Necnisi patriarum legum quum argumentum cogitaverit, tum verum expressit nomen Aristophanes, ubi l. l. iocose *antiquam* avium legem de parentibus alendis scriptam ait ἐν ταῖς τῶν πελαργῶν κύρβεσιν. Hic certe ἄξοσιν exspectaveris. Sed quam male procedat ratio grammaticorum, hinc etiam colligitur, quod quas res illi ad κύρβεις referunt, τὰ περὶ ἱερὰ καὶ θυσίας, de iis praeceptum in ἄξοσι tradunt Plutarchus l. l. XXIII, Stephanus Byz. v. Ἀγνοῦς et Anecd. Bekk. v. Γενέσια I. p. 86, 20. Illuc redeo. Post Aristophanem utuntur vocabulo κύρβεων Lysias c. Nicom. p. 852—855 Reisk. et Plato Politic. p. 298 D, quorum hic: Γράψαντας, inquit, ἐν κύρβεσί τισι καὶ στήλαις κτέ., ille: Χρὴ θύειν τὰς θυσίας τὰς ἐκ τῶν κύρβεων καὶ τῶν στηλῶν. En locos, e quibus procul dubio grammatici haud parum praesidii sibi comparaverunt ad sententiam suam tuendam, ut inde fluxisse videntur quae similia leguntur apud scriptores serioris aevi, Themistium Orat. XXX et Eusebium Vit. Const. init., laudatos a Kochio ad Tim. Lex. p. 25. At talia vereor ut pugnent reapse pro effato grammaticorum. Quidni enim κύρβεις de Solonis legibus accipiamus, στήλας dici leges putemus post Solonem latas? Aristotelem uno κύρβεων

nomine usum esse supra vidimus. Necnisi de κύρβεσι loquuntur in fragmentis mox laudandis Theophrastus et Phanias, ita tamen ut in antiquitatem et originem vocis inquirerent. Coeperat enim iam hac aetate, quod confirmat quodammodo locus ex Demosthene petitus, vox illa ita in desuetudinem abire, ut vulgi ore non amplius ferretur, sed doctioribus nota, a Peripateticis in primis tractata, tandem velut praeda fieret grammaticorum, quorum alii aliorum quum interpretationes corrigere studerent auxere plerumque commenta. Remansit vero κύρβεσι generalis quaedam notio πινάκων et στηλῶν, quo spectant Apollonius Rhod. IV. 280, Cometas atque Agathias Anthol. Graec. XV. 36, IV. 3. 83, 4. 1. Eodem pertinet proverbium Κύρβεις κακῶν (Zenob. IV. 77), quocum conferri potest locus Aristophaneus Nubb. 447.

Satis superque ostendisse mihi videor probatissimum quemque veterum scriptorum omne κύρβεων et ἀξόνων discrimen vel negare vel ignorare. Cur Plutarchi nullam rationem habuerim, Vit. Num. XXII ἱερὰς βίβλους Numae cum Graecorum legislatorum κύρβεσι conferentis, vix necesse est ut exponam. Etenim Plutarchus ea quum scriberet si non gessit morem grammaticis, de sacris legibus referens vocabulum κύρβεις ideo praetulit, quod antiquius esset adeoque solennius sanctiusque; edoctus saltem vera erat ab Aristotele. Hoc unum mihi restat, ut diligentius persequar singulas grammaticorum opiniones. Qua in re si temporis ordinem observabo, optime simul ostendam, quomodo sensim oriri malum, augeri et inveterascere coeperit.

Primi citandi mihi sunt testes Eresii Theophrastus et Phanias, quippe qui primi originem vocis interpre-

tati hallucinationibus grammaticorum velut viam straverint inviti. Scripsit certe ille in libro περὶ εὐγενείας esse κύρβεις τῶν Κρήτηθεν Κορυβαντικῶν ἱερῶν οἷον ἀντιγραφά τινα πρὸς ἀλήθειαν, ut ait Porphyrius de abstin. II. 21 ex emendatione Ruhnk. Hist. crit. p. LXXXVIII. Cff. Schol. Aristoph. Avv. l. l., Photius v. Κύρβεις et Tzetzes Chil. XII. 356 sq., ubi adhuc Θεόπομπος legitur. Phanias vero, cuius sententiam meminerat ἐν ἀξόνων ἐξηγητικοῖς Asclepiades, κύρβεις repetiit ἀπὸ Κύρβεως τοῦ τὰς θυσίας ὁρίσαντος (διορίσαντος). Vide Etymol. M. et Gudianum s. v., quae testimonia post Ruhnkenium ad Tim. p. 170 tetigit Dittrich in Schneidew. Philol. I. p. 227. Adde Anecd. Cramer. I. p. 221, 7, II. p. 455, 17. Adeo his temporibus exercebat eruditorum ingenia nomen iam visum antiquius, sed ita tamen ut de discrimine inter κύρβεις et ἄξονας etiam aetate Eratosthenis et Polemonis ne cogitavisse quidem videantur, disceptatione et disputatione de figura κύρβεων contenti. Quum enim statueret Eratosthenes κύρβεις appellari καὶ τοὺς ἄξονας καλουμένους Ἀθήνησιν, ἐν οἷς οἱ νόμοι περιέχονται (Schol. Apollon. et Aristoph. Nubb.), idem τριγώνους eos dicebat (Etymol. et Anecd. Cramer. l. l.). Quae res in aliis multis causa fuit, cur Eratosthenem vituperaret in ἀντιγραφῇ Polemo, multo magis idoneus iudex, ut qui vetustissima illa monumenta suis ipse oculis Athenis inspexisset. Οἱ Σόλωνος νόμοι ἐν ξυλίνοις ἦσαν ἄξοσι γεγραμμένοι. — ἦσαν δὲ, ὥς φησι Πολέμων ἐν τοῖς πρὸς Ἐρατοσθένην, τετράγωνοι τὸ σχῆμα· διασώζονται δὲ ἐν τῷ πρυτανείῳ, γεγραμμένοι κατὰ πάντα τὰ μέρη· ποιοῦσι δ' ἐνίοτε φαντασίαν τρίγωνον, ὅταν ἐπὶ τὸ στενὸν κλιθῶσι τῆς γωνίας. Quem locum Harpocrationis (v.

ἄξονι) apposui totum, ut manifestum esset ideo vituperatum esse Eratosthenem, quod falsa tradidisset de forma κύρβεων, non "quod κύρβεις et ἄξονας uno eodemque loco habuisset", sicut censet Prellerus p. 88: nam alteros ab alteris non magis distinxit Polemo quam Eratosthenes [1], qui tamen auctor fuit ut, quos postea iuvabat eiusmodi controversias litesque componere, ii κύρβεσι triangularem, quadrangularem formam ἄξοσι darent. Mox vero mutata omnia et similis quidem κύρβεων et ἀξόνων forma credi coepta est, sed argumentum diversum; quo plurimum contulere Theophrasti Phaniaeque etymologiae. Ita enim dissensit ab Eratosthene praeceptore Aristophanes Byzantius, ut utrosque τετραγώνους esse statueret, sed ἄξοσι contineri quae ad ius civile, κύρβεσι quae ad sacrum pertinerent. Φησὶν Ἀριστοφάνης (leguntur haec in Etymol. et Anecd. Cramer. l. l.) ὁμοίας εἶναι τοῖς ἄξοσι, πλὴν ὅτι οἱ μὲν ἄξονες νόμους, οἱ δὲ κύρβεις θυσίας ἔχουσι. ἀμφοτέρων δὲ τὸ κατασκεύασμα τοιοῦτον. πλινθίον τι μέγα ἀνδρόμηκες, ἡρμοσμένα ἔχον ξύλα τετράγωνα, τὰς πλευρὰς πλατείας ἔχοντα καὶ γραμμάτων πλήρεις, ἑκατέρωθεν δὲ κνώδακας, ὥστε κινεῖσθαι καὶ περιστρέφεσθαι ὑπὸ τῶν ἀναγινωσκόντων. Tandem Apollodorus in libris περὶ θεῶν (quem fortasse hac etiam in re Euphorion refutare studuit) κύρβεις assimilavit στήλαις, λιθίνους fuisse ratus. De illius igitur sententia κύρβεις continuere τοὺς νόμους vel, ut alibi legitur, πᾶσαν δημοσίαν γραφὴν καὶ νόμους, quum essent λίθοι ὀρθοὶ ἑστῶτες, οὓς ἀπὸ μὲν τῆς στάσεως στήλας, ἀπὸ δὲ τῆς εἰς ὕψος ἀνατάσεως διὰ τὸ κεκορυφῶσθαι κύρβεις ἐκάλουν, ὥσπερ καὶ κυρβασίαν τὴν

---

[1]) Utrumque etiam Muellerus observavit l. l

ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τεθειμένην. Excerpta haec invenias apud Harpocrationem v. *Κύρβεις*, cum quo conferendi sunt Scholiastes Apollon. ceterique loci ab Heynio collecti p. 1058 sqq. Induxit aperte Apollodorum etymologia vocis, sed mos etiam serioris aetatis, quo leges inscribi στήλαις solebant. Ceterum omnino difficile est e scholiastis et grammaticis sententiam Apollodori plane accurateque cognoscere, velut ubi concludunt iidem, quod ex praecedentibus quidem neutiquam sequitur: *Κύρβεις οὖν ἡ περιέχουσα τὰς ἱ ε ρ ὰ ς γραφὰς στήλη*, quamquam res ipsa haud ita mirum videtur reputanti in primis, Apollodorum in τοῖς περὶ θεῶν de κύρβεσιν egisse. Accedit aliud argumentum, suppeditatum a scholiasta Apollonii, quo tamen loco non tam Apollodori causa utor quam Aristotelis, cui plane aliud obtruditur ac sensit scripsitque. *Κύρβεις — κατ' ἐνίους ἄξονες τρίγωνοι, ἐν οἷς ἦσαν οἱ τῶν πόλεων* (l. *τῆς πόλεως*) *νόμοι γεγραμμένοι καὶ αἱ δημόσιαι ἱεροποιΐαι, καθάπερ καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ τῶν Ἀθηναίων Πολιτείᾳ φησὶ καὶ Ἀπολλόδωρος.* In unum contraxit Scholiastes quae legerat seorsum. E verbis Aristotelis: *Ἀναγράψαντες δὲ τοὺς νόμους εἰς τοὺς κύρβεις* orta sunt: (*κύρβεις*) *ἐν οἷς ἦσαν οἱ τῆς πόλεως νόμοι γεγραμμένοι*, ut *αἱ δημόσιαι ἱεροποιΐαι* ad Apollodorum pertineant.

Sed manum de tabula, ut aiunt. Iam cuivis erit manifestum, unde fluxerint singulae vocabulorum κύρβεις et ἄξονες interpretationes, quas lexica antiqua et scholia exhibent. Neque hoc praeterierit quemquam, utrumque quidem nomen observari apud Alexandrinos, sed non constare ante Aristophanem Byzantium habitos esse ἄξονας a κύρβεσι diversos. Plerosque grammaticorum locos vel adscripsi vel certe indicavi; re-

liquos ut silentio praetermittam facile a me impetro, quorum cautissimus Scholiastes Platonis l. l. (p. 100 ed. Bekk.) interpretatus fictum κύρβεων et ἀξόνων discrimen: *Τινὲς δὲ*, inquit, *ἀδιάφορα ταῦτά φασιν*. Omnium commenta suo scilicet more diligenter conglutinavit Tzetzes l. l. 349 sqq. Pollucem ideo paulisper morabor, quod quum et τριγώνους κύρβεις et τετραγώνους ἄξονας *aeneos* fuisse tradat (VIII. 128), a Prellero p. 91 huius rei tanquam culpa defertur in Theophrastum. Ex Theophrastea maxime etymologia male intellecta repetendum esse quod tandem de χαλκοῖς κύρβεσι nonnulli somniaverint, crediderim lubenter; sed ipsum Theophrastum, qui haud dubie monumenta illa Athenis viderat, κύρβεις finxisse ex aere factos, id quidem fidem omnem exsuperat. Denique non pluris quam grammatici testimonium Demostrati facio, ἁλιευτικῶν scriptoris, cui placuit spinam τρίγωνον marini cuiusdam piscis κύρβεων figurae assimilare (Aelian. l. l.). Vixit enim illo Romae sub Imperatoribus (ib. 19), et iudicavit adeo ex iis quae fando audiverat vel legerat apud grammaticos.

m. Sext. a. 1849.

ANNOTATIONES

DE HISTORICIS GRAECIS.

SCRIPSIT

J. G. HULLEMAN.

I.

Ad verba Hesiodi (Opp. 810) *Εἰνὰς δ' ἡ μέσση* haec legitur explicatio Procli: *Τὴν ἐννεακαιδεκάτην, ὡς καὶ τὴν ὀκτωκαιδεκάτην, τὰ πάτρια τῶν Ἀθηναίων καθαρμοῖς ἀποδίδωσι καὶ ἀποτροπαῖς, ὡς Φιλόχορος λέγει καὶ ἀμφότερος ἐξηγηταὶ τῶν πατρίων ἄνδρες.* A Philochoro id relatum putant in commentario *Περὶ ἡμερῶν*, quae sententia eo fortasse magis probanda est, quod ipse Proclus l. l. 770 eundem librum commemorat; quamquam potuerunt illa etiam in commentario *Περὶ θυσιῶν* narrari, quem meminit Scholiastes Apollon. Rhod. I. 173. Sed hoc quidem minoris esse momenti videtur quaerenti, quod nomen lateat in corrupto vocabulo *ἀμφότερος*. Facile atque in promptu est corrigere *Ἀμφοτερὸς*, sed neque *Atheniensem* Amphoterum novimus neque *scriptorem*. Lenzius Philoch. fragm. p. 95, nomen alterius exegetae excidisse ratus, ...*ἀμφότεροι* scripsit, eiusque exemplum secutus est Muellerus Hist. Graec. fragm. I. p. 414. Qua coniectura parum proficimus. Mihi *Ammonii* nomen restituendum videtur, qui praeter librum *Περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρίδων* (Athen. XIII. p. 576 A) alios-

que scripsit *Περὶ βωμῶν καὶ θυσιῶν*, quem pleniorem operis titulum suppeditat Harpocration v. *Ἀμαζόνιον*. Cf. id. v. *Θόλος*, v. *Ἐσχάρα*, Ammonius de diff. vocab. v. *Βωμὸς* p. 32, Athenaeus XI. p. 476 F. Argumentum igitur si spectas, causa nulla est cur ex eodem fonte hausisse Proclus videri nequeat. Patriam autem si quaeris, Atticum civem fuisse Ammonium a grammatico Ammonio discas, qui l. l. *ὁμώνυμον* sibi scriptorem *Λαμπτρέα* vocat. *Λαμπτραὶ* enim *δῆμος τῆς Ἐρεχθηΐδος*. *Alexandrinum* dixit Gesnerus, quod Vossius (H. G. p. 383 Westerm.) quum negaret recte factum, auxit simul iniuria numerum scriptorum, de quorum aetate nihil constat: nam vix dubium est quin Lamptrensis Ammonius is fuerit Aristarchi discipulus, cuius plura scripta laudantur in scholiis Homericis, quique ita fuit Aristarcheus, ut praeceptori in schola successerit. Vid. Schol. Iliad. κ. 397. Atque sic haberi poterat Ammonius *θέσει μὲν*, ut dicitur, *Alexandrinus*, *φύσει δὲ Atheniensis*. Simile quid Aristarchus passus est aliique bene multi. Illuc redeo. Alterum *ἐξηγητὴν τῶν πατρίων* quum Proclus laudaverit Ammonium, tum scripsit: — *ὡς Φιλόχ. λέγει καὶ Ἀμμώνιος, ἀμφότεροι ἐξηγηταὶ τῶν πατρίων ἄνδρες.*

II.

Qui in Stephani Epitome saepissime laudatur *Καρικῶν* auctor Apollonius, eum Suidas docet *Aphrodisiensem* fuisse, quo loco etiam *Περὶ Τραλλέων* atque *Περὶ Ὀρφέως καὶ τῶν τελετῶν αὐτοῦ* scripsisse traditur. Cf. Eudoc. s. v. p. 50. Quod eidem *Κνίδου κτίσιν* (Steph. v. *Ψυκτήριος*) tribuit Westermannus ad Voss. p. 397 n. 88, in eo falsus est: nam ut aliae com-

plures, ita illa *κτίσις Rhodium* Apollonium auctorem habuit; quod iam Vossius existimavit (l. l. p. 138). Qui porro locum Stephani v. *Κοχλιοῦσα* inspexerit, Alexandri Polyhistoris commentarios *Περὶ Λυκίας* laudatos leget, non Apollonii Aphrodisiensis, qui alter est Westermanni error. Huius vero Apollonii fuisse librum *Περὶ τῶν ἑορτῶν* credo, commemoratum ab Harpocratione v. *Πέλανος* et *Πυανέψια*, ubi testes citantur Apollonius *καὶ σχεδὸν πάντες οἱ περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑορτῶν γεγραφότες*. Eodem refer quae leguntur v. *Χαλκεῖα*, apud Photium v. *Ὑδροφορία* atque in Scholiis Aristoph. Nubb. 408. Corruptum enim suspicor gentile nomen *Ἀχαρνεὺς*, quod in duos Harpocrationis locos (v. *Πέλ.* et *Χαλκ.*) irrepsit et in scholion Aristophaneum, ubi Dindorfius: "*ὁ Ἀχαρνεὺς*, inquit, suspectum est, et ex nomine simili corruptum videtur, qualia sunt *ὁ Ἀταρνεὺς* vel *ὁ Τυανεύς*." Sed hac medela malum non tollitur. *Ἀχαρνεὺς*, me quidem iudice, depravatum est e nomine *Ἀρχιερεύς*· si est, Aphrodisiensis Apollonius *Περὶ τῶν ἑορτῶν* scripsit. Namque hic et fuit *Ἀρχιερεὺς* (Suid. l. l.) et vulgo ita est appellatus. Refert saltem Stephanus v. *Λητοῦς πόλις· τὸ ἐθνικὸν Λητοπολίτης. οὕτω γὰρ Πολύστρατος καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Ἀρχιερεὺς λεγόμενος ἀναγράφει*, quod verbum restituit pro *ἀναγράφεται* ibidem Meinekius, non passus *Letopolitam* morari amplius inter Apollonios. Quin pariter expellemus *Acharnensem*? Sane *Περὶ ἑορτῶν* scribere neque *Ἀρχιερεῖ* indignum neque eo qui sacra Orphei erat interpretatus. Illius operis quod Suidas mentionem nullam iniecit, id quidem nemini scrupulum faciet: nam vel e loco Stephani efficitur plura ab Apollonio *Ἀρχιερεῖ* edita esse quam Suidas fere negligentior commemorat.

III.

Quam varie a librariis depravatum, a viris doctis tentatum fuerit *Ariaethi Tegeatae* nomen, docet Westermannus l. l. p. 399 n. 98, quae nec repetere opus est nec novis exemplis augere. Unum tamen locum, qui fugit Westermanni diligentiam et dubito an a quoquam emendatus sit, in fragmentis Ariaethi Ἀρκαδικῶν desiderari amplius nolo. Legitur in scholiis Hom. Iliad. γ. 175: Ὁ δὲ Δίαιθος Ἑλένης καὶ Μενελάου ἱστορεῖ παῖδα Μοραίφιον, ἀφ᾽ οὗ τὸ τῶν Μοραφίων γένος ἐν Πέρσαις. Ut hic pro Ἀρίαιθος Δίαιθος, ita paulo superius Δίαιθος scribitur.

IV.

Propter Plinium H. N. VI. 35, ubi antea *Dallon* legebatur, parvulus locus inter historicos concedi solet *Dalioni*, qui Vossio "de gentibus prodidisse aliqua" videbatur. Plinius: "Ab ea parte Nili, inquit, quae supra Syrtes maiores oceanumque meridianum protenditur, *Dalion* vocatos esse dicit pluvia tantum aqua utentes Cisoros, Longoporos." Sed praeter hunc locum a Vossio allatum alter ibidem legitur huiuscemodi: "Simili modo et de mensura eius (Aethiopiae) varia prodidere: primus *Dalion*, ultra Meroën longe subvectus. Mox Aristocreon et Bion et Basilis: Simonides minor etiam, quinquennio in Meroë moratus, cum de Aethiopia scriberet." Unde intelligitur satis antiquum laudari scriptorem, utique diversum a *medico* Dalione, si quis fuit, cuius mentio est in Indicibus Plinianis XX sqq., *herbarii* dicti XX. 73. Qui vero cum locis modo laudatis conferet quae scribit Plinius VII. 2, vel hic *Dalionis* vel illic

Damonis nomen reponendum putabit. "Haud dissimile iis genus Pharnacum in Aethiopia prodidit *Damon*, quorum sudor tabem contactis corporibus afferat." Certum est utrobique eiusdem scriptoris commentarium, *Αἰθιοπικὰ* fortasse inscriptum, significari. Equidem ut in *Damonis* partes abeam facit primum alterius nominis insolentia, quod haud scio an usquam reperiatur, si Elidis fluvium exceperis; deinde quod Damonis commentarium *Περὶ Βυζαντίου* laudat Athenaeus X. p. 442 C atque ex hoc Aelianus V. H. III. 14. Neque abhorret a probabilitate eundem esse, qui a Diogene Laërt. I. 40 dicitur Damon *Cyrenaeus*, *γεγραφὼς περὶ φιλοσόφων*. Utcunque vero hoc est, tu mecum deme Graecis historicis *Dalionem*, si demere medicis herbarium nolis. Unde Plinii error repetendus sit, facile coniicitur. Sive enim alios scriptores secutus fuerit sive excerptis usus, hausit e Graecis, scriptumque *ΔΑΛΙΩΝ* vel *ΔΑΛΛΩΝ* reperit legitve pro *ΔΑΜΩΝ*, de quarum literarum permutatione cf. Bastii Comment. Palaeogr. p. 723 sq. ibique Schaefer.

V.

Laudat Plutarchus Vit. Thes. XX, ubi agit de Ariadne a Theseo relicta *Hereαm Megarensem*, usus eiusdem Hereae testimonio in narratione de Alyco ab ipso Theseo interfecto ad Aphidnas, l. l. XXXII. Cf. ibid. X. Etiam Vit. Sol. X Hereas adducitur testis, quippe qui doceat Megarenses ita sepelire mortuos, ut ad occidentem cadavera sint conversa, tribus quatuorve in eodem sepulcro compositis. Haec consentaneum est tradita fuisse in opere de rebus Megarensium, in *Μεγαρικοῖς*. In auctorem vero inquirens nihil est ex

quo de Herea certior fias: quantum enim scio equidem, neque ipse neque eiusdem nominis alter usquam commemoratur, etsi reperitur nonnunquam Ἡρᾶς. Haec cogitanti nata mihi suspicio est num forte in Codicibus Plutarchi abierit Ἡραγόρας primum in Ἡραίας, tum in Ἡρέας, ut v. c. ex nomine Ἀνδρωτίων Ἄνδρων factum est atque universe terminationum compendiis saepissime corrupta sunt nomina. Laudatur *Heragoras*, qui Vossio p. 446 est *Hegesagoras*, in scholiis Apollon. Rhod. I. 212, ubi *Hesagoras* male scripsit Wellauerus, qui peius etiam legendum coniecit *Isagoras*. Illud probant luculente quae similiter sunt composita, Διαγόρας, Ἀθηναγόρας. Quid, quod genuinam lectionem servavit Codex Paris. et, quae Scholiastam de more descripsit, Eudocia p. 440? Heragoras igitur, ut ad hunc tandem veniam, itidem scripsit Μεγαρικὰ, in quibus Boream, qui Orithyiam rapuit, dixit non ventum, sed Strymonis fuisse filium. Fieri profecto potuit, ut et *Hereas* esset et *Heragoras*, Megarenses ambo, ambo Μεγαρικῶν scriptores; sed maiore cum probabilitate hanc nominum similitudinem compendiis librariorum tribuens unum *Heragoram* ad historicos retuleris.

VI.

Qui meminerit apud Scholiastam Apollon. Rhod. II. 297 pro *Timosthene* vitiose *Demosthenem* ἐν τοῖς λίμεσι laudari, qui sciat ante Wellauerum, a quo ex Codice Paris. vera lectio revocata est, ibidem 532 eodem prorsus modo lectum fuisse Δημοσθένης pro Τιμοσθένης, ei facillime persuadebo earundem literarum eandem permutationem factam esse in scholiis laudatis I. 224.

Quaeritur hoc loco quid Peliam moverit, ut filium proficisci cum Iasone sineret, quamvis periculi haud esset ignarus; respondetur autem testimonio *Demageti*. Me si audis, *Timagetus* testis citatur, quem in scholiis illis quatuor locis laudatum reperio, quorum qui est IV. 284 proxime ad Argonautas pertinet et Timagetum ante Apollonii aetatem vixisse ostendit. *Οὐδεὶς ἱστορεῖ*, ait Scholiastes, *διὰ τούτου (τοῦ Ἴστρου) τοὺς Ἀργοναύτας εἰσπεπλευκέναι εἰς τὴν ἡμετέραν θάλασσαν, ἔξω Τιμαγήτου, ᾧ ἠκολούθησεν Ἀπολλώνιος.* Scriptum hoc fuit in libro *Περὶ λιμένων*, commemorato I. I. 306 et 324, significato II. 1032. Quae omnia spectant res Iasonis cum ipsius tum sociorum; unde efficias licet Timagetum, quum absolveret *de portubus*, diligenter persecutum esse historiam Argonautarum. In tanta igitur convenientia et nominum utriusque scriptoris et argumenti excerptorum, vix dubium quin *Τιμάγητος* sit qui appellatur *Δημάγητος*. Prorsus idem sentio de loco Stephani v. *Ἀκτή: Ἔστι καὶ ἑτέρα Ἀκαρνανίας, ἧς μέμνηται Δημάγητος.* Haec enim *Ἀκτὴ* commemorari in Timageti *Περὶ λιμένων* libro omnino potuit.

VII.

Non defuere qui *Dectadam*, laudatum in historia de Harpalyce Argiva a Parthenio XIII, e numero scriptorum eximendum censerent, mihique iure ac merito ita censuisse videntur; sed vereor ut mali quod agnoverunt indicaverint remedium. Galeo pro *Δεκτάδας* legere placuit *Λευχίδας*, cuius scriptoris *Μεγαρικὰ* complures meminerunt, atque illi suffragati sunt Passovius et Meinekius Anal. Alex. p. 56. Si qua posset gravior adduci causa, cur ad Dieuchidam confugiendum sit, au-

daciore Galei mutatione forsitan acquiescerem; nunc cur acquiescam non video. Paulo minus recedit a literarum ductu coniectura Bastii *'Αθανάδας*, cuius *'Αμβρακικὰ* laudat Antoninus Liberalis c. IV, litem enarrans de Ambracia actam inter Apollinem, Dianam et Herculem. Ceterum de hoc Athanada nihil quidquam novimus. Haud sane me praeterit quanto sit saepe facilius cernere falsum quam verum substituere, neque hoc in nomine *Δεκτάδας* me assecutum auguror; sed quod mihi videtur, id proponam. *'Αρετάδας* legendum puto, ex cuius *Νησιωτικῶν* libro II refertur in Parall. Min. XXVII historia Endeïdis, quae mater fuit Aiaci Telamonio. Vocatur ibidem *Cnidius*, quo commendatur forma *'Αρετάδας* prae vulgari *'Αρετάδης*. Narrat porro eiusdem libelli scriptor c. XI ex Aretadae Cnidii *τρίτῳ Μακεδονικῶν*, filium Darii quum post proelium ad Granicum patrem prodere Alexandro vellet a patre ipso interfectum esse. Denique in libello de fluv. XII. 2 e *Φρυγιακοῖς* Aretadae (scribitur *'Αρετάζης*) quaedam afferuntur de *αὐτογλύφῳ* lapide, reperiri in Gargaride solito. In huiuscemodi scriptorem haud scio an male cadant quae *Dectadae* debere Parthenius fingitur, neque literarum ratione habita inest in ipsa mutatione audacia. Quodsi de aetate Aretadae ambigis, aliqua tibi lux affulget e scholiis Hom. Iliad. *ω*. 110, quo loco traditur Aretades legere maluisse *προτιάπτειν* quam, quod Zenodotus et Aristarchus legebant, *προϊάπτειν*, idemque sensisse dicuntur Apollodorus, Neoteles et Dionysius Thrax. Scribitur illic *'Αρητάδης*, sed hoc utique falsum est et vel in *'Αρητιάδης* mutandum vel in *'Αρετάδης*, quarum lectionum utram praeferam declaro satis, quum grammaticum Aretadam pro eodem ha-

bere me dicam atque historicum, quem adeo cum Apollodoro et Dionysio, fortasse etiam cum Neotele, ad Aristarcheos referam. De Aretada, scriptore commentarii *Περὶ συνεμπτώσεως*, quem laudat Porphyrius (ap. Euseb. Praep. Euang. X. 3.), nihil quod afferam habeo. Illum vero cur a nostro diversum existimemus?

VIII.

Ἀντεσίων (Vossio *Autesion* est p. 407) in scholiis Pindari Olymp. I. 37 Pelopem, quem Pindarus *Lydum* dixit, *Paphlagona* Ister, vocat *Ἀχαιὸν ἀπ' Ὠλένου πόλεως* [1]. Quidquid anquiro, haudquaquam mihi contingit ut apud alium scriptorem in idem nomen incidam [2]. Donec invenero, *Ἀρτέμων* legam. Sexies in iisdem scholiis *Artemon* commemoratur, sed tacita semper commentarii quem edidit inscriptione. Tantum ad Isthm. II, quod carmen *Ξενοκράτει Ἀκραγαντίνῳ* inscribitur, dicuntur alii Xenocratem habuisse pro fratre Theronis, contra Artémon, *σφόδρα τὰ περὶ τοὺς Σικελιώτας πεπολυπραγμονηκώς, αὐτὸν μόνον συγγενῆ φησιν εἶναι Θήρωνος*, e quibus minime sequitur *Σικελικῶν* titulo illum librum prodiisse. Quidquid scripsit Artemon, non tantum Siculorum rebus explicandis multam operam dedit, sed plurima illustravit in Pindari carminibus obvia, quod patet in primis e scholio Olymp. II. 16, ubi hunc ipsum versum diligenter studet interpretari, sed de sententia Menecratis inepte explicat.

---

[1]) Quae adduntur: ἧς καὶ Ὅμηρος μνημονεύει· καὶ Ὤλενον. ἠδὲ Πυλήνην, is error tam crassus est, ut fere malim Scholiastae illum tribuere. Homerus enim Iliad. β. 639 aperte non *Achaiae*, sed *Aetoliae* Olenum significat. — [2]) Westermannus laudat etiam scholion Olymp. IX. 15, sed nihil ibi scriptum reperio.

Vide etiam ad Pyth. III. 48, quo loco laudes Pindari praedicat; Olymp. V. 1, ubi a Pindaro spectari Arethusam ait; Pyth. I. 1, ubi: *Γέγραπται μὲν ὁ ἐπινίκιος Ἱέρωνι, λέγεται δὲ ὁ Πίνδαρος οὕτως ἐπιβεβλῆσθαι, κατὰ Ἀρτέμωνα τὸν ἱστορικὸν, ὅτι δὴ αὐτῷ ὁ Ἱέρων χρυσῆν ὑπέσχετο κιθάραν·* ne afferam quae leguntur ibid. 31 de Typhone monte, repetita a Tzetza ad Lycophr. 177 p. 454 Muell. Quae omnia reputanti vix quidquam dubii residere possit, quin quae ad Pindarum interpretandum *Antesion* contulisse fertur, ea contulerit *Artemon*.

Plures Artemones ad historicos referuntur. In locis laudatis nemo erit qui non continuo agnoscat grammaticum, rerum quidem mythicarum et historiae admodum studiosum, sed ita ut secundas partes illae agere videantur, non primas. Atque hoc nomine appellare Artemonem nostrum cum aliis plurimis *ἱστορικὸν* licet, ut appellatur in scholiis Olymp. V. 1 et Pyth. II. 31, unde quum hauserit sua Tzetzes, hunc testem non citabo; sed aliquanto pluris fortasse nec contemnendum est, quod idem p. 455 Artemonem cum Apollodoro, Alexandro Polyhistore aliisque annumerat scriptoribus, qui fabulas interpretari allegorice nesciant. Rem ipsam non curo, sed comparationem haud ita male institutam puto, praesertim cum Polyhistore. Quid enim? Vide mihi num simile scribendi consilium secuti ex eadem schola ambo profecti sint. Crateteus fuit Alexander; Artemon a Scholiasta Pind. Olymp. II. 16 *ὁ ἀπὸ Περγάμου* dicitur eiusque interpretatio Aristarcheae opponitur. Egregium aetatis indicium, si vere coniiciam. *Ληρεῖν Ἀρτέμωνα* Menecrates contendit. Quis Menecrates ille? *Ὁ ἱστορίαν περὶ Νικαίας τῆς ἐν Βιθυνίᾳ πόλεως ἐκδεδωκὼς*

respondebit ex Plutarcho Vit. Thes. XXVI, qui cum Scholiasta Isthm. IV. 104 contulerit Tzetzam l. l. 662, quamvis dubitet Muellerus Hist. Graec. fragm. II. p. 345. Quid, si Aristarcheus idem fuit? Intelliges melius, cur nugari ipsi Artemon visus fuerit. En habes dicentem Strabonem (XIV. p. 650) *Nysaeum* Menecratem, patrem Aristodemi, audivisse Aristarchum. Sic simul Nicaeae historico Nysam patriam invenias, quo jam Vossius inclinabat. Vid. H. G. p. 181. Artemon vero si *ἀπὸ Περγάμου* fuit (non *Περγαμηνός*, ut inepte interpretatur Scholiastam Tzetzes), quam habuerit patriam difficilis est divinatio. *Cassandrensis* Artemon — qui idem in libro *Περὶ ἑρμηνείας* ed. Fischer p. 125 dici videtur *τὰς Ἀριστοτέλους ἀναγράψαι ἐπιστολὰς* (cf. Stahr Aristot. I. p. 206) — praeterquam *Περὶ Διονυσιακοῦ συστήματος* (Athen. XIV. p. 636 E, 637 B-F), scripsisse fertur *Περὶ βιβλίων χρήσεως* (ibid. XV. p. 694 A) et *Περὶ συναγωγῆς βιβλίων* (ibid. XII. p. 515 D. E); qua de re post Creuzerum Hist. Graec. fragm. p. 142 in primis consulendus est Welckerus Kl. Schr. I. p. 433. In his *Περὶ συναγωγῆς* commentariis Dionysium Mytilenaeum sive Scytobrachiona, quem ut altero a. Ch. saeculo Alexandriae docuisse statuamus vel per Suetonium licet (de ill. gr. VII), falsarium dixit, ut qui Xanthi Lydi nomine *Λυδιακὰ* edidisset; quod testimonium egregie illustravit probavitque l. l. Welckerus. Atque hoc fraudis ab Alexandrino commissae indicium mihi quidem magis etiam persuadet, ut Cassandrensem Artemonem eundem fuisse atque *τὸν ἀπὸ Περγάμου* credam.

m. Sept. a. 1849.

ANIMADVERSIONES.

EDIDIT

J. A. C. VAN HEUSDE.

I.

Quum aliud agens Petrarcae Epistolas percurrebam, accidit ut in locum inciderem, mihi novum, literis Latinis non inutilem. Namque in *Invect. contra Medic.* p. 1106 haec verba leguntur: "Belligerantes Deos invicem Homerus et Virgilius fecerunt; *propter quod Athenis Homerum pro insano habitum, Cornelius Nepos refert.*" In Nepotis fragmentis frustrà haec verba quaerimus, atque incertum, unde ea petierit Petrarca. De Homero autem Nepotem in Chronicorum suorum l. I egisse, testis est Gellius XVII. 21. 3: "De Homero et Hesiodo inter omnes fere scriptores constitit — utrumque ante Romam conditam vixisse — ut Cornelius Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter centum et sexaginta."

II.

Plat. Gorg. p. 453 C. *ὥσπερ ἂν εἰ ἐτύγχανόν σε ἐρωτῶν τίς ἐστι τῶν ζωγράφων Ζεῦξις, εἴ μοι εἶπες, ὅτι ὁ τὰ ζῶα γράφων, ἆρ᾽ οὐκ ἂν δικαίως σε ἠρόμην, ὁ τὰ ποῖα τῶν ζώων γράφων καὶ ποῦ;* — Correctione opus esse, plurimi vi-

derunt, neque tamen repererunt. Proponam, quae STALLBAUM notavit, quo melius intelligatur, quid displiceat in hoc loco et quamobrem. "Molestiam facessit istud *καὶ ποῦ*· quod tamen etiam *Scholiast. Cod. Clark.* legit, qui adscripsit haec: *ἐν τῇ ποικίλῃ στοᾷ*. Nam de loco, ubi Zeuxis pingeret, profecto quaeri nunc non potest. HEINDORFIUS igitur *πόσου* legendum conjecit, comparans illa Apol. Soc. p. 20 B. *τίς καὶ ποδαπὸς καὶ πόσου διδάσκει;* sed nec hoc cum universa hac disputatione congruit. Quid enim ad rem nunc commemoratam interest, ut quis *pretium* sciat, quod Zeuxis pro tabulis a se pictis exigebat? Itaque aliam rationem iniit CORAËS, qui ita scribit: *οἶμαι,* inquit, *γεγράφθαι πάλαι τοῦ, τουτέστι, τίνος υἱός ἐστιν ὁ ζωγράφος Ζεῦξις.* Sed fateor nec hoc mihi satisfacere, utpote disputationis consilio non satis accommodatum. Manifestum est autem, duplicem hanc quaestionem respondere superioribus illis: *τίνα ποτὲ λέγεις τὴν πειθὼ τὴν ἀπὸ τῆς ῥητορικῆς καὶ περὶ τίνων αὐτὴν εἶναι;* Itaque posteriori membro per chiasmum respondent haec: *τὰ ποῖα τῶν ζώων γράφων* priori autem illi: *τίνα ποτὲ λέγεις τὴν πειθώ,* quod apte respondeat, nihil adest. Nam istud *ποῦ* quam absurdum sit, vel caeco patuerit. Quodsi igitur orationis formam ad similitudinem superiorum verborum componamus, ita fere dicendum sit: *περὶ τίνων ἡ γραφὴ αὐτοῦ ἐστι, καὶ τίνα αὐτὴν εἶναι λέγεις;* Nihil igitur verius esse potest, quam quod ROUTHIUS jam a FICINO repertum suspicatus est, *πῶς*; quamquam id non intellexit interpres, qui satis mire converterit: *quo pacto.* Eadem quaestio mox p. 454 A iteratur sic: *δικαίως, ὥσπερ περὶ τοῦ ζωγράφου, μετὰ τοῦτο ἐπανεροίμεθ' ἂν τὸν λέγοντα, ποίας δὴ πειθοῦς καὶ τῆς περὶ τί πειθοῦς ἡ ῥητορική ἐστι τέχνη;*

quibus verbis rationem nostram magis etiam confirmari judicamus." VICTOR COUSIN in Plat. vers. t. III p. 201 *ποῦ* significare existimavit: *qua in materia* (in linteo an in lapide)? AST *ποῦ* dictum voluit pro *περὶ τίνων; quatenus?* VÖMEL (Ztsch. f. Alt. 1849 n. 16 p. 123) negans corrigi posse *πόσα*, quum ne *numerus* quidem tabularum a Zeuxide pictarum respici potuerit, *πῇ* unice verum habuit, explicans: *utro consilio* pinxit eas, ut publice ostenderet an in privatorum hominum usum? Quod quamvis ingeniose excogitatum esse fateamur, tamen multo simplicior emendandi loci ratio placet. Nam scribendum censeo: *ὁ τὰ ποῖα τῶν ζώων γράφων καὶ ποῖα οὔ;* Neque aliter re vera a Platone scriptum fuisse, docent proxima: *ἆρα διὰ τοῦτο, ὅτι καὶ ἄλλοι εἰσὶ ζωγράφοι, γράφοντες ἄλλα πολλὰ ζῶα;* ubi Socrates pro accurata sua disputandi ratione sine dubio *ἄλλοθι* addidisset, si *ποῦ* vera lectio esset. Sponte autem patet vitium ortum esse e scriptura: *π. ου.*

III.

PLAT. Gorg. p. 455 E. Mentio hoc loco fit *murorum*, quibus Athenae cum Piraeeo conjunctae fuerunt. Quae res magnam interpretibus difficultatem attulit. Proponemus veterum locos, comparabimus et dijudicabimus.

THUC. I. 107, 1: *ἤρξαντο κατὰ τοὺς χρόνους τούτους* (ante a. 457) *τὰ μακρὰ τείχη ἐς θάλασσαν Ἀθηναῖοι οἰκοδομεῖν, τό τε Φαληρόνδε καὶ τὸ εἰς Πειραιᾶ.*

Id. I. 108, 3: *τὰ τείχη τὰ ἑαυτῶν τὰ μακρὰ ἐπετέλεσαν* (post a. 456).

Id. II. 13, 7: *τοῦ Φαληρικοῦ τείχους στάδιοι ἦσαν πέντε καὶ τριάκοντα πρὸς τὸν κύκλον τοῦ ἄστεος, καὶ αὐτοῦ τοῦ κύκλου τὸ φυλασσόμενον τρεῖς καὶ τεσσαράκοντα· ἔστι δὲ*

αὐτοῦ ὃ καὶ ἀφύλακτον ἦν, τὸ μεταξὺ τοῦ τε μακροῦ καὶ τοῦ Φαληρικοῦ· τὰ δὲ μακρὰ τείχη πρὸς τὸν Πειραιᾶ τεσσαράκοντα σταδίων, ὧν τὸ ἔξωθεν ἐτηρεῖτο· καὶ τοῦ Πειραιῶς ξὺν Μουνυχίᾳ ἑξήκοντα μὲν σταδίων ὁ ἅπας περίβολος, τὸ δὲ ἐν φυλακῇ ὂν ἥμισυ τούτου. (a. 431.)

PLAT. Gorg. l. l. *Περικλέους δὲ καὶ αὐτὸς* (Socr.) *ἤκουον, ὅτε συνεβούλευεν ἡμῖν περὶ τοῦ διὰ μέσου τείχους.*

SCHOL. ad h. l. *Διὰ μέσου τεῖχος λέγει ὃ καὶ ἄχρι νῦν ἔστιν ἐν Ἑλλάδι· ἐν τῇ Μουνυχίᾳ γὰρ ἐποίησε καὶ τὸ μέσον τεῖχος, τὸ μὲν βάλλον ἐπὶ τὸν Πειραιᾶ, τὸ δὲ ἐπὶ Φάληρα, ἵν', εἰ τὸ ἓν καταβληθῇ, τὸ ἄλλο ὑπηρετοίη ἄχρι πολλοῦ.*

PLUT. Per. c. 13, 31: *τὸ μακρὸν τεῖχος, περὶ οὗ Σωκράτης ἀκοῦσαί φησιν αὐτὸς εἰσηγουμένου γνώμην Περικλέους, ἠργολάβησε Καλλικράτης. Κωμῳδεῖ δὲ τὸ ἔργον Κρατῖνος ὡς βραδέως περαινόμενον —.*

Id. de glor. Ath. p. 351 A. *καίτοι καὶ τοῦτον* (Pericl.) *ὡς βραδέως ἀνύοντα τοῖς ἔργοις ἐπισκώπτων Κρατῖνος, οὕτω πως λέγει περὶ τοῦ διὰ μέσου τείχους —.*

Id. Cim. c. 13, 44: *λέγεται δὲ καὶ τῶν μακρῶν τειχῶν, ἃ σκέλη καλοῦσι, συντελεσθῆναι μὲν ὕστερον τὴν οἰκοδομίαν, τὴν δὲ πρώτην θεμελίωσιν, εἰς τόπους ἑλώδεις καὶ διαβρόχους τῶν ἔργων ἐμπεσόντων, ἐρεισθῆναι διὰ Κίμωνος ἀσφαλῶς.*

HARPOCR. p. 127: *Διὰ μέσου τείχους· Ἀντιφῶν πρὸς Νικοκλέα· τριῶν ὄντων τειχῶν ἐν τῇ Ἀττικῇ, ὡς καὶ Ἀριστοφάνης φησὶν ἐν Τριφάλητι, τοῦ τε βορείου καὶ τοῦ νοτίου καὶ τοῦ Φαληρικοῦ, διὰ μέσου τούτων ἐλέγετο τὸ νότιον, ου μνημονεύει καὶ Πλάτων ἐν Γοργίᾳ.*

Primum videtur a se ipso dissentire Thucydides, gravissimus historicus. Qui postquam *τὰ μακρὰ τείχη* eos muros esse dixit, quorum alter Phalerum, Piraeeum alter cum urbe conjungeret, mox, tanquam oblitus eo-

rum quae supra dixerat, eosdem muros memorans, utrumque ab urbe ad Piraeeum pertinuisse statuit, Phalericum vero tanquam tertium murum ab illis diversum habet. Accedit, quod, quum duo essent longi muri, inconsiderate τὸ μακρὸν τεῖχος posuit, non addens, utrum τὸ βόρειον an τὸ νότιον intelligendum esset. Sed mirae hujus negligentiae causam patefaciamus. Initio exstructi fuerunt duo muri, τὰ μακρὰ τείχη, utrumque portum, Piraeeum et Phalerum, cum urbe conjungentes. Longi dicti sunt, quippe soli, quum nondum esset tertius murus alterutro longior. Tertius accessit, auctore Pericle, facilem et tutum commeatum ex Piraeeo Atheniensibus praebiturus. Jam Thucydides nos docet, tertium hunc murum aequasse alterius muri Piraici, primo libro a se memorati, longitudinem; his vero binis Piraicis, quadraginta stadia longis, Phalericus brevior erat quinque stadiis. Itaque non mirandum si, post novi, intermedii, muri constructionem, et propter longitudinis aequalitatem et propter vicinitatem inde ab eo tempore *Piraici muri* τὰ μακρὰ τείχη s. σκέλη dici coeperint, missâ in posterum antiquiore veteres muros ita appellandi consuetudine. Quid? quod HAACKE docuit, ex imperfecto ἦσαν (Thuc. II. 13, 7) patere, historicum destructis demum a Lacedaemoniis muris longis haec scripsisse. Dicendus igitur nobis erit Thucydides in scribendo *morem sui temporis* secutus esse et pro mutato more in rerum notatione variasse. Quod si fecit, alterum attingamus, quamobrem μακρὸν τεῖχος posuerit, quum duo muri essent. Mihi quidem dubium non est, quin tam parum accurate non potuerit scribere Thucydides. Aut fallor, aut excidit vocabulum ἑτέρου. Itaque corrigendum: τὸ μεταξὺ τοῦ τε

ἑτέρου μακροῦ καὶ τοῦ Φαληρικοῦ. Quam facile excidere potuerit, inter τε et μακροῦ positum, unusquisque videt. Atque ita, quod maximum, salva nobis Thucydidis et fides et cura. — Neque hujus tantum, sed etiam Platonis, Plutarchi et Harpocrationis sententiae recte se habent. Patet enim, τὸ μακρὸν τεῖχος, quod Plutarchus in vit. Pericl. memorat, eundem murum esse atque eum, quem idem altero de Gl. Athen. loco τὸ διὰ μέσου τεῖχος appellavit; μακρὸν autem appellavit ex more illo posteriore, de quo diximus. Quod autem idem τὸ διὰ μέσου et νότιον diceretur, factum propterea, quod, si de alterutro murorum Piraicorum mentio facienda erat, necessario addi debebat, qua parte coelum spectaret; sin de australi tantum, licebat aut solius βορείου, aut hujus et Phalerici muri rationem habere. Ceterum non, ut Piraici muri, antiquiores muri longi, post a. 456 absoluti, βόρειον et νότιον appellati fuisse eo ipso tempore videntur, verum, quoties distinctione opus erat, dicebatur τὸ εἰς Πειραιᾶ, aut τὸ Φαληρόνδε, ut Thucydides indicat; et his ipsis antiquioribus muris nomen fuisse σκέλη, commune cum utroque Piraico, Plutarchus in vita Cimonis et Lysandri c. 14 diserte significat. — Tandem quid Scholiastae verbis faciendum sit, videamus. Saepe factum novimus, ut scholia brevia diversorum interpretum uni cuidam scholiastae tribuerentur; quod tamen hoc loco non accidisse censeo. Gravior hic est error, conflatis quippe diversarum rerum explicationibus. Nam ad Gorgiae locum pertinet scholium: διὰ μέσου τεῖχος λέγει ὃ καὶ ἄχρι νῦν ἔστιν ἐν Ἑλλάδι· reliqua vero nulla ex parte eum attingunt. Scholiastes duo, quae distinguenda erant, posuit, τὸ διὰ μέσου τεῖχος et τὸ μέσον τεῖχος. Itaque necesse est ut *quartus* hic intelligatur murus, in Munychia exstructus,

ab altera parte Piraeeum, Phalerum ab altera attingens, et ob hunc situm ipsum recte *medius* appellatus[1]. Quod quum non satis attendisset Wyttenbachius, levius quippe inspectis Scholiastae verbis, accidit ut ad Plut. Mor. p. 349 existimaret, *tertium* murum (τὸ διὰ μέσου τεῖχος) non Piraeeum cum urbe Athenarum, sed Piraeeum cum Phalero conjunxisse. Quaeritur autem, utrum *quarti* illius muri, tres portus conjungentis, exstructionem Scholiastes Pericli an alii, cujus nomen exciderit, tribuerit. Ceterum conferantur, quae de muris longis viri docti disputaverunt, in Plut. Cim. ed. A. EKKER. Traj. 1843 p. 120 sq., 164.

IV.

PLAT. Gorg. p. 470 E. *Πῶλ. Τί δαί; συγγενόμενος ἂν γνοίης, ἄλλως δὲ αὐτόθεν οὐ γιγνώσκεις, ὅτι εὐδαιμονεῖ;* — Perspicuum est, non recte multos interpretes hujus loci sensum et vim cepisse. AST in Lex. Plat. vocabulum *αὐτόθεν* vertit *inde* et referri putat ad vv. *ἄρχοντα Μακεδονίας.* Satis obscure. STALLBAUM: "non est *per te ipse*, ut interpretatur HEINDORFIUS, sed *ex ipsa re, non ex ejus persona.* Cf. Phileb. p. 53 B." ROUTH vertit *αὐτόθεν illico.* Sed CICERONEM potius interpretem audiamus Tusc. V. 12: *Ain' tu? an tu* ALITER *id scire non potes?* Patet,

---

[1]) Non satis attendens Scholiastae verba, ubi memoratum legimus τὸ μέσον τεῖχος, et tantum cogitans notiores tres muros, qui ipsas Athenas cum portubus conjungebant, FORCHHAMMER prorsus incertus baeret, quid verbis illis faciendum sit; itaque ne sic quidem ejus sententiam probari posse ait, ubi pro ἐν τῇ Μουνυχίᾳ legeris ἐπὶ τὴν Μουνυχίαν (Topogr. von Athen. Kiel 1841 p. 8. not. 10). Nos, ne immerito injuriam inferremus Scholiastae, incogniti scriptoris locum illustranti, rem verisimillima ratione explicare studuimus.

eum non vertisse αὐτόθεν· quod non animadvertens FINDEISEN, ἄλλως αὐτόθεν vertendum censuit *alio quam hoc modo, aliter*. Sensit et expressit vocabuli vim VICTOR COUSIN, p. 252 vertens: *et tu ne peux connaître d'ici même, par une autre voie, s'il est heureux?* Agitur de eo ipso, ubi jam sunt, loco. Praecesserat: Ἀρχέλαον δήπου τοῦτον τὸν Περδίκκου ὁ ρ ᾷ ς ἄρχοντα Μακεδονίας; Haec interroganti Polo respondet Socrates, se *audire* saltem, sed nescire an felix sit ille, siquidem nunquam cum eo collocutus sit. Tum admirabundus Polus: Ain' tu, nisi collocutus cum eo non scias, nullaque alia ratione *ex hoc ipso loco* cognoscere potes, felicem eum esse?

V.

PLAT. Gorg. p. 482 E. Ἐκ ταύτης γὰρ αὖ τῆς ὁμολογίας αὐτὸς ὑπὸ σοῦ συμποδισθεὶς ἐν τοῖς λόγοις ἐπεστομίσθη, αἰσχυνθεὶς, ἃ ἐνόει, εἰπεῖν. — STALLB. vertit: *a te irretitus in sermone eo redactus est, ut non haberet quod tibi opponeret.* Recte, si sententiam, languide, si verba spectas. Quid OLYMPIODORUS? σ υ μ π ο δ ι σ θ ε ί ς· ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀλόγων ζώων, τῶν συμποδιζομένων ἐπὶ τὸ σφαγῆναι. Praeterea ἐπιστομίζειν est *equi os freno compescere.* Jam supra p. 463 E dictum fuerat: Πῶλος δὲ ὅδε νέος ἐστὶ καὶ ὀξύς· ubi SCHLEIERMACHER non sine causa ad significationem vocabuli πῶλος alludi existimavit. Majore jure, lusisse Calliclem altero, quem posuimus, loco, dicamus, ubi Polum ad incitas a Socrate redactum comparat cum *pullo* ligatis pedibus et ore compresso. Desideramus hujus spectaculi festivitatem etiam in COUSINI versione p. 292: *c'est pour t'avoir passé ce point, qu'il s'est embarrassé dans la dispute, et que tu lui as fermé la bouche.*

VI.

Plat. Gorg. p. 499 B: *καθομολογῶν* p. 500 E: *διομολόγησαι.* — Ast in Lex. Plat. utrumque verbum vertit *concedere. Καθομολογεῖν* hoc tantum loco apud Platonem invenitur, *διομολογεῖσθαι* saepissime. Conferentibus autem utrumque Gorgiae locum patet, exquisitum utriusque verbi usum esse. Priore enim loco Callicles dicit, se *ad singula* deinceps, quae rogaverat Socrates, consensisse ei; posteriore vero poscit Socrates, ut Callicles sibi *universa* concedat, quae ipsi cum Gorgia et Polo convenerant.

VII.

Plut. Per. 3, 26. *Ὁ δ' Εὔπολις ἐν τοῖς Δήμοις πυνθανόμενος περὶ ἑκάστου τῶν ἀναβεβηκότων ἐξ ᾅδου δημαγωγῶν, ὡς ὁ Περικλῆς ὠνομάσθη τελευταῖος· ὅ, τι περ κεφάλαιον τῶν κάτωθεν ἤγαγες;* — Satis mire ipse poëta dicitur quaesivisse de iis, qui ex inferis redierant; Plutarchus enim paulo infra c. 4, 13 rectius: *ὁ γοῦν Πλάτων καὶ πυνθανόμενον αὐτοῦ τινα πεποίηκεν οὕτω,* ubi Plato comicus alium quaerentem facit, non ipse quaerit. Pariter c. 24, 50: *πεποίηκεν Εὔπολις ἐν Δήμοις αὐτὸν μὲν* (Periclem) *οὕτως ἐρωτῶντα.* Sed quamvis inusitatius dictum videatur, tamen nulla de vitio suspicio est; ac ferri etiam potest *ἐν τοῖς Δήμοις* pro *ἐν Δήμοις·* quae quamvis vulgaris et melior forma sit, altera tamen apud Pollucem et Harpocrationem invenitur, neque Athenaeo incognita fuit. — Verum hic ipse locus aliud nos docet, quod alicujus momenti ad rationem fabulae Eupolideae cognoscendam esse videatur. Quaeritur enim, quis ille sit, quem Eupolis de singulis a Mercurio ex orco evo-

catis principibus (Solone, Miltiade, Aristide et Pericle) interrogantem fecerit. RASPE de Eupol. *Δήμ.* ac *Πόλ.* p. 2 et 48 Choro has interrogandi partes tribuit; G. HERMANN vero in Opusc. V. p. 290 sq. Myronidi easdem vindicat. At haec quidem sententia probari nullo modo potest; qua enim ratione fieri posse putemus, ut Myronides, senex fere octogenarius, ipsius Periclis aequalis, incertus haeserit, quis ille esset qui postremus ex inferis reduceretur, et Mercurium interrogaverit? Nonne potius statim, conspecto *capitone* illo, ex ipsa capitis forma, communem modum excedente ipsique haud ignota, constare Myronidi debuit, Periclem, non alium esse? Chorus igitur, non Myronides, hoc admirabundus quaerere potuit, sed chorus, *ephebis* constans, non viris, non senibus. Talem fuisse eum jam suspicatus eram in *Epist. ad C. Fr. Hermann de C. Lucilio* p. 49 (ubi nescio quomodo, contra quam volueram, legitur: *si duodecim φυλαῖς viginti quatuor φράτορας fuisse constaret*, quod ineptum est. Corrigendum in Graecis: *φρατρίαις — φρατριάρχους*). Sed suspicionem illius temporis, ob ipsam, ut ibi ostendi, fragmentorum rationem non sane absurdam, hic Plutarchi locus magnopere commendat. Ephebi enim, duodeviginti annos nati, in curialium albo inscribi solebant; Eupolidis autem fabulam statim post Siculam expeditionem a. 412 scriptam et actam fuisse, ita probabiliter disputavit Raspe, ut, quid opponi ejus sententiae recte possit, non videam. Jam eo anno septemdecim anni elapsi erant, ex quo Pericles mortem occubuerat. Quidquid igitur de Pericle noverant ephebi illi, qui chorum efficiebant, famâ acceperant, quippe ipsum virum celebratissimum non cognoverant, non viderant. Fac

chorum e *senibus* aut *viris* compositum fuisse, quorum alterum HERMANN, alterum MEINEKE existimavit, non poterit quin satis inconsiderate et inepte fecisse poëta comicus videatur, qui quaerentes et obstupescentes induxerit eos, quibus immodicum Periclis caput memoriâ excidere non potuerat.

VIII.

JUVENALIS Sat. I, 113 sqq.

— etsi funesta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Ut colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus,
Quaeque salutato crepitat Concordia nido.

Multi in postremo versu explicando interpretes et sudarunt et haeserunt ante quam C. HEINRICH emendare eum conjectura conatus est: *Cuique salutato crepitat crotalistria nido.* Scholiastes ad: *concordia nido*: "ciconia, quae contra templum Concordiae ex consilio rostri sonitum fecit. Templum Concordiae vetus, in quo multa cicónia est." Salmas. ad Tertull. de Pall. p. 237 legit *ex concilio*, explicans: *ex compositione rostri;* Heinrich ed. Juven. I. p. 336 legit *ex collisione rostri*, vel *collisu.* Angel. Politianus Misc. c. 67: "pro comperto jam habetur, *ciconiam* esse, qua Concordiae repraesentaretur apud priscos effigies, atque ita versiculum Juvenalis omnes interpretantur. Ego *cornicem* magis accipio, ductus Heliani (Aeliani) Graeci de animalibus l. III testimonio —. In numismatis aureis duobus Faustinae Augustae manifestam prorsus imagunculam nuper mihi Laurentius Medices ostendit cum titulo ipso Concordiae." Eadem Heinrich, qui quum Pietatis numen, cujus ciconia signum est, significari hoc versu sibi persuasum haberet, videretque, *ciconia*, quod

in uno Cod. legitur, metro adversari, Publii Syri apud Petron. c. 55 jocum, *ciconiam crotalistriam* festive appellantis, Juvenali vindicavit, explicans: "et Pietas, in cujus honorem ciconia crepitat, quoties in nidum, pullos salutatum, redit." Atque haec una fuit hucusque tolerabilis interpretatio, quamvis medicina aliquanto audacior sit. Equidem mihi persuadere non potui, vitio laborare versum, sed respexisse mihi videtur poëta prodigium quoddam, cujus memoriam nobis servavit Suetonius. Hic enim vit. Domit. 23: "ante paucos, quam occideretur (Domitianus), menses cornix in Capitolio elocuta est: ἔσται πάντα καλῶς. Nec defuit qui ostentum sic interpretaretur:

Nuper Tarpeio quae sedit culmine cornix
Est bene non potuit dicere; dixit, *erit*."

Constat autem, in arce Capitolina Concordiae templum fuisse (Becker Röm. Alterth. I. p. 409). Itaque haud immerito suspicabimur, in illius templi fastigio consedisse cornicem, aut saltem Juvenalem id finxisse. Res autem ipsa Romae increbuit et poëtarum jocis manavit latius. Nec defuit tam egregiae opportunitati Juvenalis, ejusdem rei memoriam servare cupiens. Jam duplex erit explicandi versus ratio: prior, ut dicatur cornix post diuturnum exsilium a. 96 p. Ch., moribundo Domitiano, rediisse et salutato in Concordiae templo nido elocuta esse: *concordia*. Movet tamen aliquid difficultatis, quod *crepitare* vix dici potuisse videtur pro vulgari *crepare;* major etiam difficultas in eo est, quod, quum praecessissent alia numina, necessario Concordia, non cornix memorari debebat. Itaque sic potius explicandum erit: "et Concordia, cujus templum crepitat, quum cornix, ab exsilio redux, nidum salutaverit."

OBSERVATIONES ET CONIECTURAE

IN NONNULLOS GRAECORUM SCRIPTORUM LOCOS.

SCRIPSIT

I. M. VAN GENT.

I. Hom. Il. 12, 299 sqq. de Sarpedone:

βῆ ῥ' ἴμεν, ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, ὅστ' ἐπιδευὴς
δηρὸν ἔῃ κρειῶν, κέλεται δέ τε θυμὸς ἀγήνωρ
μήλων πειρήσοντα καὶ ἐς πυκινὸν δόμον ἐλθεῖν·
εἴπερ γάρ χ' εὕρῃσι παρ' αὐτόφι βώτορας ἄνδρας
σὺν κυσὶ καὶ δούρεσσι φυλάσσοντας περὶ μῆλα
οὔ ῥά τ' ἀπείρητος μέμονε σταθμοῖο δίεσθαι,
ἀλλ' ὅγ' ἄρ' ἢ ἥρπαξε μετάλμενος, ἠὲ καὶ αὐτὸς
ἔβλητ' ἐν πρώτοισι θοῆς ἀπὸ χειρὸς ἄκοντι.

Versu 305 requiritur obiectum referendum ad verbum ἥρπαξε, quod simpliciter positum significaret *animo s. indole rapaci esse.* Facili negotio obiectum revocaris et rem restitueris. Totus enim versus sic refingendus:

ἀλλ' ὅγε FAPN' HPΠAΞ' EΠIFάλμενος, κτἑ.

Coniunctio ἢ non repetita legitur Il. 10, 442; 13, 666; 20, 172; Od. 9, 273; 18, 339. Simili modo vo-

cab. *FAPN'* turbas fecit Il. 3, 119, ubi pro ἠδ' ἄρν' ἐκέλευεν omnino reponendum Fιδὲ Fάρν' ἐ.

II. Hom. Il. 19, 282—302. Βρισηΐς — κήδε' ἑκάστη. Frustra docti laborarunt nec quidquam intentatum reliquerunt in expediendo et emendando loco, nullo modo ad Homericae linguae normam redigendo, sed recentiorem fabricam arguente. Ita iam quodammodo suspicatus esse videtur Heynius, temere reluctante Spitznero. Nobis quidem persuasissimum est, locum totum quantum a rhapsodo quopiam consarcinatum esse bonoque Homero assutum; ita quidem ut post lectum v. 281 e luce in tenebras venire, post autem v. 302 in lucem redire legentes videamur. Quae autem certa ad litem dirimendam argumenta et indicia reperisse nobis videmur, haec sunt.

Iam statim Homericam linguam callentibus officiunt ἔπειτ' ἰκέλη; quibus Bentleius substituendum censet ἔπειτα δέμας Fικέλη. Frustra: vulnus insanabile est et verba ita ab interpolationis auctore sunt profecta. Nam antiquorum, sed ab Alexandrinis leviter immutatorum, facilis medicina est. Deinde (v. 286) correptio ante mutam et liquidam κλ in Πάτροκλε recentior est Homero, qui constanter penultimam producit. Vid. Il. 16 passim. Porro v. 288 hiat oratio: σε ἔλειπον. Simili modo legitur supra v. 93 ἄρα ἥγε, quae eidem fortasse auctori debentur. V. 292 pellem ovillam lupo plane detrahit vocabulum εἶδον, quod valde recens est. Homerica sunt: ἔFιδον aut Fίδον, correpta semper litera ι. V. 294 κηδείους nusquam utitur Homerus. Ibid. locutio ὀλέθριον ἦμαρ, non nisi hoc libro obvia (vid. infra v. 409), ab Homerica consuetudine abhorret; μόρσιμον ἦμαρ de morte dicitur. (vid. Il. 15, 613; 21,

100.) V. 302 *πρόφασιν*, si significationem spectes, *ἅπαξ εἰρημένον* (conf. supra v. 262). Quibus accedunt, eodem versu: *κήδε' ἑκάστη*, ubi legendum proponit Bentleius *κήδε' ἅπασαι*. Homericum enim est *Fέκαστος*. Vid. Il. 1, 606 et 607; conf. supra v. 277. Ubi vero *ἕκαστος* non fert literam *F*, ii loci recentioris aetatis sunt aut corrupti. At vero totam rem conficit v. 303 pronomen *αὐτόν*, referendum sine dubio ad Achillem; quod tamen satis importune sequitur post v. 302, ita ut Patroclum scilicet nec vero Achillem spectare videatur. Quodsi vero, eiectis intercedentibus 21 versibus, versus 303 statim legatur post v. 281, ubi mentio iniicitur donorum Achilli allatorum eiusque tentorii et equorum: more Homero perquam frequentato, rectissime infertur pronomen *αὐτός*: ita ut ipse Achilles donis suis, uti et tentorio et equis, commode opponatur. Conf. Il. 2, 466; Od. 9, 167. — Ceterum nihil de anteriore Briseidis matrimonio usquam ab Homero traditur.

III. Euripid. Phoen. 971.

Μή μ' εὐλογείτω τἀμὰ τις κτείνων τέκνα.

I. e. ne quis me laudet liberos meos interficiens. Quae tamen vereor ut aptum sensum exhibeant et cum contiguis satis bene cohaereant. Immerito tamen versum spurium iudicaris; nam vel sic aliquid sani inde eliciatur necesse sit. Ipsius Euripidis verba sunt; sed describentis errore paullulum turbata. Legendum enim:

μή μ' εὐλογείτω τέκνα τις κτείνοντ' ἐμά,

ne quis me laudet liberos meos occidentem: i. e. ne quis mihi persuadere studeat, ut filium meum occidendum tradam neve eius facti laudator existat. *Εὐλογεῖν* nil aliud est nisi *laudare, excusare:* hinc Stoicorum *εὔλογος ἐξαγωγή*, si quis iustam causam nactus

sibimet ipse mortem consciscit. Neque aliter locum Euripidis accepisse videtur Scholiastes interpretans: *μὴ ἐπαινείτω καὶ φιλόψυχον λεγέτω, εἰ προείμην τὸν παῖδα.*— Ceterum tenendum Euripidem Tragoedias suas ante Archontem Euclidem scripta mandasse. Hinc corruptela *κτείνων τέκνα*, orta e *KTEINONTEMA*. Quodsi quis miretur sedem commutasse *ἐμά* et *τέκνα*, inspiciat velim Hesiod. Op. et D. 235; quem locum intactum reliquit Lennepius, ceterum de restituenda antiquissima Hesiodi lectione optime meritus. Nimirum auream aetatem describens poëta sic loquitur:

τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν (alii codd. *τοκεῦσιν*).

Antiqua haec sunt:

τίκτουσιν δὲ γονεῦσι (s. *τοκεῦσι*) *FεFοικότα τέκνα γυναῖκες.*

Sic eodem describentis peccato turbatum est in Xenoph. Hellen. VII. 4, 22, ubi pro *ἐβοήθει — εἷς δύο ἔχων, ὥσπερ ἐτύγχανεν ἄγων* recte G. H. Schaeferus, inverso participiorum ordine, edidit *εἷς δύο ἄγων — ἐτύγχανεν ἔχων*. Luculentum item exemplum exhibet Herodotus VII. 116, ubi pro *ἐπαίνεέ τε ὁρέων αὐτοὺς — καὶ τὸ ὄρυγμα ἀκούων* nos dudum correximus *ἐπ. τ. ἀκούων αὐτοὺς — κ. τ. ὀ. ὁρέων*. Vid. Symb. lit. Vol. VII. p. 153 sq.

IV. Thucyd. II. 4. *ἐμπείρους δὲ ἔχοντες τοὺς διώκοντας τοῦ μὴ ἐκφεύγειν.* Locus vulgo male aut non intellectus. Vidd. Poppo et Goeller ad h. l. Genitivus *τοῦ μ. ἐ.* pendet a verbo *διώκειν*, qui casus verbis prohibendi significationem habentibus, addita particula *μή*, fere iungitur. Itaque *διώκειν τοῦ μὴ ἐκφεύγειν* significat *prohibere*, *arcere*, *impedire fuga* vel *a fuga*. Egregie locum illustrat Homerus Od. 18, 8, ubi sic de Iro:

ὅς ῥ' ἐλθὼν Ὀδυσῆα διώκετο οἷο δόμοιο.

Frequentatur item oratoribus Atticis διώκειν τινὰ τῆς πόλεως, prohibere aliquem a republica tractanda (iemand van 't kussen houden). E Latinis sic Tacit. Ann. I. 39: "quem (Plancum) dignitas fuga impediverat." Cic. pro Muren. 19: "qui a delectatione omni negotiis impedimur". Conf. pro Balb. 20; Sallust. Iug. 30 (31); Plin. H. N. X. 63 extr. — Fuit aliquando, quum suspicarer pro *ΔΙΩΚΟΝΤΑΣ* legendum esse *ΚΩΛΥΟΝΤΑΣ*.

V. Xenoph. Anab. I. 8, 8. *Καὶ ἤδη τε ἦν μέσον ἡμέρας, καὶ οὔπω καταφανεῖς ἦσαν οἱ πολέμιοι· ἡνίκα δὲ δείλη ἐγίγνετο, ἐφάνη κονιορτὸς ὥσπερ νεφέλη λευκή· χρόνῳ δὲ συχνῷ ὕστερον ὥσπερ μελανία τις ἐν τῷ πεδίῳ ἐπὶ πολύ. Ὅτε δὲ ἐγγύτερον ἐγίγνοντο, τάχα δὴ καὶ χαλκός τις ἤστραπτε καὶ αἱ λόγχαι καὶ αἱ τάξεις καταφανεῖς ἐγίγνοντο.*

Mirum accidere debet in descriptione appropinquantis exercitus, ubi sensim sensimque distinctius singula, spectatorum oculis sese offerebant, tam falsam *κλίμακα* induci a scriptore. Primum enim, inquit, conspiciebatur *κονιορτὸς ὥσπερ νεφέλη λευκή·* tum, *χρόνῳ συχνῷ ὕστερον*, apparebat *μελανία τις*. Quum vero propius accessissent hostes, *χαλκός τις ἤστραπτε καὶ αἱ λόγχαι καὶ αἱ τάξεις καταφανεῖς ἐγίγνοντο.* Quum autem verbis *χαλκός κτἑ* nil aliud significetur, nisi micantis aeris (loricarum, galearum, scutorum et cuspidum hastarum) indicia conspecta esse, verba *αἱ λόγχαι* nil nisi languidam eiusdem rei repetitionem continent. Adde inepte iuncta *hastae* et *ordines*. Si legitur pro *ΑΙ ΛΟΓΧΑΙ*, levi sane mutatione, *ΟΙ ΛΟΧΟΙ*, in tuto res est veramque habemus gradationem.

VI. Xenoph. Ages. 1. 20. *Γιγνώσκων δ' ὅτι ἡ μὲν πορ-*

θουμένη καὶ ἐρημουμένη χώρα οὐκ ἂν δύναιτο πολὺν χρόνον στράτευμα φέρειν, ἡ δ' οἰκουμένη μὲν, σπειρομένη δὲ, αἔνναον ἂν τὴν τροφὴν παρέχοι, ἐπεμέλετο οὐ μόνον τοῦ βίᾳ χειροῦσθαι τοὺς ἐναντίους, ἀλλὰ καὶ τοῦ πρᾳότητι προσάγεσθαι.

Xenophon scripsit *ΤΡΕΦΕΙΝ*, ut intelligitur ex sqq.: ἀέννaον ἂν τὴν τροφὴν παρέχοι.

VII. Scholiasta Aristoph. Plut. 1139. *Ἀλλ' οὐκ ἐκφορά.* Ὡς ἐνίαις θυσίαις λεγομένου τούτου. Hemsterhusius hanc scholiastae mentem fuisse opinatur: quibusdam in sacris fuisse interdictum, ne quid foras exportaretur aut in alius, qui sacri particeps non esset, usum cederet. Quapropter locum manifesto mendo laboranti succurrendum censet legendo: ὡς ἐν ἐνίαις θυσίαις ἀπολεγομένου τούτου. Sed perf. partic. requiri suboluit ipsi celeberrimo viro addenti: "quod idem est aliquando atque ἀπειρημένου." In quibusdam sacris quidpiam exportare interdictum fuisse docte adstruit Hemsterhusius: quod nemo factum infitietur. Verum non illud est quod sibi vult scholiasta; hoc tantum indicare studet, Carionem uti vocabulo ἐκφορά, quasi de sacrificio, nec vero de epulo sermo sit. Itaque legendum: ὡς ἐν ταῖς θ. λ. τ. i. e. tanquam de sacrificio haec dicuntur a Carione. Nam ἐν ταῖς θυσίαις οὐκ ἦν ἐκφορά. (*ΕΝΙΑΙC = ΕΝΤΑΙC*).

Uti hoc scholiastae loco litera *Τ* mutanda est in *Ι*, sic contraria ratio ineunda est in emendando praeclaro Callisthenis fragm., servato a schol. Venet. ad Eurip. Hecub. 892: *Καλλισθένης ἐν δευτέρῳ τῶν Ἑλληνικῶν οὕτως γράφει· ἑάλω μὲν ἡ Τροία Θαργηλιῶνος μηνός, ὡς μέντοι τῶν ἱστορικῶν ν' ἱσταμένου· ὡς δὲ ὁ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα ποιήσας ὀγδόῃ φθίνοντος κτέ.* Ubi pro μέντοι corrigendum: μὲν ἔνιοι (μ̄ ἔνιοι).

EMENDATIONIS SPECIMEN

IN

XENOPHONTIS ANABASI, OECONOMICO ET SYMPOSIO.

SCRIPSIT

R. B. HIRSCHIG.

ANABASIS.

LIB. VII. CAP. I.

(Ed. Ster. Tauchnitii a. 1840.)

§ 3. *καὶ Ἀναξίβιος μετεπέμψατο τοὺς ϛρατηγοὺς καὶ λοχαγοὺς τῶν ϛρατιωτῶν εἰς Βυζάντιον, καὶ ὑπισχνεῖτο, εἰ διαβαῖεν, μισθοφορὰν ἔσεσθαι τοῖς ϛρατιώταις.*

Expunge *τῶν ϛρατιωτῶν*, quod miror ab omnibus editoribus receptum esse, cum optimus Codex Eton. id omittat, et mox sequatur *τοῖς ϛρατιώταις*: cui autem debeatur, non est quod iterum inculcem. Paullo inferius scribas in § 4 *δ' εἶπεν* et *ἔπειθ' οὕτως*, qua elisione semper utitur Isocrates, et deinde *θ' ἅμα* et *ἔγωγ' οὐκ* et sic porro, nisi malis retinere ex. gr. etiam *οὐκ οἷος*, *οὐχ ἠχθόμην*, qualia ad haec adtendens, saepius in Isocratis editione Bekkeriana deprehendi. Hujusmodi autem faciliora posthac in textum recipienda curabo, nulla mentione eorum facta in annotationibus. Neque

adtinet ruminari quae nuper in Annott. Critt. libello p. 87 sqq. de hoc orthographiae loco disputavi. Iis autem nunc haec addenda habeo. Jam ubique Atticis reddere audeo, quamquam non occurrunt quod sciam apud Isocratem ex. gr. ὦδ', ἅμ', πένθ', τἀπιτήδεια, hac utens argumentatione quae observatione palaeographica nititur. Quod enim librarii in reliquorum Atticorum codicibus fecerunt de illis, de quibus constat ex Isocrate, idem prorsus de his fecerunt scribentes nunc, retenta crasi aut elisione, tam illa ἀφ' ἵππου, ἔπειτ' οὐδὲ, κἀμοὶ alia, quam haec ὦδ' οὖν, ἅμ' οὖν, τἀπιτήδεια, nunc vero neglecta, tam illa ἀπὸ ἵππου, ἔπειτα οὐδὲ, καὶ ἐμοὶ, quam haec ὧδε οὖν, ἅμα οὖν, τὰ ἐπιτήδεια. Commune igitur fatum cum utraque habuerint, ad communem eandemque normam et illa et haec et reliqua his similia corrigenda sunt.

§ 7. ἐκ τούτου διαβαίνουσι πάντες εἰς τὸ Βυζάντιον οἱ στρατιῶται. καὶ μισθὸν μὲν οὐκ ἐδίδου ὁ Ἀναξίβιος, ἐκήρυξε δὲ λαβόντας τὰ ὅπλα καὶ τὰ σκεύη τοὺς στρατιώτας ἐξιέναι ὡς ἀποπέμψων θ' ἅμα καὶ ἀριθμὸν ποιήσων.

Iidem in his deprehenduntur interpolatores. Semel enim ferri potest οἱ στρατιῶται, sed his aut ter — posses enim post ἐδίδου etiam adscribere τοῖς στρατιώταις — ferri nequit. Si enim in his, multo magis in § 11 ὁ δ' ἐκέλευσεν — ἐξιέναι τὴν ταχίστην συνεσκευασμένους desideraretur τοὺς στρατιώτας additum: quod ex longinquo hic petendum et cogitatione explendum est. Itaque dele τοὺς στρατιώτας.

§ 9. ὁ δ' εἶπεν, ἀλλ' αἴτιος μὲν ἔγωγ' οὐκ εἰμὶ τούτου, οἱ δὲ στρατιῶται αὐτοὶ ἐπισιτισμοῦ δεόμενοι διὰ τοῦτ' ἀθυμοῦσι πρὸς τὴν ἔξοδον.

Post *δεόμενοι* nonnulli codices praebent *καὶ οὐκ ἔχοντες*, quae, deleta una voce *ἀργύριον*, deinde in reliquis omissa sunt. Milites enim *ἀθυμοῦσι* non tantum quod indigent victu, sed praesertim quod neque habent, unde victum sibi parent. Neque in verbis *οὐκ ἔχοντες* aliquid inest, quod librarium aliquem auctorem redoleat. Caeterum non sollicitandum *διὰ τοῦτο*. Vide I. 7. 3: *ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, οὐκ ἀνθρώπων ἀπορῶν βαρβάρων συμμάχους ὑμᾶς ἄγω, ἀλλὰ νομίζων ἀμείνονας καὶ κρείττους πολλῶν βαρβάρων ὑμᾶς εἶναι διὰ τοῦτο προσέλαβον.* Verum video jam Schneiderum rectissime idem tentasse, inepte vero a Bornemanno reprehensum, qui corrigenda ejicere vult.

§ 10. *ἀλλ' ὅμως, ἔφη, ἐγώ σοι συμβουλεύω ἐξελθεῖν μὲν ὡς πορευσόμενον, ἐπειδὰν δ' ἔξω γένηται, τότ' ἀπαλλάττεσθαι.*

Repone *συμπορευσόμενον* pro simplice, quod mancam facit sententiam. Neque supra § 4 simplex ferri posset in his: *ὁ δ' Ἀναξίβιος ἐκέλευσεν αὐτὸν συνδιαβάντα ἔπειθ' οὕτως ἀπαλλάττεσθαι.*

§ 12. *ἐντεῦθεν ἐξῄεσαν οἵ τε στρατηγοὶ πρῶτοι καὶ οἱ ἄλλοι. καὶ ἄρδην πάντες πλὴν ὀλίγων ἔξω ἦσαν καὶ Ἐτεόνικος εἱστήκει παρὰ τὰς πύλας ὡς ὁπότ' ἔξω γένοιντο πάντες συγκλείσων τὰς πύλας καὶ τὸν μόχλον ἐμβαλῶν.*

Verba *ἄρδην πάντες πλὴν ὀλίγων* significant *omnino omnes praeter paucos* i. e. *πάντες παντελῶς* et simul *οὐ παντελῶς*: nam *ἄρδην πάντες* contrarium est *τοῦ πάντες πλὴν ὀλίγων*. Ex his autem et sequentibus in § 15: *ὁ δ' Ἐτεόνικος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ὡς εἶδον προσθέοντας τοὺς ὁπλίτας συγκλείουσι τὰς πύλας*, et in § 17: *οἱ (στρατιῶται) — ἔνδον ὄντες*, facile est ad conficiendum haec summatim narrare auctorem: *postquam* omnes praeter paucos *ex urbe*

exierant, Eteonicus constiterat ad portas ut eas clauderet, simul atque omnes ad unum *extra essent. — cum autem videret retro currentes, qui modo exierant, claudit portas, quamquam pars militum* adhuc *intus erat.* Ut autem Graeca haec reddant, transponatur *ἄρδην* ad suum *πάντες*, unde ad prius migravit, hac ratione: *καὶ πάντες πλὴν ὀλίγων ἔξω ἦσαν, καὶ Ἐτεόνικος εἱςήκει παρὰ τὰς πύλας ὡς ὁπότ' ἔξω γένοιντο ἄρδην πάντες συγκλείσων κτἑ.* Haec demum sana. Neque est, quod manifestam mendi originem indicemus. — Tum etiam Atticum demum fore contendo *εἱςήκει παρὰ τὰς πύλας ὡς συγκλείσων τὰς πύλας*, si posterius *τὰς πύλας* magistello reddideris.

§ 13. *ὁ δ' Ἀναξίβιος συγκαλέσας τοὺς ϛρατηγοὺς καὶ λοχαγοὺς ἔλεξε, τὰ μὲν ἐπιτήδεια, ἔφη, λαμβάνετ' ἐκ τῶν Θρᾳκίων κωμῶν· εἰσὶ δ' αὐτόθι πολλαὶ κριθαὶ καὶ πυροὶ καὶ τἆλλα τἀπιτήδεια· λαβόντες δὲ πορεύεσθ' εἰς Χερρόνησον κτἑ.*

Rejeci *τοὺς*, quod erat ante *λοχαγοὺς*, et scripsi *λαμβάνετ' ἐκ* et *πορεύεσθ' εἰς* per elisionem, et *τἀπιτήδεια* per crasin. Conf. ann. ad § 3.

§ 15. *ἐν ᾧ δὲ ταῦτα διελέγοντο οἱ ϛρατιῶται ἀναρπάσαντες τὰ ὅπλα θέουσι δρόμῳ πρὸς τὰς πύλας.*

Ex plurimis codicibus post *ἐν ᾧ δὲ* recipiendum *οὗτοι*, quod a librariis profectum esse non potest, qui contra pro pronominibus ipsa nomina reponere soliti erant, uti ostendunt plurima exempla: tum in hoc loco eo magis requiritur illud *οὗτοι*, quod mox novum subjectum *οἱ ϛρατιῶται* subjungitur praedicato, huc tamen non referendum. Recte igitur Krügerus jam vidit.

Ibid. *ὁ δ' Ἐτεόνικος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, ὡς εἶδον προσθέοντας τοὺς ὁπλίτας, συγκλείουσι τὰς πύλας.*

Sic igitur narraverit Xenophon: *οἱ ϛρατιῶται — θέουσι πρὸς τὰς πύλας*, sed *τοὺς ὁπλίτας προσθέοντας* videt Eteonicus cum suis, et deinde iterum: *οἱ δὲ ϛρατιῶται ἔκοπτον τὰς πύλας κτἑ.* Habes igitur hic male a librariis expleti loci exemplum, idque in nomine *τοὺς ὁπλίτας*: pro quo si *αὐτοὺς* i. e. *τοὺς ϛρατιώτας* reposueris, omnia plana et clara erunt.

§ 16. *οἱ δὲ ϛρατιῶται ἔκοπτόν τε τὰς πύλας καὶ ἔλεγον κτἑ.*

Neque hic ferri potest illud *ϛρατιῶται.* Duo tantum sunt subjecta et utrumque supra nominatum est *οἱ ϛρατιῶται* et *ὁ Ἐτεόνικος*: tertio autem non opus est, neque utitur auctor alio quodam in tribus his paragraphis. Itaque non desideratur illud *ϛρατιῶται*: quali subjecti repetitione in ejusdem rei narratione per *οἱ δὲ* (vel *ὁ δὲ*) — *οἱ δὲ* copulata non utuntur.

§ 17. *ἄλλοι δὲ, οἳ ἐτύγχανον ἔνδον ὄντες τῶν ϛρατιωτῶν, ὡς ὁρῶσι τὰ ἐπὶ ταῖς πύλαις πράγματα, διακόπτοντες ταῖς ἀξίναις τὰ κλεῖθρα ἀναπεταννύουσι τὰς πύλας· οἱ δ' εἰσπίπτουσιν.*

Primum inserendum *ἔτι* ante *ἐτύγχανον*, quod sensus requirit secundum ea quae ad § 12 explicuimus: tum offendit *τῶν ϛρατιωτῶν*, quasi vero in secundo *ἄλλοι δὲ* intelligendi essent milites, non vero in priori *ἄλλοι δὲ* quare etiam hic illud *τῶν ϛρατιωτῶν* retineri non potest: tertio corrigendum *διακόψαντες*, quod recte Krügerus ex pluribus codicibus recepit: et tandem scribatur *ἀναπεταννύασι*, de quo vide infra annotata ad Oecon. Cap. IV. § 1.

§ 20. *ὁ δ' Ἐτεόνικος εἰς τὴν ἄκραν ἀποφεύγει.*

Legendum *καταφεύγει.* Is, qui *quaquaversus* fugit persequentem, *ἀποφεύγει*: qui in *certum quemdam locum*,

ubi se tutum futurum putat, *καταφεύγει*. Quae significatio tam constans est, ut etiam ubi expectaveris *ἀνα* —, invenias *καταφεύγειν*, v. c. Cyrop. 3. 1. 4: *ὁ δὲ βασιλεὺς — ἐπὶ λόφον τινὰ καταφεύγει*. Sic etiam *καταλείπειν* significat relinquere aliquem in certo quodam loco: itaque in Anab. 6. 1. 5: *ἄλλου δὲ λόχου τῶν δέκα ςρατηγῶν τοῦ Ἡγησάνδρου ὀκτὼ μόνους κατέλιπον*, legendum est *ἔλιπον*. Sensus enim est: Hegesandri agmen adeo fere ad internecionem caesum esse ut *tantum octo superessent*. Vide Cyrop. 1. 6. 14: *εἰ τοιαῦτ' ἐθελήσειας καὶ ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις μηχανᾶσθαι, οὐκ οἶδ' ἔγωγε, εἴ τινα λίποις ἂν τῶν πολεμίων*, et 4. 2. 18, Anab. 3. 1. 4 et 7. 4. 1. al. Eadem praepositionum fata ex 4. 8. 2: *ἦν δ' οὗτος δασὺς δένδρεσι παχέσι μὲν οὔ, πυκνοῖς δέ. ταῦτ' ἐπεὶ προσῆλθον οἱ Ἕλληνες ἔκοπτον σπεύδοντες ἐκ τοῦ χωρίου ὡς τάχιςτ' ἐξελθεῖν*, imo *ἐξέκοπτον*, et infra ex aliis exemplis apparebunt.

§ 22. *ὁ δ' ἀπεκρίνατο· ἀλλ' εὖ τε λέγετε καὶ ποιήσω ταῦτα· εἰ δὲ τούτων ἐπιθυμεῖτε, θέσθε τὰ ὅπλα ἐν τάξει ὡς τάχιςα· βουλόμενος αὐτοὺς κατηρεμίσαι· καὶ αὐτός τε παρηγγύα ταῦτα καὶ τοὺς ἄλλους ἐκέλευε παρεγγυᾶν καὶ τίθεσθαι τὰ ὅπλα.*

Partim recte vidit Krügerus ultima *καὶ τίθεσθαι τὰ ὅπλα* ut interpretamentum abjicienda esse censens. Verum jussit Xenophon reliquos idem facere quod ipse fecerat. Ipse autem *παρηγγύα θέσθαι τὰ ὅπλα ἐν τάξει*. Itaque etiam reliquos jubebat *παρεγγυᾶν θέσθαι τ. ὅ. ἐ. τ.* Quare illa ultima cum ipso *παρεγγυᾶν* omnia interpreti reddantur. In his enim similibus post *κελεύειν* aut similis significationis verbum numquam tale quid superadditum invenies.

§. 24. τὸ δὲ χωρίον οἷον κάλλιςον ἐκτάξασθαί ἐςι τὸ Θρᾴκιον καλούμενον, ἔρημον οἰκιῶν καὶ πεδινόν.

Idem mendum vide 6. 2. 3: ὁ δ' αὐχὴν ὁ εἰς γῆν ἀνήκων τοῦ χωρίου μάλιςα τεττάρων πλέθρων τὸ εὖρος· τὸ δ' ἐντὸς τοῦ αὐχένος χωρίον ἱκανὸν μυρίοις ἀνθρώποις οἰκῆσαι, ubi Graecitas requirit ἐνοικῆσαι, uti illic ἐντάξασθαι. Quae est brevissima dicendi ratio, pro ὥς' ἐν αὐτῷ μυρίους ἀνθρώπους οἰκῆσαι et ὥς' ἐν αὐτῷ ςρατεύματα τάξασθαι: tum post πεδινόν requiritur ὄν, ut quo jure τὸ χωρίον κάλλιςον dicatur appareat, qui sensus redditur sic vertendo posteriora: est enim (locus) non habitatus et planus. — Caeterum in hoc exemplo vel alienus locus illius τοῦ χωρίου magistellum auctorem prodit.

§. 25. — ἣν δὲ τὴν πόλιν τὴν οὐδὲν αἰτίαν διαρπάσωμεν ἐνθυμεῖσθ' ἃ ἔςαι ἐντεῦθεν.

Cum Krügero e plurimis codicibus recipiendum ἐνθυμήθητ'. Illud enim librariis deberi manifestum est, non vero hoc.

§. 27. ἡμεῖς γὰρ οἱ Ἀθηναῖοι ἤλθομεν εἰς τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς συμμάχους ἔχοντες τριήρεις τὰς μὲν ἐν θαλάττῃ τὰς δ' ἐν τοῖς νεωρίοις οὐκ ἐλάττους τριακοσίων — ἄρχοντες δὲ τῶν νήσων ἁπασῶν, καὶ ἔν τε τῇ Ἀσίᾳ πολλὰς ἔχοντες πόλεις καὶ ἐν τῇ Εὐρώπῃ ἄλλας τε πολλὰς καὶ αὐτὸ τοῦτο τὸ Βυζάντιον, ὅπου νῦν ἐσμεν, ἔχοντες, κατεπολεμήθημεν οὕτως ὡς πάντες ὑμεῖς ἐπίςασθε.

Constructio hujus periodi claudicat. Quod ut melius in oculos incurrat, sic scribatur: ἡμεῖς γὰρ —. ἤλθομεν εἰς τὸν πόλεμον — ἔχοντες τριήρεις —, (ὑπαρχόντων δὲ χρημάτων — καὶ προσόδου οὔσης) —, ἄρχοντες δὲ

τῶν νήσων —, *καὶ ἔχοντες πόλεις* —, *κατεπολεμήθημεν.* Facillima autem opera medemur loco reponendo *ἐλθόντες* pro *ἤλθομεν:* quae corruptio quo errore in textum venerit, facile est ad conjiciendum. — Tum posterius illud *ἔχοντες* deleatur, quod post *ἔν τε τῇ Ἀσίᾳ ἔχοντες πόλεις — καὶ ἐν τῇ Εὐρώπῃ ἄλλας τε — καὶ τὸ Βυζάντιον* quis est Atticorum lector, qui ferat sic repetitum?

§ 29. *μή, πρὸς θεῶν, μαινώμεθα μηδ᾽ αἰσχρῶς ἀπολώμεθα, πολέμιοι ὄντες καὶ ταῖς πατρίσι καὶ τοῖς ἡμετέροις αὐτῶν φίλοις τε καὶ οἰκείοις.*

Ex uno vocabulo *πολεμοῦντες* a librariis duo facta sunt, deinde a recentioribus male interpunctum est: quo facto auctoris sententia ac verba prorsus sunt occaecata. Quid enim significent — *ἀπολώμεθα, πολέμιοι ὄντες* —, exputent qui velint: quid autem — *ἀπολώμεθα πολεμοῦντες* — et similia ex. gr. *ἀπέθανον μαχόμενοι*, nemo est qui dubitare possit. Corrigendum igitur in hunc modum.

Ibid. *ἐν γὰρ ταῖς πόλεσίν εἰσι πάντες ταῖς ἐφ᾽ ἡμᾶς στρατευσομέναις, καὶ δικαίως, εἰ βάρβαρον μὲν πόλιν οὐδεμίαν ἠθελήσαμεν κατασχεῖν, καὶ ταῦτα κρατοῦντες, Ἑλληνίδα δ᾽ εἰς ἣν πρώτην πόλιν ἤλθομεν, ταύτην ἐξαλαπάξομεν.*

In aliis codicibus post *ἤλθομεν* legitur *πόλιν*, quod iterum magistello alicui deberi vel ipsa mala ejus positio indicat, quum ponendum esset post *Ἑλληνίδα δέ*, uti in superiori exemplo *ἔχοντες* post *τὸ Βυζάντιον*, ut bonus verborum ordo esset. Sed videamus de gravioribus corruptionibus, una tamen ejusdem generis correctione praemissa hac in verbis capitis sequentis § 4: *Ἀναξίβιος δ᾽ ἔχαιρε ταῦτ᾽ ἀκούων, διαφθειρόμενον*

τὸ ςράτευμα· τούτων γὰρ γιγνομένων ᾤετο μάλιςα χαρίζεσθαι Φαρναβάζῳ. E quibus, ne torqueant amplius interpretes, ejicienda sunt verba διαφθειρόμενον τὸ ςράτευμα, quae nulla Graecae constructionis ratione habita temere inventa sunt in textum: praeterquam quod absurdum est, ubi simplex pronomen usurpatur, id ipsum addere pro quo ponitur. Quo autem melius appareat, quid velim, quaeras ad ταῦτ' ἀκούων: quid ἀκούων? ut responsum ad hoc esse διαφθειρόμενον τὸ ςράτευμα sentias. Simile prorsus interpretamentum est ἀποςῆναι πρὸς Κῦρον ad ταῦτα in verbis 1. 1. 7: ἐν Μιλήτῳ δὲ Τισσαφέρνης προαισθόμενος ταὐτὰ ταῦτα βουλευομένους: sed de his jam alibi diximus.

§. 34. ἀκούουσι ταῦτα οἱ ςρατιῶται καὶ τὰ παρ' Ἀναξιβίου ἅμ' ἀπαγγελλόμενα. ἀπεκρίνατο γὰρ ὅτι πειθομένους αὐτοῖς οὐ μεταμελήσαι.

Confer 2. 3. 4: ἐπεὶ δ' ἦν πρὸς τοῖς ἀγγέλοις, ἀνηρώτα τί βούλοιντο. οἱ δ' ἔλεγον ὅτι περὶ σπονδῶν ἥκοιεν, ἄνδρες οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται τά τε παρὰ βασιλέως τοῖς Ἕλλησιν ἀπαγγεῖλαι καὶ τὰ παρὰ τῶν Ἑλλήνων βασιλεῖ. et 2. 3. 24 et 2. 5. 36. et Cyrop. 3. 1. 1: ὁ μὲν δὴ Κῦρος ἐν τούτοις ἦν. ὁ δ' Ἀρμένιος, ὡς ἤκουσε τοῦ ἀγγέλου τὰ παρὰ τοῦ Κύρου, ἐξεπλάγη. al. Unde apparet, si de nuncio sermo est, per τὰ παρά τινος, intelligendum esse id quod nunciandum sit, sive mandatum sive responsum alicujus id sit. Quam vim hujus dictionis non tenentes librarii proximum verbum ἀπαγγέλλεται in participium mutarunt, quo τὰ, quod ante παρ' Ἀναξιβίου, ut articulum referendum esse censerent. Hic est fons totius corruptionis. Deinde enim etiam καὶ inseruerunt et, cum ἀκούουσι non haberent

pro participio, ex τοῖς στρατιώταις, quae est lectio quorumdam codicum, nominativum fecerunt. Lege igitur sic: ἀποδόσθαι ταῦτα τοῖς στρατιώταις τὰ παρ' Ἀναξιβίου ἅμ' ἀπαγγέλλεται εἶπεν. Similem autem participii constructionem vide e. gr. Hell. 4. 4. 5: ἡ δὲ μόρα ἅμα καταβαίνουσα ἀπὸ τῶν ἄκρων Οἰνόην τὸ ἐντετειχισμένον τεῖχος αἱρεῖ. Anab. 3. 5. 8: ἀπορουμένοις δ' αὐτοῖς προσελθών τις ἀνὴρ Ῥόδιος εἶπεν. et § 12: ἀκούσασι ταῦτα τοῖς στρατηγοῖς τὸ μὲν ἐνθύμημα χαρίεν ἐδόκει εἶναι, τὸ δ' ἔργον ἀδύνατον. ἦσαν γὰρ οἱ κωλύσοντες πέραν πολλοὶ ἱππεῖς, οἳ εὐθὺς τοῖς πρώτοις οὐδὲν ἂν ἐπέτρεπον τούτων ποιεῖν. Sed haec inde ab οἳ εὐθὺς redde interpreti non contento τῷ simplice κωλύσοντες. Cf. 1. 2. 22. et quae annotavimus ad 1. 7. 19.

§ 37. καὶ ἄλφιτα φέροντες εἵποντο αὐτῷ εἴκοσιν ἄνδρες καὶ οἶνον ἄλλοι εἴκοσι καὶ ἐλαιῶν τρεῖς καὶ σκορόδων ἀνὴρ ὅσον ἐδύνατο μέγιστον φορτίον.

Recte Bornemannus et Krügerus e pluribus codicibus recepere εἷς ante ἀνὴρ, quod ob reliqua numeralia abesse non potest. Sic etiam in § 36 post ἐκέλευσε nonnulli codices habent τε, quod omnium tamen editorum sedulitatem effugisse satis mirari non possum. — Eandem librariorum negligentiam vide in capitis sequentis § 27: ἀπεκρίνω ὅτι τὸ στράτευμα διαβήσοιτο εἰς Βυζάντιον καὶ οὐδὲν τούτου ἕνεκα δέοι τελεῖν οὔτε σοὶ οὔτ' ἄλλῳ. Uti enim post ἢ — ἢ vel εἴτε — εἴτε cum sequatur ἄλλος notione τοῦ *quivis alius* semper superadditum invenitur pronomen τὶς, sic etiam in sensu negativo post ἄλλος semper μηδεὶς aut οὐδεὶς eodem modo insuper addunt. Itaque pro οὔτ' ἄλλῳ scribe οὔτ' ἄλλῳ οὐδενί. Vide 6. 4.

17: ἐγὼ, ὦ ἄνδρες, ὄμνυμι θεοὺς καὶ θεὰς, ἦ μὴν μήτε με Ξενοφῶντα κελεῦσαι ἀφελέσθαι τὸν ἄνδρα μήτ' ἄλλον ὑμῶν μηδένα. Ibid. 26: αἰτιῶμαι δ' οὔτε τὴν ϛρατιὰν οὔτ' ἄλλον οὐδένα ἔτι. 7. 1. 6: ἀλλὰ τὸ μὲν ϛράτευμα διαβήσεται· τούτου ἕνεκα μηδὲν τελείτω μήτ' ἐμοὶ μήτ' ἄλλῳ μηδενί. Cyrop. 4. 4. 11: ἡμῖν μέντοι οὐ μαχεῖσθε οὐδ' ἄλλῳ οὐδενί κτέ. Etc. — Paullo superius, ut his defungar, in § 25: ὁ δ' ἔφη, αὖθις ἦλθε Μηδοσάδης οὑτος ἐπεὶ ἐγὼ διέβην ἐπὶ τὸ ϛράτευμα ἐκ Παρίου, ὑπισχνούμενος, εἰ ἄγοιμι τὸ ϛράτευμα τἄλλα τέ σε φίλῳ μοι χρήσεσθαι κτέ. corrigendum οὑτοσὶ et ἀγάγοιμι. Et in primo exemplo με transponendum sic: με μήτε Ξενοφῶντα: quae sunt faciliora quam ut enucleate de iis dicam.

§ 38. Ξενοφῶν δὲ μεταπεμψάμενος Κλέανδρον ἐκέλευε διαπρᾶξαι ὅπως εἰς τὸ τεῖχός τ' εἰσέλθοι καὶ ἀποπλεύσειεν ἐκ Βυζαντίου.

Medium διαπράττεσθαι synonymum fere est τῷ αἰτεῖσθαι. Quam notionem cum sensus hic flagitat, pro ἐκέλευε διαπρᾶξαι, recepto οἱ ex pluribus codicibus, corrigendum est ἐκέλευέν οἱ διαπράξασθαι.

OECONOMICUS.

CAP. IV.

(Ed. Ster. Tauchnitii a. 1829.)

§. 1. ἀλλ' αἳ δοκοῦσι κάλλιϛαι τῶν ἐπιϛημῶν καὶ ἐμοὶ πρέποιεν ἂν μάλιϛα ἐπιμελομένῳ, ταύτας μοι καὶ αὐτὰς ἐπιδείκνυε καὶ τοὺς πράττοντας αὐτάς.

Primum restitue crasin in κἀμοὶ et elisionem in μα-

λις' ἐπιμ. Tum scribatur ἐπιδεικνύω. Atticorum enim codices duas servaverunt hujusmodi verborum formas, verbi gratia: infinitivi — νειν et — νναι, participii — νων et — νς, praesentis Ind. — νμι et — νω, — νεις et — νς, — νει et νσι, et sic porro: quae utraque forma nunc haec nunc illa apud eundem quum recurrat, alterutra a librariis invecta sit necesse est. Hanc autem in — ννα, — νς, νσι etc. Atticam esse ex Atticis poetis discimus. Itaque illa ab istis profecta est et ubique corrigenda.

§ 2. ἀλλὰ καλῶς, ἔφη, λέγεις, ὦ Κριτόβουλε. καὶ γὰρ αἵ γε βαναυσικαὶ καλούμεναι καὶ ἐπιρρητοί εἰσι καὶ εἰκότως μέντοι πάνυ ἀδοξοῦνται πρὸς τῶν πόλεων.

Post καλούμεναι excidit τέχναι, quod in sequentibus omitti potest, hic vero, ubi loqui de iis incipit Socrates, non potest. Compara cap. 6. 5: πάσας μὲν οὖν τὰς ἐπιστήμας οὔτε μαθεῖν οἷόν θ' ἡμῖν ἐδόκει συναποδοκιμάζειν τε ταῖς πόλεσι τὰς βαναυσικὰς καλουμένας τέχνας, ὅτι καὶ τὰ σώματα καταλυμαίνεσθαι δοκοῦσι καὶ τὰς ψυχὰς καταγνύουσι. Sed ob dativum ταῖς πόλεσι legatur συναπεδοκιμάζομεν pro συναποδοκιμάζειν et καταγνύναι pro ultima voce καταγνύουσι ob δοκοῦσι, quo juxta καταλυμαίνεσθαι alterum καταγνύναι non referri non potest. Quo modo haec rectius leguntur apud Stobaeum.

§ 3. καὶ ἀσχολίας δὲ μάλιστ' ἔχουσι καὶ φίλων καὶ πόλεως συνεπιμελεῖσθαι αἱ βαναυσικαὶ καλούμεναι.

Comparatio cap. 6. § 6 et 7 docet plurima deesse ante has voces. Neque enim ferremus repetitionem τοῦ αἱ βαναυσικαὶ καλ., nisi subjectum mutatum esset. Caeterum scribatur πόλεων secundum 6. 9.

§ 4. ἐκεῖνον (τὸν Περσῶν βασιλέα) γάρ φασιν ἐν τοῖς καλ-

λίστοις τε καὶ ἀναγκαιοτάτοις ἡγούμενον εἶναι ἐπιμελήμασι γεωργίαν τε καὶ τὴν πολεμικὴν τέχνην τούτων ἀμφοτέρων ἰσχυρῶς ἐπιμελεῖσθαι.

Uti πολεμικὴν τέχνην, sic etiam γεωργίαν requirit articulum.

§ 5. καὶ τοῦτο, ἔφη, πιστεύεις, ὦ Σώκρατες, βασιλέα τῶν Περσῶν γεωργίας τι συνεπιμελεῖσθαι.

τὸν ante genit. Περσῶν abiit in τῶν: nam flagitatur hic verborum sensus *idque Persarum regem.*

§ 6. χωρὶς δὲ τούτων φύλακας ἐν ταῖς ἀκροπόλεσι τρέφει· καὶ τὴν μὲν τροφὴν τοῖς φρουροῖς δίδωσιν ὁ ἄρχων, ᾧ τοῦτο προστέτακται.

Vide Arist. Vespp. 109:

ψήφων δὲ, δείσας μὴ δεηθείη ποτὲ,
ἵν' ἔχοι δικάζειν, αἰγιαλὸν ἔνδον τρέφει.

ibique scholion ad τρέφει: ἀντὶ τοῦ ἔχει, et Hesychium: τρέφειν — ἔχειν. Quam vim vocis τρέφειν ignorantes scribae τοῦ φυλακὰς accentum mutarunt: deinde pro πόλεσι, cujus lectionis Cod. Guelf. servavit indicium pro eadem voce, quae mox recurrit, habens a prim. m. simplex πόλεσι, reposuerunt ἀκροπόλεσι, cum non adtenderent ad diversam ditionem τῶν χιλιάρχων, de quibus in proxime praecedentibus agitur, et τῶν φρουράρχων. Comparato enim hoc loco cum Cyrop. 8. 6 apparet in illorum ditione esse τὴν χώραν, in horum τὰς πόλεις. Lege igitur: χωρὶς δὲ τούτων φυλακὰς ἐν ταῖς πόλεσι τρέφει. καὶ τὴν μὲν τροφὴν τοῖς φρουροῖς κτέ. Ne autem moneam, si φύλακας retineas, scribi oportere αὐτοῖς pro τοῖς φρουροῖς, cum prorsus iidem sint οἱ φύλακες qui οἱ φρουροὶ, confer Anab. 1. 1. 6: τὴν δ' Ἑλληνικὴν δύναμιν ἤθροιζεν ὡς μάλιστ' ἠδύνατο ἐπικρυπτόμενος, ὅπως ὅτι

ἀπαρασκευότατον λάβοι βασιλέα. οὐδ᾽ οὖν ἐποιεῖτο τὴν συλλογήν. ὁπόσας εἶχε φυλακὰς ἐν ταῖς πόλεσι, παρήγγελλε τοῖς φρουράρχοις ἕκαςον λαμβάνειν ἄνδρας ὅτι πλείςους κτέ. Sed hic repone Atticum et Xenophonteum ἀποκρυπτόμενος pro ἐπικρυπτ.

Ib. βασιλεὺς δὲ κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἐξέτασιν ποιεῖται τῶν μισθοφόρων — καὶ πάντας ἅμα συνάγων πλὴν τοὺς ἐν ταῖς ἀκροπόλεσιν — καὶ τοὺς μὲν ἀμφὶ τὴν αὐτοῦ οἴκησιν αὐτὸς ἐφορᾷ τοὺς δὲ πρόσω ἀποικοῦντας πιςοὺς πέμπει ἐπισκοπεῖν.

Oportuit cum Schneidero secundum καὶ omissum et pro ἀκροπόλεσιν lectionem Guelf. a prim. m. πόλεσιν receptam. Tum Graecum esset πέμπει ἐπισκεψομένους. Quare lege πέμπων πιςοὺς ἐπισκοπεῖ transpositis prioribus vocibus, uti docet praeter locos, quos laudavi ad Cyrop. 5. 3. 53, infra § 8: ὁπόσην δὲ μὴ αὐτὸς ἐφορᾷ πέμπων πιςοὺς ἐπισκοπεῖται, de quibus vero ipsis mox videbimus.

§ 7. καὶ οἳ μὲν ἂν φαίνωνται τῶν φρουράρχων καὶ τῶν χιλιάρχων καὶ τῶν σατραπῶν τὸν ἀριθμὸν τὸν τεταγμένον ἔκπλεων ἔχοντες, καὶ τούτους δοκίμοις ἵπποις τε καὶ ὅπλοις κατεσκευασμένους παρέχωσι, τούτους μὲν τοὺς ἄρχοντας καὶ ταῖς τιμαῖς αὔξει καὶ δώροις μεγάλοις καταπλουτίζει.

Utrumque tum ἔχοντες tum παρέχωσι referendum ad φαίνωνται. Itaque dele comma post ἔχοντες et restitue pro hoc παρέχοντες. Deinde expunge τοὺς ἄρχοντας ad τούτους μὲν a magistro adscriptum, et ταῖς, quod neque ferri potest.

Ib. οὓς δ᾽ ἂν εὕρῃ τῶν ἀρχόντων ἢ καταμελοῦντας τῶν φρουρῶν, ἢ κατακερδαίνοντας, τούτους χαλεπῶς κολάζει καὶ παύων τῆς ἀρχῆς ἄλλους ἐπιμελητὰς καθίςησι.

Confer § 8: *καὶ οὓς μὲν ἂν αἰσθάνηται — τούτοις μὲν —· οἷς δ' ἂν ὁρᾷ — τούτους δὲ.* et Oecon. 9. § 9 et 10: *μετὰ δὲ τοῦθ' ὅσοις μὲν τῶν σκευῶν — ταῦτα μὲν —. ὅσοις δ' εἰς ἑορτὰς — ταῦτα δὲ τῇ ταμίᾳ.* Eodem igitur modo etiam illic post *τούτους* insere *δὲ*, quod semper in hac constructione adest. Tum *ἄρχοντας* esse, quos *παύει τις τῆς ἀρχῆς*, non est quod a magistello moneamur. Quare etiam hic *τῶν ἀρχόντων* deleatur.

§ 8. *ἔτι δ' ὁπόσην μὲν τῆς χώρας διελαύνων ἐφορᾷ αὐτὸς, αὐτὸς καὶ δοκιμάζει, ὁπόσην δὲ μὴ αὐτὸς ἐφορᾷ, πέμπων πιστοὺς ἐπισκοπεῖται.*

Ultima vox, si qua alia, frequentissime apud Xenophontem occurrit. Cum autem omnia hujus verbi tempora praeter praesens mediam habeant formam, saepius etiam praesenti hanc affinxerunt scribae: imo vero, ubi *ἐπισκεψόμενοι* legebatur, praesens requiri arbitrati scripserunt *ἐπισκεπτόμενοι*, quod memini me alicubi legisse. Erat, quum putarem sensu proprio solummodo activi formam habere praesens, sed, collatis locis permultis, sive propria sive impropria significatio intelligenda esset, in utrisque eundem errorem arbitrariamque formarum permutationem deprehendi. Et ubique activam praesentis formam restituendam esse nunc contendo. Itaque et hic scribatur *ἐπισκοπεῖ*, uti in § 6, et supra 3. 14 *οὐδὲν οἷον τὸ ἐπισκοπεῖν* pro media forma, et infra 10. 10 *κἀγὼ μέντοι, ὦ Σ., συνεβούλευον αὐτῇ — ἐπιμαθεῖν ἐπισκέψασθαι δὲ καὶ σιτοποιὸν, παραστῆναι δὲ καὶ ἀπομετρούσῃ τῇ ταμίᾳ, περιελθεῖν δ' ἐπισκοπουμένην καὶ εἰ κατὰ χώραν ἔχει, ᾗ δεῖ, ἕκαστα,* recepto *ἐπισκοποῦσαν* sic: *περιελθεῖν δὲ καὶ ἐπισκο-*

ποῦσαν, εἰ κτλ.: nam *καὶ* etiam loco suo motum fuit: tum dele *ἢ δεῖ* ut glossema ad *κατὰ χώραν* adscriptum, de quo vide scholion ad Arist. Plut. 367. Praeterea desideratur artic. *τὴν* ante *σιτοποιὸν*, quod recte vidit Schneiderus.

Ib. *οἷς δ' ἂν ὁρᾷ ἀργόν τε τὴν χώραν οὖσαν καὶ ὀλιγάνθρωπον ἢ διὰ χαλεπότητα ἢ δι' ὕβριν ἢ δι' ἀμέλειαν, τούτους δὲ κολάζων καὶ παύων τῆς ἀρχῆς ἄρχοντας ἄλλους καθίστησι.*

Aut *κολάζει* aut *παύει τῆς ἀρχῆς*, sed *παύων τῆς ἀρχῆς ἄλλους ἄρχοντας καθίςησι*, non vero *κολάζων*. Itaque transposita voce *ἄλλους*, uti supra § 7, legatur *κολάζει καὶ παύων τῆς ἀρχῆς ἄλλους ἄρχοντας καθίςησι.*

§ 10. *ἢν δὲ παρέχοντος τοῦ φρουράρχου εἰρήνην τοῖς ἔργοις ὁ ἄρχων ὀλιγάνθρωπόν τε παρέχηται καὶ ἀργὸν τὴν χώραν, τούτου αὖ κατηγορεῖ ὁ φρούραρχος.*

Excidit *οὖσαν* post *ἀργὸν*. Sic paullo superius in eadem constructione § 8 *ἐνεργὸν οὖσαν* et *ἀργὸν — οὖσαν.*

§ 11. *καὶ γὰρ σχεδόν τι οἱ κακῶς τὴν χώραν ἐργαζόμενοι οὔτε τοὺς φρουροὺς τρέφουσιν οὔτε τοὺς δασμοὺς δύνανται ἀποδιδόναι.*

Lege *τρέφειν*. ob eandem enim causam, ob quam non possunt *τοὺς δασμοὺς ἀποδιδόναι*, ob eandem prorsus *τοὺς φρουροὺς τρέφειν* non possunt.

§ 14. *νὴ Δί', ἔφη ὁ Κριτόβουλος, ἀνάγκη τοίνυν, ὦ Σώκρατες, ἔνθα γε διατρίβει αὐτὸς, καὶ ὅπως ὡς κάλλιςα κατεσκευασμένοι ἔσονται οἱ παράδεισοι ἐπιμελεῖσθαι, δένδρεσι καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι καλοῖς ὅσα ἡ γῆ φύει.*

Uti Attici dicunt euphoniae gratia v. c. *ἀληθῆ λέγεις*, sed *ἀληθὲς, ἔφη*, sic etiam dicunt *ὡς πλεῖςα, ὡς κάλλιςα*,

sed ὡς ὅτι ἥκιστα, ὅπως ὅτι ἀπαρασκευότατος, ὅπως ὅτι κάλλιστα, et sic porro, ne concurrant syllabae ὡς ὡς aut ὅπως ὡς. Quod in talibus sine ullo periculo fit, cum nihil intersit inter ὅτι et ὡς superlativo junctum. Itaque scribe ὅπως ὅτι κάλλιστα. Deinde dele δένδρεσι — φύει, quae sunt languida repetitio proxime praecedentium multo nitidiorum πάντων καλῶν τε κἀγαθῶν μεστοί, ὁπόσα ἡ γῆ φύειν ἐθέλει. Tum alieno loco sunt posita et quasi extra periodum, quam absolvit ἐπιμελεῖσθαι. Tertio, non video quam vim addant sententiae post ὅτι κάλλιστα. Etc.'

§ 15. *φασὶ δέ τινες, ἔφη ὁ Σωκράτης, ὦ Κριτόβουλε, καὶ ὅταν δῶρα διδῷ ὁ βασιλεὺς, πρῶτον μὲν εἰσκαλεῖν τοὺς πολέμῳ ἀγαθοὺς γεγονότας, ὅτι οὐδὲν ὄφελος πολλὰ ἀροῦν, εἰ μὴ εἶεν οἱ ἀρήξοντες.*

Scribis reddatur ὁ, quod ante βασιλεύς. Porro pro πρῶτον corrige πρώτους. Vide quae annotavi ad Memor. 3. 1. 8. Tum ante πολέμῳ insere ἐν: dicunt enim ἀνδρεῖος, ἀγαθὸς, δειλὸς γίγνεσθαι ἐν πολέμῳ. Unum omnium instar sit exemplum Arist. Eccl. 678:

— καὶ ῥαψῳδεῖν ἔστι τοῖς παιδαρίοισι
τοὺς ἀνδρείους ἐν τῷ πολέμῳ κεἴ τις δειλὸς γεγένηται.

Denique ante ὅτι excidisse λέγοντα proxima docebunt.

Ibid. *δεύτερον δὲ, τοὺς κατασκευάζοντας τὰς χώρας ἄριστα καὶ ἐνεργοὺς ποιοῦντας λέγοντα ὅτι οὐδ' ἂν οἱ ἄλκιμοι δύναιντο ζῆν, εἰ μὴ εἶεν οἱ ἐργαζόμενοι.*

Uti illic πρώτους, sic hic δευτέρους requiritur: item ultimae vocis futuri forma ἐργασόμενοι, quam habet illic quoque ultima ἀρήξοντες. Hanc corruptionem vide etiam infra 7. 20: δεῖ μέντοι τοῖς μέλλουσιν ἀνθρώποις ἕξειν ὅ τι εἰσφέρωσιν εἰς τὸ στεγνὸν ἔχειν τοὺς

ἐργαζομένους, quae Graeca et sana erunt, si omiseris *ἀνθρώποις* et receperis *ἐργασομένους*. Conferas ibidem mox sequentia § 21: *δεῖ δ' αὖ, ἐπειδὰν ταῦτ' εἰσενεχθῇ εἰς τὸ στεγνὸν, καὶ τοῦ σώσοντος ταῦτα καὶ τοῦ ἐργασομένου.* Hoc enim futuri participio semper utuntur in simili sententia, idque agnoscitur ex articulo.

§ 18. *παρὰ μὲν Κύρου οὐδεὶς λέγεται αὐτομολῆσαι πρὸς τὸν βασιλέα, παρὰ δὲ τοῦ βασιλέως πολλαὶ μυριάδες πρὸς Κῦρον.*

Confer Anab. 1. 9. 19: *παρὰ μὲν Κύρου — οὐδεὶς ἀπῄει πρὸς βασιλέα — παρὰ δὲ βασιλέως πολλοὶ πρὸς Κῦρον ἀπῆλθον.* Itaque etiam ex illo loco eximantur articuli. Non enim moror quod nugatur Schneiderus. Hoc unum demum Dindorfius recte edendum curavit. — Caeterum in initio hujus paragraphi reponendum esse censenti *ἐπεβίω* pro *ἐβίωσεν*, quod et ob notionem et ob formam damnandum est, quis est qui non assentiatur?

§ 20. *οὗτος τοίνυν ὁ Κῦρος λέγεται Λυσάνδρῳ, ὅτ' ἦλθεν ἄγων αὐτῷ τὰ παρὰ τῶν συμμάχων δῶρα, ἄλλα τε φιλοφρονεῖσθαι — καὶ τὸν ἐν Σάρδεσι παράδεισον ἐπιδεικνύναι αὐτὸν ἔφη.*

Post interpolata illa in § 19: *πλήν γ' Ἀριαίου. Ἀριαῖος δ' ἔτυχεν — τεταγμένος*, recte scribarum quis sensit ad *οὗτος* requiri *ὁ Κῦρος*, ne *Ἀριαῖος* intelligeretur. Deletis autem istis etiam deleatur *ὁ Κῦρος* necesse esse quisque monitus sentit: nec non post *ἄλλα τε* deesse *πολλὰ*, cujus dictionis in simili sententia sexcenta exempla Xenophontis lector observabit.

§ 23. *καὶ ὁ Λύσανδρος ἔφη ἀποβλέψας εἰς αὐτὸν, καὶ*

ἰδὼν τῶν θ' ἱματίων τὸ κάλλος ὧν εἶχε, καὶ τῆς ὀσμῆς αἰσθόμενος, καὶ τῶν στρεπτῶν καὶ τῶν ψελλίων τὸ κάλλος, καὶ τοῦ ἄλλου κόσμου οὗ εἶχεν, εἰπεῖν.

En sententiam simplicissimam et facillimam, quamquam omnis verborum ordo periit primoque adspectu de eo fere desperandum videtur. Sed feliciter manifesta supersunt genuini ordinis vestigia et corruptionis fons facillima opera vel a criticis tironibus agnoscitur atque exputatur. Adtendatur modo ad illud θ', quod flagitat, ut καὶ τῶν στρεπτῶν καὶ τῶν ψελλίων καὶ τοῦ ἄλλου κόσμου omnia referantur ad idem verbum ἰδὼν, quo sine dubio pertinent illa τῶν θ' ἱματίων τὸ κάλλος. Itaque jam prius ὧν εἶχε et alterum τὸ κάλλος, quae bis scripta ferri non possunt, tolluntur ut supervacua. Porro illa ων εἶχε, καὶ τῆς ὀσμῆς αἰσθόμενος per se veterem locum indicant posteriorum, si pro ὧν scribitur οὗ. Nimirum post οὗ εἶχε sequebatur καὶ τῆς ὀσμῆς αἰσθόμενος. Postquam autem semel οὗ εἶχε alieno loco scriptum erat, etiam id quod proxime sequebatur una cum illo ex sequentibus migravit: deinde tamen repetierunt οὗ εἶχε, ut sensus quodammodo restitueretur: dein in priore ὧν pro οὗ et in posteriore εἶχεν pro εἶχε scripserunt, quod vix monendum. Legatur igitur hoc modo: καὶ ὁ Λύσανδρος ἔφη — ἰδὼν τῶν θ' ἱματίων τὸ κάλλος καὶ τῶν στρεπτῶν καὶ τῶν ψελλίων καὶ τοῦ ἄλλου κόσμου οὗ εἶχε, καὶ τῆς ὀσμῆς αἰσθόμενος εἰπεῖν. Haec demum Graeca, hic bonus verborum ordo. Prorsus enim nihili est conjectura Zeunii, qui ἀγάμενος, quod in marg. Steph. ad αἰσθόμενος adscriptum est, ponere vult ante τῶν στρεπτῶν.

§ 24. ὄμνυμί σοι τὸν Μίθρην, ὅταν περ ὑγιαίνω, μὴ πώ-

ποτε δειπνῆσαι, πρὶν ἱδρῶσαι ἢ τῶν πολεμικῶν τι ἢ τῶν γεωργικῶν ἔργων μελετῶν ἢ ἀεὶ οὖν γέ τε φιλοτιμούμενος.

Codices habent *ὦν* pro *οὖν*: unde fac et repone formulam Atticis quam maxime tritam *ἕν γέ τι*, quae est optima correctio Stephani, sed imperite adhuc neglecta ab editoribus.

§ 25. *δικαίως μοι δοκεῖς, ἔφη, ὦ Κῦρε, εὐδαίμων εἶναι· ἀγαθὸς γὰρ ὢν ἀνὴρ εὐδαιμονεῖς.*

Pro *εὐδαίμων εἶναι* symmetria et concinnitas idem verbum, quod sequitur, *εὐδαιμονεῖν* flagitat. Accedit, quod vehementer dubito, num Graecum sit, adverbium junctum verbo *εἶναι* cum aliquo adjectivo usurpato.

SYMPOSIUM.

CAP. IV.

§ 1. *ἐκ τούτου ἔλεξεν ὁ Σωκράτης· οὐκοῦν λοιπὸν ἂν εἴη ἡμῖν, ἃ ἕκαστος ὑπέσχετο, ἀποδεικνύναι, ὡς πολλοῦ ἄξιά ἐστιν, ἀκούοιτ' ἄν, ἔφη ὁ Καλλίας, ἐμοῦ πρῶτον.*

At polliciti erant *ἐπιδεῖξειν* 1. 6 et 3. 3. Itaque lege *ἐπιδεικνύναι*, quod in eadem constructione vide § 46: *σὸν ἔργον, ὦ Ἑρμόγενες, λέγειν τε τοὺς φίλους, οἵτινές εἰσι καὶ ἐπιδεικνύναι, ὡς μέγα τε δύνανται καὶ σοῦ ἐπιμέλονται κτἑ.* Tum *πρώτου* pro *πρῶτον* scribatur. Callias enim omnium primus dicere vult. Vide quae annotavi ad Vespp. 1016.

Ibid. *ἐγὼ γὰρ ἐν τῷ χρόνῳ, ᾧ ὑμῶν ἀκούω ἀπορούντων, τί τὸ δίκαιον, ἐν τούτῳ δικαιοτέρους τοὺς ἀνθρώπους ποιῶ.*

Discipulis interpreteris sic rectissime scripta: ἐγὼ γὰρ ἐν ᾧ ὑμῶν — ἐν τούτῳ —, ad ᾧ interponendo τῷ χρόνῳ, ut quibus hoc debeatur, sentias.

§ 3. ἦ καί σοι, ἔφη, ἀποδιδόασιν ὅ τι ἂν λάβωσι; μὰ τὸν Δί', ἔφη, οὐ μὲν δή. τί δὲ ἀντὶ τοῦ ἀργυρίου; χάριτας; οὐ μὰ τὸν Δί', ἔφη, οὐδὲ τοῦτο.

Expunctis ἀντὶ τοῦ ἀργυρίου, lege τί δέ; χάριτας; Iisdem enim interpolatoribus etiam illa debentur, quae miror non jam adscripta esse ad ἀποδιδόασιν. Cum vero dubitari non possit ad hoc intelligendum esse τἀργύριον ἀνθ' οὗ ἂν λάβωσι i. e. ἀντὶ τοῦ ἀργυρίου οὗ ἂν λάβωσι: neque potest, non mutato orationis argumento, et negantis responso solummodo interposito, in τί δέ; χάριτας; prorsus idem intelligendum esse. Itaque ne Graeca quidem esse quae adhuc in textu leguntur contendo. Succurrit mihi hujus dictionis exemplum. Vide Lucianum, sectatorem illum Atticarum dictionum. In in. Paras. A. dicit: ἔστιν ἥντινα τυγχάνεις ἐπιστάμενος τέχνην, οἷον μουσικήν; et bis negantem B. sic excipit: — τί δέ; ἰατρικήν; — τί δέ; ῥητορικήν; Sed quid opus est exemplis talium notissimorum et passim obviorum? — Caeterum verba μὰ τὸν Δί', ἔφη, οὐ μὲν δή, non sunt sollicitanda. Confer Cyr. 1. 6. 9: οἶσθ' ὁπόσ' αὐτῷ ἔστι; μὰ τὸν Δί', ἔφη ὁ Κῦρος, οὐ μὲν δή. 5. 5. 18: τί γάρ; ἔφη, ἐπεὶ οἱ πολέμιοι ἦλθον καὶ διαγωνίζεσθαι ἔδει πρὸς αὐτούς, ἐν τούτῳ κατενόησάς πού με ἢ πόνου ἀποστάντα ἤ τινος κινδύνου φεισάμενον; οὐ μὰ τὸν Δί', ἔφη, οὐ μὲν δή. 6. 3. 10: τί οὖν; ἔφη ὁ Κῦρος, ἦ καὶ ἔχαιρον ἀκούοντες ἰόντας; οὐ μὰ Δί', εἶπον ἐκεῖνοι, οὐ μὲν δή γ' ἔχαιρον, ἀλλὰ καὶ μάλα ἠνιῶντο. At sciolis redde illud γ' ἔχαιρον, quo pessumdatur dictio haec

Attica. Vide praeter locos laudatos Symp. 4. 52. *εἶεν σὺ δὲ δὴ, ἔφη ὁ Χαρμίδης, ὦ Συρακόσιε, ἐπὶ τῷ μέγα φρονεῖς; ἦ δῆλον, ὅτι ἐπὶ τῷ παιδί; μὰ τὸν Δί', ἔφη, οὐ μὲν δὴ, ἀλλὰ καὶ δέδοικα περὶ αὐτοῦ ἰσχυρῶς.*

Ibid. *Θαυμαστά γ', ἔφη ὁ Ἀντισθένης, ἅμ' εἰσβλέπων ὡς ἐλέγχων αὐτὸν, εἰ μὲν πρὸς τοὺς ἄλλους δύνασαι δικαίους ἂν ποιεῖν αὐτοὺς πρὸς δὲ σαυτὸν οὔ.*

Illud *ἂν* quod est hic nihili jam Stephanum offendit. Originem traxisse videtur ex ultimis litteris vocis praecedentis mendose aut obscure scriptis, pro quibus totidem fere litterarum voculam aliquam reposuerint. Nimirum neque Callias neque reliquorum quisquam pollicitus erat se *ἐπιδείξειν* sua *τέχνῃ δικαίους ποιεῖν* homines, sed *βελτίους* vel *δικαιοτέρους*. Vide § 1. 2. 6 et supra cap. 3. § 4. et 7. etc. et etiam hic comparativum redde auctori, legendo *δικαιοτέρους ποιεῖν.* — Sed ne cumulem annotationes omnia persequens, videamus de § 15, ubi gravius mendum irrepsit, et toto vocabulo corrupto absurda leguntur. Non tamen possum quin haec praemittam. In § 8: *καὶ ὁ Χαρμίδης εἶπεν ὦ ἄνδρες, ὁ Νικήρατος κρομύων ὄζων ἐπιθυμεῖ οἴκαδ' ἐλθεῖν*, pro *κρομύων* Atticam formam *κρομμύων* scribe, qua auctor noster alibi utitur Anab. 7. 1. 37. et Arist., ex. gr. Lys. 798:

κρόμμυόν τἄρ' οὐκ ἔδει.

quomodo etiam Dindorfius male edidit. Attici enim non nisi plurali utuntur. Itaque hoc loco etiam *κρομμύων* scripsisse Aristophanem docet et antiquum scholion ad hunc locum et constructio, qualis est v. c. Nubb. 120:

οὐκ ἄρα, μὰ τὴν Δήμητρα, τῶν γ' ἐμῶν ἔδει
οὔτ' αὐτὸς, οὔθ' ὁ ζύγιος, οὔθ' ὁ σαμφόρας.

Caeterum nemo putet Homericum *κρόμυον* mutari me velle.

§ 15. *διὰ γὰρ τὸ ἐμπνεῖν τι ἡμᾶς τοὺς καλοὺς τοῖς ἐρωτικοῖς, ἐλευθεριωτέρους μὲν αὐτοὺς ποιοῦμεν εἰς χρήματα, φιλοπονωτέρους δὲ καὶ φιλοκαλωτέρους ἐν τοῖς κινδύνοις, καὶ μὴν αἰδημονεστέρους τε καὶ ἐγκρατεστέρους, οἵ γε, καὶ ὧν δέονται μάλιστα, ταῦτ' αἰσχύνονται.*

Hesychius. *φιλόκαλος — φιλόκοσμος.* optime. Confer ex. gr. Memor. 3. 11. 9: *τίνι οὖν, ἔφη, τοιούτῳ φίλους ἂν ἐγὼ θηρῴην; ἐὰν νὴ Δί', ἔφη, ἀντὶ κυνὸς κτήσῃ ὅστις σοι ἰχνεύων μὲν τοὺς φιλοκάλους καὶ πλουσίους εὑρήσει, εὑρὼν δὲ μηχανήσεται ὅπως ἐμβάλῃ αὐτοὺς εἰς τὰ σὰ δίκτυα. καὶ ποῖα, ἔφη, ἐγὼ δίκτυα ἔχω; ἓν μὲν δήπου, ἔφη, καὶ μάλα εὖ περιπλεκόμενον τὸ σῶμα κτέ.* Pro *περιπλεκόμενον*, quod mendosum et ob *περι*, quod quomodo in textum venerit vide Bast Pal. pag. 788, et ob praesentis formam, modo corrigatur *πεπλεγμένον*. Etenim *δίκτυα πλέκεται.* Ex his igitur manifesto apparet *φιλόκαλος* significare *ὁ φιλῶν τὸ κάλλος* vel simile quid, non vero *ὁ φιλῶν τὰ καλὰ κἀγαθὰ* vel tale quidquam, quale requiritur inter *φιλόπονος* et *ἐν τοῖς κινδύνοις.* Itaque vox *φιλοκαλωτέρους* corrupta est. Ipse autem de voce, quam reposituri sumus, ut sententia fiat Graeca et bona, ex collatis his locis judices. Infra 8. 32: *τί δέ; τὰ νῦν καλὰ ἔργα οὐ πάντ' ἂν εὕροι τις ἕνεκ' ἐπαίνου ὑπὸ τῶν καὶ πονεῖν καὶ κινδυνεύειν ἐθελόντων πραττόμενα κτέ.* et § 37. Oecon. 14. 10: *τούτῳ γάρ μοι δοκεῖ, ἔφη, ὦ Σώκρατες, διαφέρειν ἀνὴρ φιλότιμος ἀνδρὸς φιλοκερδοῦς, τῷ ἐθέλειν ἐπαίνου καὶ τιμῆς ἕνεκα καὶ πονεῖν, ὅπου δεῖ, καὶ κινδυνεύειν κτέ.* et 21. 6. Hiero. 7. 1: *ἔοικεν, ἔφη, ὦ Ἱέρων, μέγα τ' εἶναι ἡ τιμή, ἧς ὀρεγόμενοι*

οἱ ἄνθρωποι πάντα μὲν πόνον ὑποδύονται πάντα δὲ κίνδυνον ὑπομένουσι. Et Memor. 3. 1. 10, — ubi ad quaestionem, qui milites, belli periculo instante, in prima acie collocandi sint, sic respondetur: ἆρα τοὺς φιλοτιμοτάτους προτακτέον; οὗτοι γοῦν εἰσιν, ἔφη, οἱ ἕνεκ' ἐπαίνου κινδυνεύειν ἐθέλοντες. Etc. quae omnia vocem, qua opus est, investigantibus evidentissimam promunt. Accedit, quod, si uncialibus litteris exaratur hoc modo *ΦΙΛΟΤΙΜΟΤΕΡΟΥC*, quam facile inde *ΦΙΛΟΚΑΛΩΤΕΡΟΥC* legi potuerit, cuique apparet. Uti enim pro *ΚΑΛΗ* saepius *ΙΚΑΝΗ*, sic etiam *ΚΑΛΗ*, *ΚΑΛΩΝ* pro *ΤΙΜΗ*, *ΤΙΜΩΝ*, lecto semel *Μ* ex *ΛΛ*, scripserunt librarii. Idem mendum vide Apol. Socr. 9: μὰ Δί', εἰπεῖν αὐτὸν, ὦ Ἑρμόγενες, ἐγὼ ταῦτ' οὐδὲ προθυμήσομαι· ἀλλ' ὅσων νομίζω τετυχηκέναι καλῶν καὶ παρὰ θεῶν καὶ παρ' ἀνθρώπων, καὶ ἣν ἐγὼ δόξαν ἔχω περὶ ἐμαυτοῦ, ταύτην ἀναφαίνων εἰ βαρύνω τοὺς δικαστὰς, αἱρήσομαι τελευτᾶν μᾶλλον ἢ ἀνελευθέρως τὸ ζῆν ἔτι προσαιτῶν κερδᾶναι τὸν πολὺ χείρω βίον ἀντὶ θανάτου, eademque opera exime legendo τιμῶν pro καλῶν, quam vocem sensus flagitat. Confer etiam § 14: ἄγε δὴ, ἀκούσατε καὶ ἄλλα, ἵν' ἔτι μᾶλλον οἱ βουλόμενοι ὑμῶν ἀπιστῶσι τῷ ἐμὲ τετιμῆσθαι ὑπὸ δαιμόνων. In illo autem Apologiae loco ταύτην ἀναφαίνων, neglecta elisione, male lectum esse ex ταῦτ' ἀναφαίνων, de cujusmodi mendis mox plura videbimus, et βαρύνω ex βαρυνῶ, etiam si hoc opusculum Xenophonte indignum judicamus, vix monendum est. — Mox ex Symposii verbis καὶ μὴν αἰδημ. ante αἰδημ. excidit καὶ, et in § 16 pro ἐγὼ οὖν μετὰ Κλεινίου non audiendus Schneiderus legens ἐγὼ μὲν οὖν, sed ἔγωγ' οὖν κτέ. reponatur, uti

docet § 14. *ἔγωγ᾽ οὖν — ἥδιον μὲν ἂν κτλ.* Caeterum in § 15: *ὡς εἰ σύ, ὦ Καλλία, μέγα φρονεῖς, ὅτι δικαιοτέρους δύνασαι ποιεῖν, ἐγὼ πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν δικαιότερός σου εἰμὶ ἄγειν ἀνθρώπους*, posteriora fere reddent auctoris sententiam sic scripta: *ἐγὼ πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν δυνάμενος ἄγειν ἀνθρώπους δικαιότερον σοῦ μέγα φρονῶ*. Conf. § 46, 51, 60 et Cap. 3. 11: *σύ γε μὴν — ἐπὶ τῷ γελωτοποιεῖν μέγα φρονεῖς; δικαιότερόν γ᾽, ἔφη, οἴομαι, ἢ Καλλιππίδης ὁ ὑποκριτής, ὃς ὑπερσεμνύνεται, ὅτι δύναται πολλοὺς κλαίοντας καθίζειν.* Sed nolimus hanc conjecturam pro emendatione venditare: nimia enim corruptio obtinuit quam ut conjectura quadam evidentiam assequi possimus. Hoc solummodo ostendere volebam, neque conjecturam *ἱκανώτερος* neque *δικαιότερος — ἄγων* quidquam proficere. Similiter in § 48: *καὶ πολὺ πλεῖον διαφέρει πρὸς ἡδονὴν ὅταν ἀναμείνας τὸ δεηθῆναι προσφέρωμαι ἢ ὅταν τινὶ τῶν τιμίων χρῶμαι· ὥσπερ καὶ νῦν τῷδε τῷ Θασίῳ οἴνῳ ἐντυχὼν οὐ διψῶν πίνω αὐτόν*, eximenda esse *πλεῖον* et *οἴνῳ* sexcenta docent exempla. At excidisse post *δεηθῆναι* haec *τι τῶν εὐτελῶν* et post alterum *ὅταν* haec *πρὶν δεηθῆναι* vel potius *πρὶν ἐπιθυμῆσαι*, ex contextu et hujus loci comparatione cum Memor. 3. 11. 11 et seqq. et Apol. 18. veri quidem simile fit: sed cum genuinae scriptionis vestigia omnino deleta sint, fieri potest ut etiam aliis verbis eandem sententiam expresserit auctor. — Sed haec duo *ἐν παρόδῳ*. Redeamus ad certa et evidentia.

§ 32. *ἀλλὰ καὶ Σωκράτει, ὅτε μὲν πλούσιος ἦν, ἐλοιδόρουν με, ὅτι συνῆν· νῦν δ᾽ ἐπεὶ πένης γεγένημαι, οὐκέτ᾽ οὐδὲν μέλει οὐδενί.*

Bene Hemsterhusius οὐδὲν pro οὐδὲ: attamen correctio absolvatur addendo ἐμοῦ ante μέλει. Similiter fere apud Arist. Vespp. 1287:

— κᾆθ' ὅτ' ἀπεδειρόμην,
οὐκτὸς ἐγέλων μέγα κεκραγότα θεώμενοι,
οὐδὲν ἄρ' ἐμοῦ μέλον, ὅσον δὲ μόνον εἰδέναι,
σκωμμάτιον κτέ.

Ejusdem incuriae exemplum vide § 37: ὅμως δὲ περίεστί μοι — ἀμφιέννυσθαι, ὥστ' ἔξω μὲν μηδὲν μᾶλλον Καλλίου τούτου τοῦ πλουσιωτάτου ῥιγοῦν. Ex ἀμφιεννυμένῳ enim factum ἀμφιέννυσθαι et ante μηδὲν excidit ὤν. In sequentibus autem legentes τουτουὶ lubenter assentimur ejiciendum censenti τοῦ πλουσιωτάτου. Et in § 40: πλείστου δ' ἄξιον κτῆμα ἐν τῷ ἐμῷ πλούτῳ λογίζομαι εἶναι ἐκεῖνο, ὅτι, εἴ μού τις καὶ τὰ νῦν ὄντα παρέλοιτο, οὐδὲν οὕτως ὁρῶ φαῦλον ἔργον, ὁποῖον οὐκ ἀρκοῦσαν ἂν τροφὴν ἐμοὶ παρέχοι, illa εἴ μού τις hunc habuerunt ordinem εἴ τίς μου: tum pro ἐμοὶ fuit μοι. Et superius § 9: εἰς μὲν γὰρ μάχην ὡρμωμένῳ (leg. plur. ὡρμωμένοις) καλῶς ἔχει —. ἡμεῖς δ' ἴσως βουλευόμεθα, ὅπως φιλήσομέν τινα μᾶλλον ἢ μαχούμεθα, post ἢ excidit ὅπως in hujusmodi constructione repetendum. Quae sunt contrarii generis menda ac quae in initio hujus capitis exemimus. Videamus de nonnullis in quibus constructio pessumdata est.

§ 47. καὶ μὴν ὅτι νομίζομέν γε δύνασθαι αὐτοὺς καὶ εὖ καὶ κακῶς ποιεῖν, καὶ τοῦτο σαφές· πάντες γοῦν αἰτοῦνται τοὺς θεοὺς τὰ μὲν φαῦλα ἀποτρέπειν τἀγαθὰ δὲ διδόναι.

Absurdum et inauditum sic legere: τοὺς θεοὺς ἡγοῦνται πάντ' εἰδέναι —. πᾶσαι γοῦν αἱ πόλεις — ἐπερω-

τῶσι —. καὶ — νομίζομεν —· πάντες γοῦν αἰτοῦνται. Itaque corrigendum νομίζουσι, uti praeterea clamat illud τοῦτο σαφές. — Eodem modo tres litterae turbant constructionem in mox sequentibus his: διὰ δὲ τὸ προειδέναι, καὶ ὅ τι ἐξ ἑκάστου ἀποβήσεται, σημαίνουσί μοι πέμποντες ἀγγέλους φήμας, καὶ ἐνύπνια, καὶ οἰωνοὺς, ἅ τε δεῖ καὶ ἃ οὐ χρὴ ποιεῖν. nam καὶ non est quale est in his § 26: ἴσως δὲ καὶ, διὰ τὸ κτἑ. Tale vero esset, sic constructis reliquis: σημαίνουσι δέ μοι καὶ, διὰ τὸ προειδέναι ὅ τι κτἑ. non enim σημαίνουσιν ὅ τι ἐξ ἑκάστου ἀποβ., sed ἃ δεῖ ποιεῖν. Itaque ὅ τι ἐξ ἑκ. ἀποβ. cum προειδέναι jungendum, et καὶ cum commate praecedente elidendum. Confer Apol. § 12: καινά γε μὴν δαιμόνια πῶς ἂν ἐγὼ εἰσφέροιμι λέγων ὅτι θεοῦ μοι φωνὴ φαίνεται σημαίνουσα ὅ τι χρὴ ποιεῖν; καὶ γὰρ οἱ φθόγγοις οἰωνῶν καὶ φήμαις ἀνθρώπων χρώμενοι φωναῖς δήπου τεκμαίρονται. βροντὰς δ' ἀμφιλέξει τις ἢ μὴ φωνεῖν ἢ μὴ μέγιστον οἰωνιστήριον εἶναι; Sed in his corrige σημαίνοντος ad θεοῦ id referens, et pro τις ἢ μὴ φωνεῖν lege τίς ἢ μὴ φωνὴν. Caeterum in ἃ οὐ χρὴ pro ultima voce requiri δεῖ, eandem quae praecedit, omnia hujusmodi exempla docent. — Tertium exemplum constructionis a dormitantibus et imperitis scribis pessumdatae vide § 51: ἐμοὶ γὰρ αὖ τῶν φίλων οἱ μὲν εὖ πράττοντες ἐκ ποδῶν ἀπέρχονται, οἳ δ' ἂν κακόν τι λάβωσι, γενεαλογοῦσι τὴν συγγένειαν κτἑ. Nimirum ἔναυλον adhuc habentes ὅταν δέ τι κακὸν λάβωσι, quod paullo superius, eadem fere verba mox recurrentia in eadem constructione scripserunt. Xenophon autem scripserat ὅταν μέν τι ἀγαθὸν ἔχωσι, deinde eadem sententia utens scripsit οἱ μὲν εὖ πράττοντες, et eadem ra-

tione deinde οἱ δὲ κακόν τι λαβόντες, alia adhibita constructione, quam gaudet variare, si quis alius. Atticum enim non est οἳ δὲ pronomen excipiens articulum οἱ μὲν in priore membro, cui utrique genitivus est communis, qualis τῶν φίλων. — His accedat § 62: οἶδα μὲν, ἔφη, σὲ Καλλίαν τουτονὶ προαγωγεύσαντα τῷ σοφῷ Προδίκῳ —· οἶδα δέ σε Ἱππίᾳ τῷ Ἠλείῳ —, ubi inter δ' Ἱππίᾳ ellipsin quodammodo explere conati sunt interponendo σε. Et § 64: ὁ γὰρ οἷός τ' ὢν γιγνώσκειν τε τοὺς ὠφελίμους αὐτοῖς, καὶ τούτους δυνάμενος ποιεῖν ἐπιθυμεῖν ἀλλήλων κτέ. unde exime τε; nam καὶ non infinitivum, sed participium δυνάμενος jungit praecedentibus.

§ 55. ταῦτα γὰρ, ἔφη ὁ Φίλιππος, καὶ πρώην ἐγώ σου ἤκουον εὐχομένου πρὸς τοὺς θεοὺς, ὅπου ἂν ᾖς, διδόναι καρποῦ μὲν ἀφθονίαν φρενῶν δ' ἀφορίαν.

Recte Schneiderus ταῦτ' ἄρα conjicit, immerito tamen de sua ipse conjectura dubitans. Confer supra § 28: ταῦτ' ἄρ', ἔφη, ἐγὼ ὥσπερ ὑπὸ θηρίου τινὸς δεδηγμένος τόν τ' ὦμον πλεῖν ἢ πέντε ἡμέρας ὤδαξον κτέ. Sed scribe πένθ'. Conf. annotata ad Anab. 7. 1. 3. Tum ultimorum verborum praecedentis paragraphi ὦμῳ ἔχοντα omitte prius, coll. 5, 10. At plura vide apud Aristophanem in Nubium anapaestis exempla illius ταῦτ' ἄρα, qua utitur cum quadam admiratione rem aliquam reminiscens, cujus causa adhuc occulta ei videbatur. Verum praeterea ex palaeographia firma hujusmodi emendationibus accedunt argumenta, nec non orthographiae loco de elisione et crasi. Uti enim ex *ΤΑΥΤΑΝΑΦΑΙΝΩΝ* Apol. Socr. 9 male legerunt ταύτην ἀναφαίνων, sic etiam ex *ΤΑΥΤΑΡ* fecerunt ταῦτα γάρ, ex posteriore syllaba semel perverse lecto γάρ. Operae pretium est his

haec tria ejusdem generis conferre exempla. Oecon. 1. 7: *σὺ δ' ἔοικας τὰ ἑκάστῳ ὠφέλιμα κτήματα καλεῖν. πάνυ μὲν οὖν, ἔφη· τὰ δέ γε βλάπτοντα ζημίαν ἔγωγε νομίζω μᾶλλον ἢ χρήματα*, ubi ex *ΕΓΩΓΟΝΟΜΑΖΩ* non attendentes ad elisionem male legerunt *ἔγωγε νομίζω*. Sensus enim synonymum *τοῦ καλεῖν* flagitat. Quare lege *ἔγωγ' ὀνομάζω*. — Porro ibid. § 11: *καὶ ὁμολογουμένως γε, ὦ Σώκρ., ὁ λόγος ἡμῖν χωρεῖ, ἐπείπερ εἴρηται τὰ ὠφελοῦντα χρήματα εἶναι*, ubi corrigenti *καὶ δι' ὁμολογουμένων γε* quis non assentiatur, cum Graecum non sit *ὁ λόγος χωρεῖ ὁμολογουμένως*. Scribamus igitur uncialibus litteris sic: *ΚΑΙΔΙΟΜΟΛΟΓΟΥΜΕΝΩΝ*, ut appareat quam facile *ΔΙ* a *ΚΑΙ* absorberi potuerit et deinde reliqua corrumpi. Confer Memor. 4. 6. 15: *ὁπότε δ' αὐτός τι τῷ λόγῳ διεξίοι, διὰ τῶν μάλιστα ὁμολογουμένων ἐπορεύετο κτἑ.* — Denique ibid. § 16: *ἀλλὰ γὰρ τὰ μὲν καλῶς ἔμοιγε δοκεῖ λέγεσθαι, ὦ Σώκρ., ἔφη ὁ Κριτοβ., ἐκεῖνο δ' ἡμῖν τί φαίνεται·* ubi *γὰρ* prorsus est nihili. Verum ad aliam argumenti partem transituri, semper dicunt *ἀλλὰ ταῦτα μὲν κτἑ.* Confer Oecon. 6. 1: *ἀλλὰ ταῦτα μὲν, ἔφη, ὦ Σώκρ., καλῶς μοι δοκεῖς λέγειν κτἑ*, et 16. 3: *ἀλλὰ ταῦτα μὲν, ἐγὼ ἔφην, ὦ Ἰσχ., ἱκανῶς* (insere *μοι*) *δοκῶ καταμεμαθηκέναι —· καὶ γὰρ, ἦ ἔφησθα εὔνουν σοι ποιεῖν αὐτὸν μαθεῖν* (lege compos. *καταμαθεῖν*) *δοκῶ κτἑ.*, et sic fere ubique. *ἀλλὰ γὰρ* vero est ratiocinationem atque orationem interrumpentis. Vide v. c. Oec. 11. 11 et 12. 1. Itaque etiam hic, semel perperam lecto *τὰ μὲν*, male legerunt *γὰρ τὰ μὲν* ex *ΤΑΥΤΑΜΕΝ*.

Lugduni Batavorum m. Nov. a. 1849.

EMENDATIONES IN LYSIA.

SCRIPSIT

G. A. HIRSCHIG.

(Edit. Imm. Bekkeri Berolini 1823.)

Orat. I. pag. Steph. 92. § 5.

Ἐγὼ τοίνυν ἐξ ἀρχῆς ὑμῖν ἅπαντ' ἐπιδείξω τἀμαυτοῦ πράγματα, οὐδὲν παραλείπων, ἀλλὰ λέγων τἀληθῆ· ταύτην γὰρ ἐμαυτῷ μόνην ἡγοῦμαι σωτηρίαν, ἐὰν ὑμῖν εἰπεῖν ἅπαντα δυνηθῶ τὰ πεπραγμένα. Non respondent sibi verba *οὐδὲν παραλείπων* et *ἀλλὰ λέγων τἀληθῆ*: scribere enim debuisset auctor *οὐ ψευδόμενος ἀλλὰ λέγων τἀληθῆ*; excidit *ἅπαντα* post *ἀλλὰ*. Cf. v. c. Orat. III. pag. 96. § 3: *ἐπειδὴ δὲ Σίμων με εἰς τοιαύτην ἀνάγκην κατέστησεν, οὐδὲν ἀποκρυψάμενος ἅπαντα διηγήσομαι πρὸς ὑμᾶς τὰ πεπραγμένα.* Cff. Orat. I. p. 93. § 18. Fragm. 45: *πάντα γὰρ εἰρήσεται τἀληθῆ πρὸς ὑμᾶς.* Andoc. Orat. I. p. 2. § 8: *κράτιστον οὖν μοι εἶναι δοκεῖ ἐξ ἀρχῆς ὑμᾶς διδάσκειν πάντα τὰ γενόμενα καὶ παραλιπεῖν μηδέν.* Lys. Fragm. 6: *δίκαιος δ' εἶ μηδὲν παραλιπεῖν ἀλλ' εἰπεῖν ἅπαντα, κτέ.*

Ibid. p. 93. § 14.

— *ἔδοξε δέ μοι, ὦ ἄνδρες, τὸ πρόσωπον ἐψιμυθιῶσθαι, τοῦ ἀδελφοῦ τεθνεῶτος οὔπω τριάκονθ' ἡμέρας· ὅμως δ'*

οὐδ' οὕτως οὐδὲν εἰπὼν περὶ τοῦ πράγματος, ἐξελθὼν ᾠχόμην ἔξω σιωπῇ. Corruptum esse εἰπὼν indicat sequens σιωπῇ; scribendum est ὑπονοῶν. Vide quae proxime praecedunt: ἐσιώπων ἐγὼ καὶ ταῦθ' οὕτως ἔχειν ἡγούμην; § 13: κἀγὼ μὲν ἐγέλων, ἐκείνη δ' ἀναστᾶσα καὶ ἀπιοῦσα προστίθησι τὴν θύραν, προσποιουμένη παίζειν καὶ τὴν κλεῖν ἐφέλκεται. κἀγὼ τούτων οὐδὲν ἐνθυμούμενος οὐδ' ὑπονοῶν ἐκάθευδον ἄσμενος, ἥκων ἐξ ἀγροῦ. Postquam muliercula illi rem narraverat, (vid. § 17) πάντ' εἰς τὴν γνώμην εἰσῄει καὶ μεστὸς ἦν ὑποψίας.

Ibid. p. 94. § 24.

κἀγὼ — ἐξέρχομαι, καὶ ἀφικνοῦμαι ὡς τὸν καὶ τόν, καὶ τοὺς μὲν ἔνδον κατέλαβον, τοὺς δ' οὐκ ἐπιδημοῦντας εὗρον. παραλαβὼν δ' ὡς οἷόν τ' ἦν πλείστους ἐκ τῶν παρόντων ἐβάδιζον. Lege ὡς οἷός τ' ἦν. Cf. § 42: οὓς οἷός τ' ἦν παρέλαβον et οὓς δ' οἷός τ' ἦν λαβὼν ἐβάδιζον. Fragm. 32: — τῶν χαλκωμάτων ὅσ' οἷός τ' ἦν πλεῖστα ὑπὸ μάλης λαβὼν ἐξήγαγε.

Orat. II. p. 191. § 14.

— ἐκείνους τ' οὐκ εἰδότες ὁποῖοί τινες ἄνδρες ἔσονται γενόμενοι κτέ. Transponamus ἄνδρες post ἔσονται.

Ibid. p. 193. § 32.

— Λακεδαιμόνιοι δὲ — οὐχ ἡττηθέντες τῶν ἐναντίων, ἀλλ' ἀποθανόντες οὗπερ ἐτάχθησαν [μάχεσθαι.] Delendum μάχεσθαι, quod nec auctor hujus orationis addere potuit τῷ οὗπερ ἐτάχθησαν. Cf. Lycurg. Orat. p. 154. § 48.

Ibid. p. 196. § 58.

Ἐπέδειξαν δὲ καὶ ἐν ταῖς δυστυχίαις τὴν ἑαυτῶν ἀρετήν. Lege ἐπεδείξαντο. Vide p. 191. § 10: ἀλλ' ἐκείνοις μὲν ἀντὶ τῆς ἀσεβείας τὴν ἑαυτῶν ἀρετὴν ἐπεδείξαντο. p. 197.

§ 68: *πᾶσιν ἀνθρώποις φανερὰν τὴν αὑτῶν ἀρετὴν ἐπεδείξαντο.* Recte activum legitur p. 194. § 41: *ἐπέδειξαν δὲ πᾶσιν ἀνθρώποις — ὅτι κρεῖττον κτέ.* Cff. Isocrat. Panegyr. p. 58. a. § 96: *Ἐπεδείξαντο δὲ τὰς αὑτῶν ἀρετὰς πρῶτον μὲν ἐν τοῖς ὑπὸ Δαρείου πεμφθεῖσιν.* Ibid. p. 59. c. § 103: *— ἐπιδείξαντες αὑτοῖς, ὁμοίως ἐν τοῖς ναυτικοῖς κινδύνοις, ὥσπερ ἐν πεζοῖς, τὴν ἀρετὴν τοῦ πλήθους περιγιγνομένην.* Restitue medium in Lys. Orat. XVIII. p. 149. § 3. Cf. § 4.

Orat. III. p. 96. § 3.

μάλιστα δ' ἀγανακτῶ, ὦ βουλή, ὅτι περὶ τῶν τραυμάτων εἰπεῖν ἀναγκασθήσομαι πρὸς ὑμᾶς, ὑπὲρ ὧν ἐγὼ αἰσχυνόμενος, εἰ μέλλοιεν πολλοί μοι συνείσεσθαι, ἠνεσχόμην ἀδικούμενος. Marklandus bene vidit, corrigendum esse *πραγμάτων* pro *τραυμάτων*; delet autem *τῶν*. Sensus nobis postulare videtur *τοιούτων* pro *τῶν*. Sic in fine orationis: *ὥστε δικαίως ἂν ὑφ' ὑμῶν — ἐλεηθείην, — ὅτι ἠναγκάσθην ἐκ τοιούτων πραγμάτων εἰς τοιούτους ἀγῶνας καταστῆναι.*

Ibid. p. 98. § 23.

Οὗτος δὲ τοιοῦτον οὐδὲν πώποτε φαίνεται ποιήσας, ὑβρίζων δὲ καὶ τύπτων ἀμφοτέρους ἡμᾶς καὶ κωμάζων καὶ τὰς θύρας ἐκβάλλων καὶ νύκτωρ εἰσιὼν ἐπὶ γυναῖκας ἐλευθέρας. Quid significat *τὰς θύρας ἐκβάλλων*? Videntur nonnulla suo loco mota esse, nonnulla excidisse. Fortasse haec ita restituenda: *ὑβρίζων δὲ καὶ τύπτων καὶ βάλλων ἀμφοτέρους ἡμᾶς καὶ κωμάζων καὶ τὰς θύρας ἐκκόπτων καὶ νύκτωρ εἰσιὼν ἐπὶ γυναῖκας ἐλευθέρας.* Cf. § 6: *μεθύων ἐκκόψας τὰς θύρας εἰσῆλθεν εἰς τὴν γυναικωνῖτιν κτέ.* Cf. etiam § 18.

Ibid. p. 100. § 41.

ἔπειτα δὲ καὶ οὐδεμίαν ἡγούμην πρόνοιαν εἶναι τραύματος, ὅστις μὴ ἀποκτεῖναι βουλόμενος ἔτρωσε. Dicitur τραῦμα ἐκ προνοίας, non item πρόνοια τραύματος; librarius addidit τραῦμα, quo facile caremus. Cf. Orat. IV. p. 101. § 7: καίτοι φανερὸν ἤδη ὅτι οὐ πρόνοια γεγένηται — ὥστε πῶς ταῦτ' ἐστὶ πρόνοια;

Orat. IV. p. 101. § 2.

τὴν δ' αἰτίαν δι' ἣν ἀπέδωκεν ἃ ἔλαβεν, οὐκ ἂν ἄλλην ἔχοι εἰπεῖν (βουλόμενος τἀληθῆ λέγειν) ἢ ὅτι κτέ. Lege βουλόμενός γ' ἀληθῆ λέγειν. De γε cum participio cf. Vig. De Gr. Dial. Idiot. Lips. 1834 pag. 490 Nota 99. ἀληθῆ λέγειν occurrit etiam § 12.

Orat. V. p. 102. § 1.

— νῦν δέ μοι δοκεῖ αἰσχρὸν εἶναι, κελεύοντος καὶ δεομένου καὶ φίλου ὄντος κἀμοὶ καὶ — τῷ πατρὶ μὴ βοηθῆσαι Καλλίᾳ τὰ δίκαια κτέ. Facile κελεύοντος praecedente jota (ultima littera τοῦ βοηθῆσαι) scribi potuit pro ἱκετεύοντος, quum autem ἱκετεύω καὶ δέομαι quavis fere pagina in auctoribus Atticis juncta reperiantur, et hoc loco oratorem ἱκετεύοντος scripsisse admodum probabile est et in fragm. XLVI fin., ubi male nunc legitur: αἰσχρὸν οὖν μοι δοκεῖ εἶναι κελεύοντος τούτου καὶ δεομένου τὰ δίκαια — περιιδεῖν αὐτὸν κτέ. Observamus πείθω καὶ δέομαι melius jungi posse et juncta legi v. c. apud Demosth. in Leoch. p. 1086 fin.: πειθόντων δὲ τῶν οἰκείων καὶ δεομένων ἐᾶν ἐν τῷ οἴκῳ εἶναι τὸν Λεωκράτην κτέ.; apud Andocid. de Myst. p. 3. § 17: ὁ δὲ πείσας καὶ δεόμενος μεῖναι τὸν πατέρα ἐγὼ ἦν μάλιστα κτέ., quo in loco videtur scribendum ὑπομεῖναι. Cf. § 19: ἔλεξαν γὰρ ὡς ἐγὼ ἀπογράψαιμί τε τὸν πατέρα τὸν ἐμαυτοῦ [παρόντα], λόγον — ἀνοσιώτατον λέγοντες· ὁ μὲν γὰρ ἀπογράψας

αὐτὸν Λυδὸς ἦν — ὁ δὲ πείσας ὑπομεῖναι — ἐγὼ πολλὰ ἱκετεύσας καὶ λαμβανόμενος τῶν γονάτων. Dele *παρόντα.* Cf. sequens *ἀπογράψας* et § 17: *καὶ ἀπογράφει τούς τ' ἄλλους καὶ τὸν πατέρα ἔφη τὸν ἐμὸν παρεῖναι κτἑ.* Cf. § 67: *τότε δ' ἀπέγραψα τέτταρας ἄνδρας, Παναίτιον κτἑ.*

Orat. VI. p. 103. § 5.

καὶ τίνα γνώμην οἴεσθε ἕξειν τοὺς μύστας — ἐπειδὰν ἀναμνησθῶσι πάντα τὰ ἠσεβημένα αὐτῷ —; οὐδὲ γὰρ ἀγνὼς ὁ Ἀνδοκίδης οὔτε τοῖς ἔξω οὔτε τοῖς ἐνθάδε [διὰ τὰ ἠσεβημένα]. ἀναγκαίως γὰρ ἔχει ἀπὸ τῶν πολὺ διαφερόντων ἢ κακῶν ἢ ἀγαθῶν ἔργων τοὺς ποιήσαντας γιγνώσκεσθαι. Delenda quae uncis inclusi, quoniam addere hoc orator non potuit iis quae modo dixit *ἐπειδὰν ἀναμνησθῶσι πάντα τὰ ἠσεβημένα.* In iis quae proxime sequuntur *ἀναγκ. γὰρ ἔχει κτἑ.* docet orator duo hominum esse genera, qui ignoti esse non possint; ad quodnam genus Andocides pertineat, satis superque indicaverat. Expungendum quoque ultimum *κακόν.* § 7: *ὃς ταύτην τέχνην ἔχει τοὺς μὲν ἐχθροὺς μηδὲν ποιεῖν κακὸν, τοὺς δὲ φίλους ὅ τι ἂν δύνηται κακόν.* Cf. v. c. Orat. IX. p. 116. § 20. Orat. VII. p. 111. § 37 haec leguntur: *ὥστε πολὺ μᾶλλον τοῦτον παραλαμβάνειν ἐχρῆν ἢ ἐμὲ παραδοῦναι προσήκει.* Deberet *προσῆκεν*, tum vero *ἐμοὶ* in tali constructione, sed dele: intelligendum enim; nec solent ista Attici adscribere, quemadmodum orator non adscripsit *μαρτυρεῖν* in proxime seqq: *ἐνθυμεῖσθαι δὲ χρὴ — ποτέροις χρὴ πιστεύειν μᾶλλον, οἷς πολλοὶ μεμαρτυρήκασιν ἢ ᾧ μηδεὶς τετόλμηκε, καὶ κτἑ.* Aliis locis librarii talia adscripsere, paucis aliis non adscripsere, uti l. l.

Ibid. p. 106. § 38.

ὡς οὖν οὐδὲν προσήκει Ἀνδοκίδῃ τῶν συνθηκῶν, περὶ τούτου λέξω, οὔτε μὰ τὸν Δία τῶν πρὸς Λακεδαιμονίους, ἃς ὑμεῖς συνέθεσθε, οὔτε τῶν πρὸς τοὺς ἐν τῷ ἄστει οἱ ἐκ Πειραιῶς. Excidit ἃς ante οἱ.

Ibid. p. 107. § 50.

— δοκείτω δ' ὑμῖν ἡ γνώμη ὁρᾶν ἃ οὗτος ποιεῖ κτέ. Lege ex ΟΥΤΟΣΠΟΙΕΙ — ΟΥΤΟΣΕΠΟΙΕΙ. Vide sequentia: οὗτος γὰρ — ἐπεδείκνυ κτέ.

Orat. VII. p. 108. § 4.

Ἦν μὲν γὰρ τοῦτο Πεισάνδρου τὸ χωρίον, δημευθέντων δὲ τῶν ὄντων ἐκείνου Ἀπολλόδωρος — ἐγεώργει, ὀλίγῳ δὲ πρὸ τῶν τριάκοντα Ἀντικλῆς — ἐξεμίσθωσεν — ἐγὼ δὲ παρ' Ἀντικλέους — ὠνούμην κτέ. Delendum ὄντων. — Praeterea hoc loco τοῦτο stare non posse quivis videt; licet facilis sit transpositio Π. τοῦτο τὸ χωρίον, non credo oratorem hoc scripsisse; sufficit enim τὸ χωρίον. Cf. § 9. Confunduntur (vide Miscell. Phil. et Paed. Fascic. I. p. 195) πρῶτον et τοῦτον; illud hic legendum esse suspicor.

Ibid. p. 110. § 18.

— οἳ οὐ μόνον ἀλλήλων ταῦτ' ἴσασιν ἃ πᾶσιν ὁρᾶν ἔξεστιν ἀλλὰ καὶ περὶ ὧν ἀποκρυπτόμεθα μηδένα εἰδέναι, καὶ περὶ ἐκείνων πυνθάνονται. Graecum non est ἀποκρ. μηδένα εἰδέναι. Suspicor excidisse καὶ οἰόμεθα post ἀποκρυπτόμεθα.

Ibid. p. 111. § 32.

οὔτ' ἂν περὶ φυγῆς οὔτ' ἂν περὶ τῆς ἄλλης οὐσίας ἠγωνιζόμην. Dele ἄλλης. Cf. § 3: καὶ περὶ τῆς πατρίδος καὶ περὶ τῆς οὐσίας ἀγωνίσασθαι.

Orat. IX. p. 116. § 21.

πραχθεὶς δ' ὑπὸ τῶνδε, εἰ ἀδίκως ἁλοίην ἀποδραίην ἄν. —

Lege παραχθείς. Cf. p. 115. § 18: παραγαγόντες δὲ πάλιν περὶ τῶν αὐτῶν κτἑ.; Andocid. Orat. I. p. 15. § 111, ubi bene correctum est παράξειν — πρὸς τὴν βουλὴν κτἑ. pro eo quod legitur προσάξειν.

Orat. X. p. 117. § 12.

καίτοι περὶ μὲν τοῦ ῥῖψαι οὐδὲν τῷ νόμῳ εἴρηται κτἑ. Excidit ἐν post οὐδέν. Cf. § 9.

Ibid. p. 118. § 29.

ὅσῳ μείζους εἰσὶ καὶ νεανίαι τὰς ὄψεις κτἑ. Lege νεανικώτεροι.

Orat. XII. p. 121. § 14.

σὺ οὖν ταῦτα πάσχοντί μοι πρόθυμον παράσχου τὴν σεαυτοῦ δύναμιν εἰς τὴν ἐμὴν σωτηρίαν. Lege προθύμως.

Ibid. p. 127. § 78.

τοσούτων οὖν καὶ ἑτέρων κακῶν — αἰτίου γεγενημένου. τολμήσουσιν αὐτοὺς φίλους ἀποφαίνειν, οὐχ ὑπὲρ ὑμῶν ἀποθανόντος [Θηραμένους] ἀλλ' ὑπὲρ τῆς αὐτοῦ πονηρίας κτἑ. Delendum Θηραμένους, quoniam de Theramene sermo est; nec quisquam ita loquitur ut in priori sententiae membro nomen non addat, (quum e praecedentibus satis perspicuum sit quis intelligatur), sed in posteriori; genitivus appositus satis indicat de eadem persona oratorem loqui.

Ibid. § 79.

ἥκει δ' ὑμῖν ὁ καιρὸς, ἐν ᾧ δεῖ συγγνώμην καὶ ἔλεον μὴ ἐνεῖναι ἐν ταῖς ὑμετέραις γνώμαις. Scripsi ἐνεῖναι pro εἶναι, quod saepe a librariis pro illo scribitur. — Vide v. c. Orat. VII. p. 108. § 5: οὔτε σηκὸς ἐνῆν ἐν αὐτῷ.

Ibid. p. 128. § 84.

— ἐπειδὴ τοίνυν πάντα ποιοῦντες δίκην παρ' αὐτῶν οὐκ ἂν δύναισθε λαβεῖν, πῶς οὐκ αἰσχρὸν ὑμῖν καὶ ἡντινοῦν

ἀπολιπεῖν κτὲ. Excidit *ἱκανὴν* ante *δίκην*. Cf. § 83: *τί γὰρ ἂν παθόντες δίκην τὴν ἀξίαν εἴησαν τῶν ἔργων δεδωκότες; πότερον εἰ αὐτοὺς ἀποκτείνοιτε καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν, ἱκανὴν ἂν τοῦ φόνου δίκην λάβοιμεν —;*

Orat. XIII. p. 131. § 15.

ὁρῶντες δ' οὗτοι οἱ ἄνδρες ὀνόματι μὲν εἰρήνην λεγομένην, τῷ δ' ἔργῳ τὴν δημοκρατίαν καταλυομένην κτὲ. Scribendum *γενομένην* pro *λεγομένην*, quae a librariis confunduntur. Vide notam Schaef. ad Greg. de Dial. p. 10.

Ibid. § 26.

— καίτοι, ὦ Ἀγόρατε, εἰ μή τί σοι ἦν παρεσκευασμένον καὶ ἐπίστευες μηδὲν κακὸν πείσεσθαι, πῶς οὐκ ἂν ᾤχου κτὲ. Sensus postulat *ᾧ ἐπίστευες*. Cf. v. c. p. 132. § 28: *ἔπειτ' οὐ πατρίδα ἂν σαυτοῦ ἀπέλιπες ὥστ' ἐκ παντὸς τρόπου σοὶ μᾶλλον ἐκπλεῦσαι ἢ ἐκείνοις συνέφερεν, εἰ μή τι ἦν ᾧ ἐπίστευες.* Pro *ἀπέλιπες* lege *κατέλιπες*. Cff. v. c. praecedentia: *ἔπειτα πατρίδα καταλιπόντες.*

Ibid. p. 136. § 66.

— γυναῖκας τοίνυν τῶν πολιτῶν τοιοῦτος ὢν μοιχεύειν — ἐπεχείρησε καὶ ἐλήφθη μοιχός· [καὶ τούτου θάνατος ἡ ζημία ἐστίν.] Ὡς δ' ἀληθῆ λέγω, μάρτυρας κάλει. Quae uncis inclusi, postea a librariis adscripta esse indicant sequentia: *ὡς δ' ἀληθῆ λέγω μάρτυρας κάλει;* haec enim pertinent ad verba *ἐλήφθη μοιχός;* legem citavisset orator si, quae delevimus, scripsisset.

Ibid. § 73.

Οὕτω μέντοι οὗτος πολὺ ὑμῶν καταφρονεῖ ὥστ' οὐκ ὢν Ἀθηναῖος καὶ ἐδίκαζε καὶ ἐξεκλησίαζε κτὲ. Legendo *οὗτος μέντοι οὕτως ὑμῶν κατεφρόνει ὥστ' — ἐδίκαζε κτὲ.* facillima ratione ista emendantur. Imperfectum requi-

ritur ob sequens imperf. ἐδίκ. Cf. Orat. XIV. p. 140. § 9: οὗτος τοίνυν εἰς τοῦτ' ἦλθε πονηρίας καὶ οὕτως ὑμῶν κατεφρόνησε κτἑ. Sequuntur haec: ἔπειτα δὲ καὶ ἕτερον μέγα τεκμήριον ὡς οὐκ ἂν ἀπέκτεινε Φρύνιχον δι' ὃν Ἀθηναῖός φησι γεγενῆσθαι κτἑ. Dele ἄν. Cf. § 74 et scribe δι' ὅ, quapropter, id est quoniam, ut perhibet, Phrynichum interfecit. Cf. § 76: ἔρεσθ' αὐτὸν διότι φησὶν Ἀθηναῖος ποιηθῆναι.

Orat. XIV. p. 140. § 11.

θαυμάζω δὲ — εἴ τις ἀξιοῖ, ἐὰν μέν τις προσιόντων τῶν πολεμίων τῆς πρώτης τάξεως τεταγμένος τῆς δευτέρας γένηται, τούτου μὲν δειλίαν καταψηφίζεσθαι, ἐὰν δέ τις ἐν τοῖς ὁπλίταις τεταγμένος ἐν τοῖς ἱππεῦσιν ἀναφανῇ, τούτῳ συγγνώμην ἔχειν. Sequens συγγνώμην ἔχειν, cujus contrarium, id est καταψηφίζεσθαι, requiritur, indicat hic delendum esse δειλίαν: quum luce clarius pateat de nulla alia re agi nisi de crimine δειλίας. Cf. § 13, ubi prorsus eadem occurrunt. Hujusmodi additamenta librarii apposuerunt, ut rem scilicet explicarent. Saepe hoc modo sensum corruperunt; quemadmodum in sq. loco, cui eadem medela adhibenda videtur, § 16. p. 141: ἀναβαίνοντες δ' ὑμᾶς ἐξαιτήσονται καὶ ἀντιβολήσουσιν, οὐκ ἀξιοῦντες τοῦ Ἀλκιβιάδου υἱέος [τοσαύτην δειλίαν] καταγνῶναι, ὡς ἐκεῖνον πολλῶν ἀγαθῶν ἀλλ' οὐχὶ πολλῶν κακῶν αἴτιον γεγενημένον κτἑ. Si orator scripsisset τοσαύτην δειλίαν, addidisset „patre tam forti natum." Nec sanum est ἐξαιτήσονται: Graecum enim est ἀναβ. δὲ παρ' ὑμῶν αὐτὸν ἐξαιτ. Cf. § 20 et Orat. XXI. p. 163. § 17. legendum est αἰτήσονται. Cf. Arist. Vesp. vs. 980:

ποῦ τὰ παιδία;
ἀναβαίνετ', ὦ πόνηρα, καὶ κνυζούμενα
αἰτεῖσθε κἀντιβολεῖτε καὶ δακρύετε.

Ibid. p. 142. § 28.

Ἱππόνικος δὲ πολλοὺς παρακαλέσας ἐξέπεμψε τὴν αὑτοῦ γυναῖκα, φάσκων τοῦτον ὡς οὐκ ἀδελφὸν αὐτῆς ἀλλ' ὡς ἄνδρα ἐκείνης εἰς τὴν οἰκίαν εἰσιέναι τὴν ἑαυτοῦ. Transponimus ita *οὐχ ὡς ἀδελφὸν*, delemusque sequens *ἐκείνης*.

Ibid. p. 143. § 42.

οἱ δὲ μυστήρια πεποιήκασι καὶ τοὺς Ἑρμᾶς περικεκόφασι κτέ. Lege *τὰ μυστήρια*. Vide Andocid. Orat. I. p. 2. § 11.

Orat. XVIII. p. 150. § 7.

συνήδεσαν γὰρ ἅπασιν αὐτοῖς ὑπὸ τῆς πολιτείας (Dobr. *πόλεως*) *τιμωμένοις, καὶ πολλαχοῦ μὲν ὑπὲρ ὑμῶν κεκινδυνευκόσι, μεγάλας δ' εἰσφορὰς εἰσενηνοχόσι καὶ λελειτουργηκόσι κάλλιστα, καὶ τῶν ἄλλων οὐδενὸς πώποτ' ἀποστᾶσιν ὧν ἡ πόλις αὐτοῖς προσέταξεν, ἀλλὰ προθύμως λειτουργοῦσι. καίτοι τίνες ἂν ἡμῶν εἴησαν δυστυχέστεροι, εἰ ἐν μὲν τῇ ὀλιγαρχίᾳ ἀπεθνήσκομεν (ὡς) εὖνοι ὄντες τῷ πλήθει, ἐν δὲ τῇ δημοκρατίᾳ ὡς κακόνοι ὄντες τῷ πλήθει ἀποστεροίμεθα τῶν ὄντων; καὶ μὲν δὴ — καὶ Διόγνητος — οὔτ' ἐπὶ τὴν πόλιν ἐστρατεύσατο κτέ.* Jam Dobreus animadvertit bis *λειτουργεῖν* hic stare non posse. Mutare voluit *λειτουργοῦσι* in *ὑπουργοῦσι* vel *ὑπηρετοῦσι*, adnotans »per se bonum esse *λειτουργεῖν*." Recte. Cf. v. c. Orat. XXV. p. 172. § 12: *ἐτριηράρχησα* (lege *τετριηράρχηκα*) *μὲν γὰρ πεντάκις, καὶ τετράκις νεναυμάχηκα καὶ εἰσφορὰς ἐν τῷ πολέμῳ πολλὰς εἰσενήνοχα, καὶ τἄλλα λελειτούργηκα οὐδενὸς χεῖρον τῶν πολιτῶν.* Orat. XIX. p. 157. § 58: *πεντήκοντα γὰρ ἔτη ἐστὶν ὅσ' ὁ πατὴρ καὶ τοῖς χρήμασι καὶ τῷ σώματι τῇ πόλει ἐλειτούργει.* Nobis *λειτουργοῦσι* sanum videtur, sed *λελειτουργηκόσι* non esse oratoris, pro quo restituendum est *κεχορηγηκόσι*, neque

(litterae enim nimis differunt), illud pro hoc a librario male scriptum, sed propter homoeoteleuta *εἰσενηνοχόσι* — *κεχορηγηκόσι* primum librarius omisit, alius dein deesse aliquid animadvertens addidit *λελειτουργηκόσι*, quo modo sexcenties corruptio orta est. Cff. Orat. XXIX. § 57: *ὁ τοίνυν ἐμὸς πατὴρ ἄρχειν μὲν οὐδεπώποτ' ἐπεθύμησε, τὰς δὲ χορηγίας ἁπάσας κεχορήγηκε, τετριηράρχηκε δὲ πολλάκις, εἰσφορὰς δὲ πολλὰς καὶ μεγάλας εἰσενήνοχεν.* Antiph. Tetral. A. *β*. § 12: — *πολλὰς μὲν καὶ μεγάλας εἰσφορὰς εἰσφέροντα, πολλάκις* (sic bene correctum pro *πολλὰ*) *δὲ τριηραρχοῦντα, λαμπρῶς δὲ χορηγοῦντα κτἑ.* Antiph. Orat. V. p. 138. § 77: *οὐκ ἔστιν ὅ τι ὕστερον αὐτῷ ἡμάρτηται — οὐδ' ὅ τι οὐ πεποίηται τῶν δεόντων, οὐδ' ἧς τινος λειτουργίας ἡ πόλις ἐνδεὴς γεγένηται — ἀλλὰ καὶ χορηγίας ἐχορήγει καὶ τέλη κατετίθει.* Lys. Orat. XIX. p. 154. § 29: — *χαλεπὸν — τραγῳδοῖς τε δὶς χορηγῆσαι — καὶ τρί' ἔτη συνεχῶς τριηραρχῆσαι, εἰσφοράς τε πολλὰς εἰσενηνοχέναι κτἑ.* Cf. et Lys. Or. VII. p. 111. § 31, Demosth. II. adv. Aphob. p. 836. f. Quae sequuntur apud Lysiam *καίτοι — τῶν ὄντων* aut misere corrupta aut librarii cujusdam additamentum sunt; quis enim ita loquitur? Quid in his reprehendam optime cognoscetur e § 12, ubi orator: — *δεινὸν* caet., — *ὑπὸ μὲν τῶν πολεμίων παῖδας ὄντας ἡμᾶς ἐλεεῖσθαι — ὑπὸ δ' ὑμῶν — τοιούτους* (recte H. G. Hamaker in dissert. Lugd. Bat. a. 1843. pag. 71. *τηλικούτους*) *γεγενημένους τῶν ὄντων ἀποστερεῖσθαι, ὧν οἱ πατέρες ὑπὲρ τῆς δημοκρατίας ἀπέθανον.* Cf. et § 22: *οὐδὲν γὰρ ἂν ἡμᾶς κωλύοι — ἀθλιωτάτους εἶναι, ἐπὶ μὲν τῶν τριάκοντα ὀρφανοὺς καταλειφθέντας, ἐν δὲ τῇ δημοκρατίᾳ τῶν ὄντων ἐστερημένους κτἑ.* Haec omnia sana, sed in § 7 *ἡμῶν* significat *nostros*

majores et *nos qui loquimur*, *ἀποθνήσκοιμεν* pertinet ad *solos majores* (Cf. § 23), *ἀποστεροίμεθα* contra *ad eos qui loquuntur*. Observandum si haec omittuntur sensum optime procedere; suorum enim virtutes calamitatesque enumerare pergit orator; quibus peractis (§ 12 a verbis *καίτοι δεινόν κτέ*) demum sequitur talis exclamatio, qua duram suam sortem lamentatur.

Orat. XIX. p. 154. § 30.

χαλεπὸν — τραγῳδοῖς τε δὶς χορηγῆσαι — γῆς τε πλεῖον ἢ τριάκοντα πλέθρα κτήσασθαι. ἔτι δὲ πρὸς τούτοις οἴεσθαι χρῆναι ἔπιπλα πολλὰ καταλελοιπέναι κτέ. Legendum *οἴεσθε* pro *οἴεσθαι*. Interrogationis signum ponatur post *καταλ.*

Ibid. § 31.

τῶν ἄλλων — ἡμεῖς δὲ κτέ. Excidit *μὲν* post *τῶν*.

Ibid. p. 156. § 51.

ἐνθυμεῖσθε τοίνυν οἷον ἂν ἐγένετο, εἰ Ἀθηναίων ἁπάντων ἀκηκοότων ὅτι τετταράκοντα τάλαντα ἔχοι Διότιμος, εἶτ' ἔπαθέ τι πρὶν καταπλεῦσαι δεῦρο. εἶθ' οἱ προσήκοντες ἂν αὐτοῦ ἐν κινδύνῳ ἦσαν τῷ μεγίστῳ, εἰ ἔδει αὐτοὺς πρὸς τοσαύτην διαβολὴν ἀπολογεῖσθαι, μὴ εἰδότας μηδὲν τῶν πεπραγμένων. Legendum *εἶτ' οὐχ οἱ — πεπραγμένων;* vel *ἆρ' οὐχ οἱ — πεπραγμένων.* Cf. Orat. XXVI. p. 176. § 13. Alterutrum esse emendandum perspicue indicant seqq. *αἴτιοι οὖν εἰσὶ κτέ.*: istis enim verbis ipse respondet orator ad quaestionem quam instituit.

Orat. XX. p. 159. § 15.

τῶν δ' εἰπόντων ὑμῖν τἀναντία καὶ διὰ τέλους ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ὄντων πολλοὶ ἀποπεφεύγασι — οἱ μὲν γὰρ δοκοῦντες ἀδικεῖν ἐξῃτημένοι εἰσὶν ὑπὸ τῶν ὑμῖν προθύμων ἐν τοῖς πράγμασι γενομένων, οἱ δ' [ἠδικηκότες] ἐκπριάμενοι τοὺς κατηγόρους οὐδὲν (Dobr. recte *οὐδ'*) *ἔδοξαν*

ἀδικεῖν. Saepe librarii ad voces *ὁ μὲν* — *ὁ δὲ* adscripserunt quo utrumque aut alterum pertineat. Vide exempla quae attulimus in Miscell. Philol. a. 1849. pag. 183. Hic *ἠδικηκότες* delendum: librarii enim est; nam *τῶν εἰπόντων ὑμῖν τἀναντία*, id est *τῶν ἠδικηκότων*; neque addere potuit orator *οἱ δ' ἠκ.*, addidit *δοκοῦντες ἀδικεῖν*, id est licet ipsis judicibus poena digni viderentur.

Ibid. p. 161. § 34.

καίτοι ὁρῶμέν γ' ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἐάν τις παῖδας αὐτοῦ ἀναβιβασάμενος κλαίῃ καὶ ὀλοφύρηται, τούς τε παῖδας καὶ αὐτὸν εἰ ἀτιμωθήσονται ἐλεοῦντας, καὶ ἀφιέντας τὰς τῶν πατέρων ἁμαρτίας διὰ τοὺς παῖδας κτέ. Oratorem scripsisse *δι' αὐτὸν* pro *καὶ αὐτὸν* sensus indicat. Ita v. c. Orat. XIV. p. 141. § 17: *ἐπειδὴ δὲ πρὸς τοῖς ἐκείνῳ πεπραγμένοις ἐπίστασθε καὶ τὴν τούτου πονηρίαν, διὰ τὸν πατέρα ἐλεεῖν αὐτὸν ἀξιώσετε;* Facile *ΠΑΙΔΑΣΔΙΑΥΤΟΝ* abire potuit in *ΠΑΙΔΑΣΚΑΙΑΥΤΟΝ*.

Orat. XXII. p. 164. § 1.

— *οὐδὲν ἧττον καὶ τοὺς περὶ τούτων ποιουμένους λόγους συκοφαντεῖν νομίζετε.* Excidit *τοὺς* ante *λόγους*.

Ibid. p. 166. § 20.

χρὴ δὲ — μὴ μόνον τῶν παρεληλυθότων ἕνεκ' αὐτοὺς κολάζειν ἀλλὰ καὶ [παραδείγματος] ἕνεκα τῶν μελλόντων ἔσεσθαι· οὕτω γὰρ ἔσονται μόγις ἀνεκτοί. Propter ultimam *τοῦ ἔσεσθαι* syllabam *αι* excidit *καί*. Legendum *καὶ οὕτω γάρ*.

Ibid. § 21.

καὶ τοὺς ἐμπόρους ἐφ' οἷς οὗτοι συνέστησαν. Pro *ἐφ' οἷς* lege *ἐφ' οὕς*. Cf. § 17: *ὁμολογούντων αὐτῶν ἐπὶ τοὺς ἐμπόρους συνίστασθαι κτέ.*

Orat. XXIV. p. 168. § 5.

καὶ τεκμηρίοις χρῆται τῆς μὲν τοῦ σώματος ῥώμης, ὅτι ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀναβαίνω, τῆς δ' ἐν τῇ τέχνῃ εὐπορίας, ὅτι δύναμαι συνεῖναι δυναμένοις ἀνθρώποις ἀναλίσκειν. τὴν μὲν οὖν ἐκ τῆς τέχνης εὐπορίαν καὶ τὸν ἄλλον τὸν ἐμὸν βίον — πάντας ὑμᾶς οἴομαι γιγνώσκειν. Pro *ἐν τῇ τέχνῃ* reponendum *ἐκ τῆς τέχνης*, uti recte scriptum in seqq. Verba *τὸν ἄλλον τὸν ἐμὸν βίον* transponenda ita: *τὸν ἄλλον βίον τὸν ἐμόν*.

Orat. XXVI. p. 175. § 3.

καὶ νυνὶ αὐτὸν ἀκούομεν, ὑπὲρ ὧν αὐτοῦ κατηγοροῦμεν, διὰ βραχέων ἀπολογήσεσθαι, ἐπισύροντα τὰ πράγματα καὶ διακλέπτοντα τῇ ἀπολογίᾳ τὴν κατηγορίαν, λέξειν δὲ ὡς πόλλ' εἰς τὴν πόλιν ἀναλώκασι καὶ φιλοτίμως λελειτουργήκασι καὶ νίκας πολλὰς καὶ καλὰς ἐν δημοκρατίᾳ νενικήκασι, καὶ ὅτι αὐτὸς κόσμιός ἐστι. — ἐγὼ δὲ πρὸς τούτους τοὺς λόγους οὐ χαλεπὸν οἶμαι ἀντειπεῖν, πρὸς μὲν τὰς λειτουργίας, ὅτι κρείττων ἦν ὁ πατὴρ αὐτοῦ μὴ λειτουργήσας — πρὸς δὲ τὴν ἡσυχιότητα τὴν τουτουΐ, ὅτι οὐ νῦν δεῖ αὐτὸν ἐξετάζειν εἰ σώφρων ἐστὶν κτέ. Excidit *ὁ πατὴρ* post *λέξειν δέ*. Legendum est *λέξειν δὲ ὡς ὁ πατὴρ πόλλ' εἰς τὴν πόλιν ἀνάλωκε καὶ φιλ. λελειτούργηκε καὶ νίκας — νενίκηκε κτέ.* quod quis nobis non assentiatur? Scripsimus *τουτουΐ* pro *τούτου*, quod monuisse sufficit.

Ibid. p. 176. § 16.

ἐγὼ δ' ὑπὲρ τοῦ πλήθους βραχέα πρὸς αὐτὸν εἰπεῖν βούλομαι, ὅτι ὁ δῆμος οὐ τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχει περὶ πάντων τῶν ἐν ἄστει μεινάντων, ἀλλὰ περὶ μὲν τῶν τοιαῦτ' ἐξαμαρτανόντων οἵαν ἐγώ φημι δεῖν, περὶ δὲ τῶν ἄλλων τὴν ἐναντίαν· τεκμήριον δέ· οὐ γὰρ ἐλάττους τούτων ἡ πόλις τετίμηκε τῶν ἐπὶ Φυλὴν ἐλθόντων κτέ. Lege *ἐξα-*

μαρτόντων. Vide § 20. Porro scribendum videtur: *οὐ γὰρ ἐλάττοσι τιμαῖς τούτους ἡ πόλις τετίμηκε τῶν κτἑ*. Cf. § 20: *τοιγάρτοι ἀντὶ τούτων αὐτοὺς ὁ δῆμος ταῖς μεγίσταις τιμαῖς τετίμηκεν κτἑ*.

Orat. XXVII. p. 178. § 3.

καίτοι τίνα χρὴ ἐλπίδ' ἔχειν σωτηρίας, ὁπόταν ἐν χρήμασιν ἢ καὶ σωθῆναι τῇ πόλει καὶ μὴ, ταῦτα δ' οὗτοι φύλακες ὑφ' ὑμῶν καταστάντες, οἱ τῶν ἀδικούντων κολασταὶ, κλέπτωσί τε καὶ καταδωροδοκῶσι; Loco suo motum *τῇ πόλει*, inde corruptum *ἔχειν*, legendumque *καίτοι τίνα χρὴ ἐλπίδα εἶναι σωτηρίας τῇ πόλει ὁπόταν ἐν χρήμασιν ᾖ σωθῆναι καὶ μὴ, ταῦτα δ' οὗτοι φύλακες ὑφ' ὑμῶν κατασταθέντες κτἑ*. De *κατασταθέντες* nil dicam, quum sexcenties hujusmodi errores librarii commiserint. Caeterum cf. Orat. XXXIV. p. 921. § 5: *τίς ἔσται σωτηρία τῇ πόλει κτἑ*. et pag. 919. § 3. *ἡγοῦμαι ταύτην μόνην σωτηρίαν εἶναι τῇ πόλει κτἑ*. Ibid. p. 921. § 6.

Ibid. p. 178. § 6.

νῦν δ' ἀσφαλῶς αὐτοῖς ἔχει τὰ ὑμέτερα κλέπτειν. ἂν μὲν γὰρ λάθωσιν, ἀδεῶς αὐτοῖς ἕξουσι χρῆσθαι, ἂν δὲ ὀφθῶσιν, ἢ μέρει τῶν ἀδικημάτων τὸν κίνδυνον ἐξεπρίαντο, ἢ εἰς ἀγῶνα καταστάντες τῇ αὐτῶν δυνάμει ἐσώθησαν. Lege *λημμάτων* pro *ἀδικημάτων*. Pro *ὀφθῶσιν* lege *ληφθῶσιν*, *sin deprehendantur*. Cf. Demosth. de Corona *τῆς τριηραρχίας* p. 1232: *δεδώκατε γὰρ τοῖς βουλομένοις ἀδικεῖν ἂν μὲν λάθωσιν ἔχειν, ἂν δὲ ληφθῶσιν συγγνώμης τυχεῖν*. Si *ὀφθ*. scripsisset orator, addidisset participium. Cf. v. c. § 3.

Orat. XXVIII. p. 179. § 2.

ὑμέτερον τοίνυν ἔργον ἐστὶν — ἐπὶ τοῖς τοιούτοις ὀργίζεσθαι. Delendum *ἐπί*. Praepositionem adscripsit ille, qui

τοῖς τοιούτοις de rebus accipiebat. Cf. Orat. XXIX. p. 181. § 5: μὴ τοῖς μὲν — ὀργίζεσθαι, τοῖς δὲ — συγγνώμην ἔχειν. Orat. XXVIII. p. 180. § 12: ἐγὼ δὲ — τοιαύτην γνώμην ἔχω περὶ τῶν τοιούτων· ὅσοι κτέ.

Orat. XXX. p. 184. § 18.

ὥστ' ἄξιον ἡμῖν τὰς αὐτὰς ἐκείνοις θυσίας ποιεῖσθαι καὶ εἰ μηδὲν δι' ἄλλο, τῆς τύχης ἕνεκα κτέ. Excidit γε post τῆς. Cf. Orat. XXXI. p. 189. § 29. Idem γε excidit Orat. XXXII. p. 899. § 11, ubi legendum εἰποῦσα ὅτι, εἰ καὶ πρότερον μὴ εἴθισται λέγειν — τό (γε) μέγεθος αὐτὴν ἀναγκάσει τῶν συμφορῶν — δηλῶσαι πάντα πρὸς ἡμᾶς.

Orat. XXXI. p. 187. § 4.

ἀξιῶ δὲ καὶ ὑμῶν οἵτινες δυνατώτεροι ἐμοῦ εἰσὶ, λόγῳ ἀποφῆναι μείζω ὄντα αὐτοῦ τὰ ἁμαρτήματα, καὶ ἐξ ὧν ἂν ἐγὼ ὑπολίπωμαι, πάλιν αὐτοὺς — κατηγορῆσαι Φίλωνος. Jam correxerunt alii λέγειν pro λόγῳ: tum reponamus activum ὑπολίπω. Passivum occurrit § 15: ὑπολείπεται — αὐτῷ λέγειν κτέ. Media autem significatio hic minime convenit.

Ibid. § 11.

καθέστηκε δέ τι ἔθος πᾶσιν ἀνθρώποις τῶν αὐτῶν ἀδικημάτων μάλιστ' ὀργίζεσθαι τοῖς μάλιστα δυναμένοις. Pro τῶν αὐτῶν ἀδικημάτων reponendum, propter sequens τοῖς μάλιστα δυναμένοις, τῶν ταῦτ' ἠδικηκότων. Participia perf. pass. cum substantivis saepe a librariis confusa esse docet F. J. Bastius Comm. Pal. p. 818. Vide et exempla quae attulimus in Annotation. Critic. in Comicos etc. Trajecti ad Rh. apud Kemink et f. 1849. pag. 38 et 52.

Ibid. p. 188. § 21.

ἐκείνη γὰρ τούτῳ μὲν ἠπίστησεν ἀποθανοῦσαν ἑαυτὴν ἐπιτρέψαι, Ἀντιφάνει δ' οὐδὲν προσήκουσα πιστεύσασ' ἔδω-

κεν εἰς τὴν ἑαυτῆς ταφὴν τρεῖς μνᾶς ἀργυρίου παραλιποῦσα τοῦτον υἱὸν ὄντ' ἑαυτῆς. ἆρα δῆλον ὅτι εὖ ᾔδειν αὐτὸν οὐδὲ [διὰ τὸ προσήκειν αὐτῇ] τὰ δέοντα [ἂν] ποιήσοντα; Delendum insulsum glossema διὰ τὸ προσήκειν αὐτῇ; quod si feceris, τὰ δέοντα proxime sequitur post οὐδὲ, a quo separari non potest.

Ibid. p. 190. § 33.

οὐ γὰρ ὑμεῖς νῦν αὐτὸν ἀτιμάζετε, ἀλλ' αὐτὸς αὐτὸν τότ' ἀπεστέρησεν, ὅτ' οὐκ ἠξίωσεν, ὥσπερ νῦν προθύμως κληρωσόμενος ἦλθε, καὶ τότε διαμαχόμενος περὶ αὐτῆς καταστῆναι μεθ' ὑμῶν. Lege ὑπὲρ pro περὶ: dicunt enim Graeci μάχεσθαι, διακινδυνεύειν, τελευτᾶν ὑπὲρ πατρίδος, ἐλευθερίας κτέ. Cf. v. c. Orat. XXXIV. § 11. Pro καταστῆναι legendum ταχθῆναι, pro διαμαχόμ. reponatur futur. Cf. praecedens κληρωσόμενος.

Orat. XXXII. p. 894. § 5.

Diodotus καλέσας τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα, ἀδελφιδῆν οὖσαν καὶ τὸν ἐκείνης μὲν πατέρα, αὑτοῦ δὲ κηδεστὴν — ἡγούμενος διὰ ταύτας τὰς ἀνάγκας οὐδενὶ μᾶλλον προσήκειν ἑτέρῳ εἰς τοὺς παῖδας αὑτοῦ ἐπιτρόπῳ γενέσθαι, διαθήκην αὐτῷ δίδωσι κτέ. Non dicitur ἐπίτροπος γίγνομαι εἰς τὸν παῖδα. Hic excidisse videtur adjectivum ἀγαθῷ vel simile (quod cum εἰς construitur, uti ἀγαθός. Cf. Dem. in Neaeram p. 1381 f.) post ἑτέρῳ.

Ibid. p. 897. § 8.

τὸν μὲν πρῶτον ἐνιαυτὸν ἐν Πειραιεῖ διῃτῶντο· ἅπαντα γὰρ αὐτοῦ κατελέλειπτο τἀπιτήδεια· ἐκείνων δ' ὑπολειπόντων τοὺς μὲν παῖδας εἰς ἄστυ ἀναπέμπει κτέ. Leg. ἐπιλιπόντων.

Ibid. p. 905. § 20.

ὃς ἐτόλμησε — εἰς δύο παῖδας καὶ ἀδελφὴν λῆμμα καὶ

ἀνάλωμ' ἐν ὀκτὼ ἔτεσιν ἑπτὰ τάλαντ' ἀργυρίου — ἀποδεῖξαι. De *λῆμμα* hic nullus est sermo, neque Diogiton dixisset illa 7 talenta *λῆμμα* esse. Duplex fuit lectio *λῆμμα* et *ἀνάλωμα*, quae utraque postea adjecta particula *καὶ* in textum venit. Cff. illa quae proxime sequuntur apud Lysiam. Quid significet *λῆμμα*, quid *ἀνάλωμα* optime sequentes ll. indicant. Demosth. Orat. I. adv. Aphob. p. 820 in.: *εἰ δ' αὖ τούτων μὲν μηδὲν ἐρεῖ, Μιλύαν δ' αὐτὰ φήσει πάντα διῳκηκέναι, πῶς χρὴ πιστεύειν, ὅταν φῇ τὰ μὲν ἀναλώματα αὐτὸς ἀναλωκέναι — λῆμμα δ' εἴ τι γέγονεν ἐκεῖνον ἔχειν.* Ib. p. 839 m.: *Ταῦτα τἀνδράποδα — λαβών, — ἀνάλωμα μὲν εἰς αὐτὰ τοσοῦτον λελόγισται· λῆμμα δ' ἀπ' αὐτῶν οὐδ' ὁτιοῦν κτἑ.*

Orat. XXXIII. p. 913. § 4.

ὁρῶν οὕτως αἰσχρῶς διακειμένην τὴν Ἑλλάδα, καὶ πολλὰ μὲν αὐτῆς ὄνθ' ὑπὸ τῷ βαρβάρῳ πολλὰς δὲ πόλεις ὑπὸ τυράννων ἀναστάτους γεγενημένας. Excidisse videtur *μέρη* post *μὲν*; *πολλὰ* per se bonum; sed adjectivum neutrum solum non usurpatur, si mox idem repetitur adjecto substantivo masculini aut foem. generis. Afferamus luculentum exemplum, quo probemus ipsum illud *μέρη* excidisse. Isocrat. Panegyr. p. 77. § 197: *ἴσως — πολλοὶ καταγελάσειαν, εἰ δυστυχίας ἀνδρῶν ὀδυροίμην ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς ἐν οἷς Ἰταλία μὲν ἀνάστατος γέγονε — τοσαῦται δὲ πόλεις τοῖς βαρβάροις ἐκδέδονται, τὰ δὲ λοιπὰ μέρη τῶν Ἑλλήνων ἐν τοῖς μεγίστοις κινδύνοις ἐστίν.*

Ibid. p. 914. § 7.

θαυμάζω δὲ Λακεδαιμονίους μάλιστα, τίνι ποτὲ γνώμῃ χρώμενοι καιομένην τὴν Ἑλλάδα περιορῶσιν, ἡγεμόνες ὄντες τῶν Ἑλλήνων οὐκ ἀδίκως καὶ διὰ τὴν ἔμφυτον ἀρετὴν καὶ διὰ τὴν πρὸς τὸν πόλεμον ἐπιστήμην κτἑ. Dobreus ma-

vult *κακουμένην* pro *καιομένην*. Tum leg. *οὐκ ἀδίκως* (*ἀλλὰ*) *διὰ τὴν — καὶ διὰ τὴν* (*τῶν*) *πρὸς τὸν πόλεμον ἐπιστήμην:* etenim *ἐπιστήμη πρὸς τὸν πόλ.* nihil significat, *ἐπιστ. τῶν πρὸς τὸν πόλ.* rei bellicae peritiam. Cf. liber jam. citat. Ann. Crit. etc. p. 39.

Orat. XXXIV. p. 919. § 3.

ἐγὼ μὲν οὖν, ὦ Ἀθηναῖοι, οὔτε γένει ἀπελαυνόμενος.... ἀλλ' ἀμφότερα τῶν ἀντιλεγόντων πρότερος ὤν, ἡγοῦμαι ταύτην μόνην σωτηρίαν εἶναι τῇ πόλει, ἅπασιν Ἀθηναίοις τῆς πολιτείας μετεῖναι· ἐπεὶ ὅτε καὶ τὰ τείχη καὶ τὰς ναῦς — ἐκτησάμεθα, οὐχ οὕτως ἵν' Ἀθηναίων τινὰ ποιήσωμεν διενοούμεθα, ἀλλὰ καὶ Εὐβοεῦσιν ἐπιγαμίαν ἐποιούμεθα κτἑ. Augerus ex uno codice D. recepit *οὔτ' οὐσίᾳ ἐλάττων* inter verba *ἀπελαυνόμενος ἀλλ'* (inter quae bene lacunae signum posuit C. Foertsch.) Stephani conjectura est *οὔθ' ἡλικίᾳ οὔτε γένει ἀπ. ἀλλ'.* Marklandus jam recte vidit *πλούτῳ* deesse; si orator scripsit *οὔτ' οὐσίᾳ οὔτε γένει ἀπελαυνόμενος ἀλλ',* facile librarius oculis aberrare potuit, ita ut inde remanerent quae hodie in codd. leguntur (Cf. Orat. XVIII. p. 149. § 6.) Pro *ἐκτησάμεθα* Stephanus *ἐκτήμεθα;* sed quum Attici *κέκτημαι* usurpaverint, quod ex Aristophane patet, in plusq. perf. illos Jonicam formam adhibuisse haud verisimile est, quare legendum *ἐκεκτήμεθα.* — In seqq. latet formula *οὐχ ὅπως — ἀλλὰ καί*, adscripsitque librarius *διενοούμεθα* postquam *ὅπως* corruptum erat in *οὕτως*. Reliqua nondum expedio. Steph. in marg. *Π. οὐχ ὅπως ἵνα Ἀθηναῖον τ.* — Cf. C. G. Cobet Orat. de arte int. etc. Lugd. Bat. 1847. pag. 84.

Ibid. § 4.

ἐπίστασθε γὰρ (*καὶ ἐν*) *ταῖς ἐφ' ἡμῶν ὀλιγαρχίαις γεγενημέναις,* [*καὶ*] *οὐ τοὺς γῆν κεκτημένους ἔχοντας τὴν πό-*

λιν, ἀλλὰ [καὶ] πολλοὺς μὲν αὐτῶν ἀποθανόντας, πολλοὺς δ' ἐκ τῆς πόλεως ἐκπεσόντας. Addidi καὶ ἐν, delendumque duplex καὶ indicavi.

Fragmentum XLV. § 1.

— ὀργῆς δὲ γενομένης ἐς σκώμματά θ' αὐτοῖς καὶ ἀντιλογίαν καὶ ἔχθραν καὶ λοιδορίαν κατέστησαν. Pro ἀντιλογίαν legendum κακολογίαν. Praecedente καὶ facile illud pro hoc scribi potuit. Cf. fragmentum Alexidis apud Athenaeum L. X. p. 421. a:

Φιλεῖ γὰρ ἡ μακρὰ συνουσία
καὶ τὰ συμπόσια τὰ πολλὰ καὶ καθ' ἡμέραν ποιεῖν
σκῶψιν. ἡ σκῶψις δὲ λυπεῖ πλεῖον ἢ τέρπει πολύ·
τοῦ κακῶς λέγειν γὰρ ἀρχὴ γίγνετ'· ἂν δ' εἴπῃς ἅπαξ,
εὐθὺς ἀντήκουσας· ἤδη λοιδορεῖσθαι λείπεται. κτἑ.

Caeterum lectorem moneo me in laudandis locis ex Lysia et reliquis Atticis auctoribus correxisse hiatus, quos librarii commiserunt; qua in re secutus sum fratris R. B. H. rationem, quam explicavit et probavit in libro laud. Annot. Crit. etc. p. 89.

ANNOTATIONES

IN

CATULLI EPIGRAMMATA.

SCRIPSIT

C. T. CLUMPER.

CARM. II.

vs. 5. *Quum desiderio meo nitenti.*

Sensum idoneum ex hoc versu elici posse nullum jam Heinsius vidit. Quis enim credat, puellam pulchram dici *desiderium nitens?* Conjecit igitur Heinsius: *desiderio mei intuentis.* Verum totus carminis contextus ostendit, desiderium non Lesbiae, sed Catullo esse tribuendum. Quapropter legendum credo: *desiderium meum intuenti.* Etiam vss. 7 et 8:

Ut solatiolum sui doloris,
Credo, ut tum gravis acquiescat ardor:

magna difficultate laborant, quod multiplices interpretum conjecturae satis indicant. Equidem puto, puellam *gravem ardorem* non posse lenire exacerbanda avicula, sed isto ludo delectari, si forte ipsi lubet magis etiam acuere amatoris impatientiam. Praeterea vox

credo satis ostendit, hos versus esse delendos, utpote qui sint glossa, adscripta ad vs. 9.

CARM. XII.

vs. 4 sq. *Hoc salsum esse putas? fugit te, inepte:*
Quamvis sordida res et invenusta est.

Fugit te nunquam significat *erras*, *falleris*. Hinc scribendum videtur: *fugit te*, *inepte*, *quam sit sordida res et invenusta*.

CARM. XXV.

vs. 5. *Cum de via mulier aves ostendit oscitantes.*

Etiam post innumeras virorum doctorum conjecturas obscura haec et impedita. Latina certe erit oratio et metrum constabit, si leges:

Quum devias mari trabes offendit obnatantes.

Accedit quod ita emendatus hic versus optime convenit cum fine carminis:

velut minuta magno
Deprensa navis in mari vesaniente vento.

CARM. XXVIII.

vs. 6. *Ecquidnam in tabulis patet lucelli?*
Expensum, *ut mihi.*

Ita scripsit Doeringius, quum antea legeretur: *lucelli expensum?* Recte, credo; sed post *lucelli?* excidisse videtur *an*.

CARM. XXXVI.

Hoc carmen, ut nunc legitur, est plane inficetum. Puella, inquiunt interpretes, vovit, se simulac cum Catullo in gratiam redierit electissima *pessimi poëtae* carmina ignibus daturam. Mirum sane votum, nec Veneri magnopere acceptum. Quid enim obstabat, quominus,

vel nullo voto facto, invenusta carmina amatoria in ignem conjicerentur? Quodsi haec est loci sententia, quam notionem inesse putemus in voce *electissima*, quid significare dicamus vs. 9 et 10?

Et haec pessima se puella vidit
Jocose et lepide vovere Divis.

Inepta omnia, etiamsi concedas, puellam blande hic dici *pessimam*, quo verbo Catullus nunquam non cum contumelia utitur. Nobis carminis sententia huc redire videtur: puella irata vovit, se *nisi* cum Catullo in gratiam rediisset, *electissima*, h. e. optima Catulli, quem *pessimum* poëtam vocat, scripta ignibus daturam. Verum non sensit pessima mulier, se imprudentem votum facere gratum Veneri ejusque filio. Crematio enim carminum Catulli, qui nunquam invita Minerva haec numina cecinerat, ipsis accepta esse non poterat, sed debebat poëtae vere pessimi, *Volusii*, tunc ut veri simile est Lesbiam amantis, quique, id quod patet e vs. 11 sqq., Venerem insulse cantaverat. Non enim serio poëta tot nomina locorum Veneri gratorum huc congerit, sed ut rideat Volusium, e cujus *annalibus*, h. e. siccis carminibus, omnia haec urbium nomina, earumque frigida epitheta, ut *Adriae tabernam*, deprompsisse videtur. Legendum igitur vs. 4 pro *si*, *ni* et vs. 9 pro *et*, *nec*.

CARM. XXXVII.

vs. 5. *et putare ceteros hircos?*

Hircos castratos, ait Doeringius. Quod si cogitasset poëta, scripsisset *verpos*. Pro *putare* legendum suspicor *putere*. Quod vs. 9 et 10:

namque totius vobis
Frontem tabernae scipionibus scribam.

Interpretes explanant: in fronte totius tabernae, baculis adustis, vestra opprobria scribam, in eo vehementer falluntur: nam vss. 6—8, et praesertim vs. 13: *pro qua mihi sunt magna bella pugnata,* satis ostendunt, poëtam verbera infligenda spectare. Hinc locum laudatum sic explico: fustibus sive fragmentis subselliorum tabernae vobis caput male mulcabo; quem pugnandi morem Romae non fuisse inusitatum, docet Sempronii Gracchi mors. Verbum autem *scribere* pro *verberare* usurpatur, ut Carm. XXV. vs. 11 *conscribillare.*

CARM. XXXVIII.

Singulae fere voces, ut repetitum *male est*, *mehercule*, *laboriose*, et imprimis vs. 6:

Irascor tibi. Sic meos amores?

etiam ultimus: *moestius lacrymis Simonideis*, mihi suspicionem movent, totum carmen ironice esse accipiendum, et Cornificium, poëtae quondam sodalem, post ortum inter amantes discidium, Lesbiam adamasse.

CARM XLI.

vs. 7 sq. *nec rogare*

Qualis sit solet haec imaginosum.

Miror, recentiores editores retinuisse monstruosum illud *imaginosum*. Jam Turnebus quum hic latere vocem *nasum* videret, conjecit *imago nasum*, *imaginem* dici puellam ratus. Atqui ejusmodi hujus vocabuli interpretatio vereor ut ferenda sit. Mihi in mentem venit legere: *inepta nasum.*

CARM. XLVIII.

vs. 4. *Nec unquam saturum inde cor futurum est.*

Recte editor Cantabrigiensis:

Nec unquam satur inde ero futurus.

Carmen est ironicum, et poëta famem respicit, quam hic *mellitus* puer sufferre debebat, ut constat e Carm. XXIV.

CARM. XLIX.

Hoc quoque carmen ironice est accipiendum. Ciceronem Catulli fuisse inimicum, inde effici potest, quod amicus fuit Cornificii, de quo supra memoratum, inimicus autem Catulli familiaribus, Asinio Pollioni, quem Carm. XII et Calvo, quem Carm. LIII meminit.

JOHANNIS BERNARDI LOMAN

COMMENTARII IN PLAUTUM

POSTUMI.

PRAEFATIO.

Scriptorem horum commentariorum parentibus, cognatis atque amicis, literis fatum iam eripuit; quas quam feliciter colere coepisset, viris doctis dudum apparuit ex eius Specimine critico-litterario in Plautum et Terentium, *quod idoneorum iudicum plausum merito tulit. Qua fama, si longior vita ipsi concessa fuisset, deinceps quoque non indignum se praestiturum fuisse Lomannum, haec ipsa arguunt scripta, quae tanquam communis virorum philologorum hereditas iam publici iuris fiunt. Sed fortasse multis gratum erit, nemini certe importunum videbitur, si de vita eius studiisque exponemus breviter.*

Natus est d. 9 *m. Martii a.* 1821 *Bodegravae, in quo Hollandiae Meridionalis oppidulo pater eius, vir plurimum reverendus, Janus Christianus Loman, Ordini Leonis Belgici adscriptus, tunc fuit Verbi Divini apud Lutheranos Minister, ut nunc eandem provinciam cum laude in coetu Amstelodamensi tuetur. Debiles iam in infante vires atque infirma valetudo, sed ingenium in primis docile, sed mira pro tenerrima aetate rerum seriarum severarumque cura, quae iuveni quoque non tam senilem gravitatem conciliabat quam dignitatem virilem. Hinc puerum delectabat quidem ludus, sed libri capie-*

bant et captum tenebant. Quem studii ardorem pater prudenter regens primum ipse doctoris partes in se suscepit filiumque mature Latina lingua instituit, deinde hanc docendi curam Schroedero mandavit, viro doctissimo Verbique Divini apud Arnhemienses antistiti spectatissimo. Hoc duce Lomannus integrum biennium antiquis literis operam navavit, tantoque earundem amore est imbutus, ut quum a. 1839 *Amstelodamum rediisset, in cuius urbis Athenaeo Illustri Iuri studeret, ad hanc quidem disciplinam studii multum conferret, sed Lennepio et Bosscha ducibus literas praecipue atque ex animo coleret, Comicos Latinos singulari amore prosecutus* [1]. *Nec mirum adeo quod summos in literis honores petiturus ad Plautum et Terentium se convertit et Specimen conscripsit supra laudatum, quo publice defenso d.* 20 *m. Febr. a.* 1845 *in Academia Lugduno-Batava summa cum laude creatus est Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Doct. Progressus in Iure anno fere post probavit scribenda* Dissertatione politico-juridica, qua principia quaedam Oeconomiae politicae tractantur, *quam in eadem Academia defendit d.* 31 *m. Ian.*

Iam duae viae Lomanno patebant. Vel praeceptoris munus ambiendum erat vel reorum causa agenda. Quod hanc provinciam continuo suscepit, unice repetendum est ex illius nanciscendae difficultate; id quod re probavit m. Augusto a. 1847. *Vix enim a Mensingio fuerat invitatus, viro eruditissimo, ut in ipsius Gymnasio privato* (Institutum *vulgo vocant*) *literas inprimis Graecas doceret et Mathesin, quum oblatum sibi munus eo lubentius accepit atque susceptum coluit effecitque, quo maior ita copia ipsi fiebat unis literis vivendi. Tres fere men-*

[1]) Cf. Praefat. Specim. laud.

ses illic moratus creatus est Literarum Graecarum in Athenaeo Mosa-Trajectino Professor, quo tamen munere nonnisi paucos menses fungi per valetudinem ei licuit, siquidem iam statim eum deprimebat vis ingravescentis morbi, imo ita opprimebat, ut qualis esse vellet, qualis esset revera, talem praestare sese non posset. Redux igitur feriarum aestivarum tempore Amstelodamum ad parentes, mox imparem se ipse sensit praeceptoris officiis statim post ferias recte exsequendis; unde roganti vacatio unius anni data. D. 24 m. Martii a. 1849 periit tabe confectus.

Comicis Latinis magnopere delectatum fuisse Lomannum supra diximus. Quod non ita est accipiendum perinde ac si cetera omnia tantum non aspernatus in illos solos incumberet. Ille vero, Graeca ut mittamus et mathematicas disciplinas, quas probe callebat, universe linguarum studio se dederat, quumque primum Semiticas excoluisset, deinde Sanscriticis cognatisque literis multam operam collocavit. Ab his vero studiis quoties relaxabat animum, toties ad Terentium, ad Plautum suum redibat, eoque praecipue studia sua dirigebat, probe memor de literis parum meriturum, qui aeque de omnibus mereri velit. Cogitabat criticam fabularum Plautinarum editionem, qua mente Plautinorum numerorum accuratam sibi comparaverat notitiam iamque apparatum criticum haud vulgarem confecerat. Ab illis enim semper proficiscendum, ad illos semper redeundum putabat, qui Plautina reddere Plauto cupiat[1]*. Quod quam bene ei cesserit indicare nostrum non est, sed quum privatim datis literis, quas describere nefas ducimus, tum vero publice testati sunt, quorum virorum merita in Plautum plurimi*

[1]) Hac de re memorat ipse l. l.

faciunt omnes, Ritschelius et Fleckeisenius[1]. *Quid quod Lomanni coniecturas complures nuper Ritschelius in* Trinummum *recepit? Sane calcaribus illi opus non erat, sed talibus stimulis incitatus, sic laudatus a laudatis viris, morbi vi velut superior esse videbatur, lectoque affixus hos in* Amphitruonem *et* Trinummum *commentarios inchoavit, quominus absolveret morte prohibitus. Alteri scribendo uno etiam ante obitum die intentus fuit, orsus post acceptam Ritschelii editionem; alterum inchoavit ut specimen esset editionis omnium quam praeparabat fabularum Plautinarum.*

Sed veremur nimium ne dixerimus, plura certe quam placeret, si in vivis esset, viro modestissimo, cui non nostra parentalia, sed sua scripta pro monumento erunt.

Ceterum in schedis Lomannianis edendis nos hanc legem nobis praescripsimus, ut nihil ederemus nisi intactum atque integrum. Hinc v. c. erunt, quae si ex accurato et elegantiore Latinae linguae usu iudices, fortasse non omnes probabunt; sed ea nemo non aequi bonique consulet, qui postuma *se legere reputabit, ab auctore non perpolita.* Adnotationes in Casinam *iam ante hoc triennium* Symbolis literariis *inserendas tradiderat, sed inito totius Plauti perpetuo commentario illustrandi consilio repetierat. Quae res ideo monenda est, ne cui forte a.* 1850 *legenti quae scripsit Lomannus a.* 1847 *pro novis antiquiora reperire sibi videatur.*

m. Nov. 1849.

J. G. HULLEMAN.

---

[1]) Satis erit descripsisse hoc Ritschelii testimonium (Prolegg. Trinumm. p. LVII): »Quodsi a talibus perfici inchoatum opus videro, quales in critico genere acerrimi *Alfredus Fleckeisen* et *Jo. Bernardus Loman* Batavus nuper exstiterunt, — bene actum erit de Plauto."

ADNOTATIONES CRITICAE

IN

CASINAM.

Prol. vs. 7: *Antiqua opera et verba quom vobis placent.*
Hauptius, probante Ritschelio Parergon Plautin. I. p. 200, conjecit: *Atqui ántiqua opera;* quam ego conjecturam probare non possum. Dixerat jam prologus, eos esse sapientes, qui veteres fabulas lubenter spectarent. Quomodo igitur idem prorsus in hoc versu dicturus sententiam potest inchoare a particula *atqui*, quae in conclusionibus quidem locum habet, sed non hic, ubi simpliciter causa redditur praecedentium. Imo exciderat ni fallor *nam*, quemadmodum in versu quoque nono vetus codex idem vocabulum male omisit, legendumque est, vel cum hiatu: *Nam ántiqua opera et vérba*, vel inverso verborum ordine, ex conjectura Acidalii: *Nam antíqua verba et ópera*, vel secundum Camerarii sententiam: *Nam antíqüa opera*, cum diaeresi, vel denique inserta copula: *nam antíqua et opera et verba*. Sed hujus prologi auctor non adeo reformidasse videtur hiatum. Exempla versuum in hoc prologo hi-

antium hic addere lubet, ut judicari possit, utrum hiatus illi conjecturis sint amovendi, an ex minus severis auctoris legibus explicandi et ferendi.

vs. 2: *Fidém qui facitis máximi; — et vós Fides.*

Fr. Ritschelius Parergon Plautin. vol. 1. p. 201 legendum putat: *et item vós Fides.*

vs. 13: *Antíquam — ejus édimus comoédiam.*

Sunt qui hic, ut in vs. 7, pronuntient: *antiqüam*, *τετρασυλλάβως*. Hauptius voluit (laudante Ritschelio l. c. p. 181): *antíquam aliquam ejus édidimus comoédiam*, numeris horridulis; malimque ego hunc verborum ordinem: *antíquam ejus aliquam édidimus comoédiam*, quo facto remanebit hiatus in caesura. (Olim tentaveram: *antíquam hanc ejus édid.* etc.)

vs. 23: *Ejícite ex animo cúram — atque aliénum — aes.*

Hic quoque Camerarius sese expedire conatus est per diaeresin, pronuntians *aës*, ut altero saltem eoque durissimo hiatu auctorem liberaret. Sed neque hoc probandum videtur, neque quod ipse conjeceram: *Ejícere ex animo cúram atque alienum aés decet.*

vs. 41: *Puéllam exponi. — ádit extemplo ad múlierem;* ubi tamen excusatio est propter caesuram et distinctionem majorem.

vs. 47—49:

> *Postquám — adolevit ád eam aetatem, utí viris*
> *placére posset; át eam puellam — híc senex*
> *amat éfflictim, — ét item contra filius.*

Locus hic varie tentatus est. Bothius in versu primo scripsit: *Postquam haéc adolevit;* Weisius Camerarium secutus: *Posteáquam adolevit;* Ritschel. l. c. p. 236: *Postquam éa adolevit*, qui vir praestantissimus, cur hic non tulerit hiatum, cum alibi (l. c. p. 18) hoc prologi

scriptori indulgendum esse putet, quod in bisyllabum transtulerit monosyllaborum licentiam [1], non intelligo. Ego, si quid mutandum sit, scribam: *Ea póstquam adolevit.* In reliquis quaedam verba excidisse, eorumque loco alia deinde irrepsisse opinatur vir doctissimus (ibidem), et locum exhibuit hoc modo:

placére posset, at[que ....
senex éam amat efflictim, ét item contra filius.

In quibus non tam offendit molossus ille: *efflictim ét*, quam vocabulum *amat* in thesi latitans. Quodsi hiatu in isto scriptore non nimis offendaris, leni remedio numeros possis restituere:

placére posset; eám puéllam — hic senex
amáre efflictim; — ét item contra filius.

vs. 58: *uxór senis sensit vírum — amori operám dare.*

Veterum editionum lectio: *sénsit amori vírum operám dare* duriusculum nobis versum exhibet. Manuscripti in vulgata lectione conspirare videntur.

vs. 73: *Majóreque opera — ibi serviles núptiae.*

Non enim ausim pronuntiare *ibí*, acuta posteriori syllaba.

vs. 79: *Revórtor ad illam puéllam — expositítiam.*

Ne *puellam* in duas syllabas contrahere cogamur, legendum utique existimo: *Revórtor ad puéllam illam expositítiam;* quo facto sublatus quoque erit hiatus. Sed reliquae, quas commemoravi, conjecturae aut aliorum aut meae ad tollendos hiatus, cum incertiores sint, consultius videtur manum abstinere, donec ex libris manuscriptis aliquid auxilii advenerit. Sed novum adeo hiatum intulit Weisius in vs. 55, ubi, cum vulgo le-

---

[1]) In Mercat. prol. vs. 4: *Vidi amatores fácere, qui aut nocte aút die.*

geretur: *Filius autem armigerum allegavit suum*, numeris nullis, senarium sibi restituere videbatur scribendo: *Filius armigerum — autem allegavit suom*, quod ferri nullo modo potest. Excidit, credo, initio versus vocabulum *hujus* vel *ejus*, quo reducto numeri constant:

Ejus filius autem armigerum allegavit suum.

Et videtur proximarum literarum (FILIUS) similitudo hanc vocem (EIUS) expulisse, quae sane plurimarum in veteribus scriptoribus corruptelarum fuit causa. Facillime enim fieri potuit, ut librarii aut male geminarent litteras, aut, quae bis scribendae erant, aberrantibus oculis, semel tantum ponerent. Utriusque rei exemplum afferam. Apud Horatium Sat. II. 1 vs. 55 legitur: *Dives, inops, Romae, seu, Fors ita jusserit, exsul.* Nemo, opinor, perlectâ totâ sententiâ, semel monitus dubitabit corrigendum omnino esse: *Dives, inops; Romae, seu, Fors SI ita jusserit* (*Ed. Ster. luserit*), *exsul.* Propter praecedentem *s*, et subsequentem litteram *i* particula *si* exciderat [1]. Alterum exemplum desumam ex Senecae *ad Marciam Consolationis* I. § 3, ubi post alia sic Marciam alloquitur Seneca: "*Optime meruisti de Romanis studiis; magna illorum pars arserat: optime de posteris* etc." Difficultatem hîc pariunt verba: *magna illorum pars arserat*, quorum Ruhkopfii quidem explicationem jure merito repudiat H. C. Michaëlis, vir doctissimus, in dissertatione, qua haec Senecae Consolatio perpetuo commentario instructa illustratur. Sed ipsius explicatio: "Magna illorum (scil. librorum) pars

---

[1]) Fieri potest, ut jam alius ante me inciderit in facillimam hanc emendationem; sed quae mihi ad manus sunt Horatii editiones (Torrentii, Bentleji, Cuningamii, Wielandi et Doeringi), in iis de loci integritate ne dubitari quidem videtur.

arserat, incendio deleta erat", tres ob causas non probanda videtur; 1° *illorum* non potest referri ad remotius *libros;* sed necessario intelligendum est *studiorum;* 2° *ardere*, ni fallor, verbum est minus huic loco accommodatum, cum requiratur omnino notio *delendi, exstinguendi*, quae continetur verbis *comburere* et *cremare*, non vero hoc verbo; 3° Tacitus Ann. IV. 35 non dicit Cremutii Cordi libros incendio deletos esse, sed senatum censuisse, ut per aediles cremarentur, nihilominus tamen eos mansisse. His rationibus adductus non admitto Michaëlis explicationem, locumque corruptum habeo, ita fortasse emendandum, ut ex *pars arserat* tres litterae *ars*, quae bis occurrunt, ejiciantur, legaturque: *Optime meruisti de Romanis studiis; magna illorum pars erat* etc. Cremutius Cordus magna erat studiorum pars. Notum est Virgilianum illud: *quaeque ipse miserrima vidi, et quorum pars magna fui* (Aen. II. 5), quam loquendi rationem Seneca infra quoque (cap. 18. § 5) usurpavit: *erisque et spectatrix, et ipsa pars magna conantium.* Ovid. Trist. IV. 2 vs. 16: *Parvaque cujus eram pars ego nuper, Eques.* Eodem modo emendavi Merc. I. 2 vs. 78, Curc. IV. 1 vs. 9. [1]

---

[1]) Miro casu accidit, ut in eodem fasciculo bis eadem conjectura proponatur, h. l. et p. 51 sq. Sed quo tempore meas observationes Amstelodamum mittebam, nullam unquam litteram a Lomanno scriptam videram; illae iam typis perfectae erant, quum hanc conspirationem cum docto Plautinorum scriptore mihi indicavit Hullemannus meus. Ut me non pudet μετ' ἀμύμονα vidisse, quod Senecae editores fugit, ita Lomannus, opinor, si viveret, hunc inter nos κοινὸν Ἑρμῆν esse facile pateretur.

J. C. G. BOOT.

II. 1. In constituendis hujus scenae versibus sanequam obscuris et impeditis non ita versatus est Weisius, ut omnes hujus rei peritos secum consentientes habiturus sit. Fateor mihi quoque non feliciter cessisse horum numerorum inveniendorum conamina. In paucis tamen versibus probabiliorem disponendi rationem invenisse mihi videor, quam ea, quae Weisio placuit. Sic in versu 4 nescio cur, inserto vocabulo *hodie*, duriorem bacchiacum efficere maluerit, quam servare receptam lectionem, quae numeros praebet usitatissimos et elegantissimos:

Prándium jússerat | *senéx sibi parári;*

qui versus constat eretico dimetro et trochaico monometro hypercatalectico. Sed minus etiam ferendus est ejusmodi bacchiacus, qualem descripsit vs. 6: *Quando is mihi — et filio advorsátur suó*; imo purus est creticus tetrameter:

Quándo is mi et fílio — ádvorsatúr suo.

Denique duos hujus scenae versus ultimos bacchiacos faciens ut praecedentes, mihi quidem a vero videtur aberrare. Accentus imposuit hoc modo:

Sed fóris concrepuít atque ea ipsa eccam egréditur
Forás. Non pol pér tempus ítiner mi incépi,

scribens *itiner* versûs gratia pro *iter*. Sed invenusta haec est versûs divisio, quâ divellitur vocab. *foras* a reliqua sententia, neque etiam satis videtur esse excusationis productae ultimae in verbo *concrepuit; foris* quoque dubito an correptâ ultimâ pronuntiari possit. Certe multo asperiores sunt hi versus, quam esse solent apud Plautum bacchiaci et cretici; malimque, si tales numeri hic lateant, in fine versûs prioris pronuntiare hoc pacto: *ipsa éccam egréditur*, ut *ea* totum liquescat. Sed vide

mihi, quam rotundus, nullâ litterulâ mutatâ, hic exeat trochaicus:

Sed foris concrepuit; atque ea ipsa eccam egreditur
(foras.

Quos numeros noli hic proscribere propter bacchiacorum vicinitatem; nam ubi subito ad aliam rem convertitur animus, venustissime etiam mutatur numerorum genus. Sic infra II. 3 vs. 33, Stalinone sene ab altercatione cum uxore ad rem serio agendam sese convertente, subito ad sedatiores numeros transit poëta. Quod idem locum habere videtur in Cistell. IV. 2 vs. 6 sqq.:

Quamne in manibus tenui atque accepi hic ante aedes
cistellam? ubi ea sit, nescio: nisi, ut opinor,
loca haec circiter excidit mihi. mi homines,
mi spectatores, facite indicium, si quis
vidit, si quis eam abstulerit, quisve
sustulerit, et utrum hac an illac iter institerit.
Non sum scitior, quae hos rogem, aut quae fatigem, etc.

Bacchiaci sunt absque dubio versus 6, 7 et 12; reliquos etiam ad hos numeros torquere conatus est Weisius; sed asperos dedit scabiososque versus, jugulatâ etiam penitus sententiâ. Nam ejectis ex versu 9 verbis: *mi spectatores facite indicium*, nemo non videt mancam esse sententiam, et in conditione quasi suspensam. Audacter tamen in notis scribit: "Verba inclusa glossema aperte sapiunt." Nolo enumerare quot vitiis inquinati sint isti bacchiaci Weisiani; meam potius scribendi hos versus rationem aperiam, ut eligere possint harum rerum periti, quod magis sit probabile. Ego igitur sic pronuntiaverim:

8 *loca haec circiter excidit mi.* *(vidit,*
Mi homines, mi spectatores, facite indicium, si quis

quis eam abstulerit, quis sustulerit, hác an illac iter
(institerit.
Non súm scitiór, quae hos rogem, aút quae fatígem etc.

Postquam Halisca in oratione ad spectatores usa erat trochaicis octonariis plenis, rursus secum loquens ad idem revertitur metrum, quo praecedentes versus pronuntiaverat; quae elegantissima est numerorum variatio. Versus 8 trimeter est, et clausulae vice fungitur. Sustuli in versu 10 *si*, quod h. l. ineptum erat; ejeci praeterea *ve* et in vs. 11 *et utrum*, quae otiosa erant et versum onerabant. Ex nota Taubmanni ad h. l. suspicor, in codicibus quoque versus recte esse dispositos. Caeterum in loco illo Casinae (II. 1 vs. 16), quae restabant verba: *non pol per tempus iter mihi incepi* corrupta utique videntur. Vett. habent: *Non pol mihi per tempus incoeptum est iter*, quod profectum esse videtur a correctore senarium hic efficere studente, quemadmodum etiam in Cist. IV. 2 vs. 12 et 13, qui sunt bacchiaci, ad jambicos numeros refici sunt in vett. edd. Legi autem hic potest:

non égo pol per témpus itér mi hoc incépi.

II. 4 vs. 5 et 6:

Proh! bonae frugi hominem te jam pridem ésse ar-
(bitror. CH. Intelligo.
Quín si ita arbitráre, emittis mé manu? ST. Quin
(id volo.

Versus prior excurrit extra justos limites. In Bothii codicibus non leguntur verba *jam pridem;* quare is ea omisit; in quo eum secutus est Weisius. Sed neque illi codices magni momenti esse videntur, neque probabile est haec verba a librario aut fortuito aut con-

sulto esse invecta. Melius foret fortasse ejicere voc. *bonae*, nisi alio duceret conjectura. Nimirum inscite verbum *intelligo* usurpatur a Chalino, cujus oratio multo melius inciperet a verbo *quin*, quemadmodum Stalino quoque ab ea particula incipit. Credo ego ejiciendum esse illud *arbitror*, quod aliquis hic videtur adscripsisse propter sequens *arbitrare*, ne scilicet alio vocabulo uteretur Chalinus quam usus erat Stalino. Scribendum igitur erit:

Próh! bonae frugi hóminem te ego jám pridem esse
CH. Quín si ita etc. (*intéllígo*.

vel si mavis *tete jam pridem*, ut Epid. I. 1 vs. 76: *Épidice: nisi quíd tibi in tete aúxili est, absúmptus es*, et vs. 88: *quia tu tete deseris*. Eamdem pronominis formam perperam induxit Weisius Men. V. 1 vs. 45: *Ego tếte simitu nóvi cum Parthấone*. Servandum ibi omnino est *te*, quandoquidem *simitu* mediâ longâ pronuntiatur.

III. 5 vs. 1—6. Bentlejus ad Cic. Tusc. Quaest. III. c. 19 hos versus disposuit usque ad verba: *ab ista obsecro;* nam eousque cretici sunt tetrametri pleni; sequitur in vs. 6: *ne quid in te mali faxit ira percita*, ubi Bothius, iisdem hunc versum numeris constare ratus, reposuit: *ita percita*, quod amplexus est Weisius. Sed vel exinde non est probabilis haec conjectura, quod sequentes etiam versus diverso metro compositi sunt. Nulla igitur est causa, cur Plautum statuamus a sequenti potius quam ab hoc inde versu numeros mutavisse, mihique verosimilius videtur, servata codicum scriptura, sic versum disponere:

Né quid in | té mali || fáxit ira pércita.

Cujusmodi versum supra etiam habuimus et saepe apud nostrum invenimus. Mox in vs. 25 spuria sunt verba *quid est?* quae ex vs. praecedenti fortasse aut versu 27 huc translata sunt. His ejectis bacchiacus remanet tetrameter, vicinis versibus plane similis:

quid ést id? PA. Timór praepedít dicta línguae.
ST. Possím scire ego ístuc ex té, quid negóti est?
PA. Dicam: áncilla tua, quám tuo víllicó vis
daré úxorem, ea intus — ST. quid intus? quid ést?
PA. imitátur malárum malám disciplínam etc.

Non recte Weisius ejecto ex vs. 25 vocabulo *istuc* hiatum admisit: *quid ést? Possúm scire ego — ex té quid negóti est?* neque etiam ullo pacto hic probari potest creticus ille: *Dícam. Tua — áncilla quám tuo víllico;* quare duo ego verba transponere malui. Versus sequens est catalecticus, si lectio sana est; sed suspicor hic syllabam excidisse, aut pro verbis *quid est?* aliud olim scriptum fuisse, e. g. *quid érgo?* vel *dic érgo* vel simile quid. Frustra quoque est Weisius in ordinando versu 38; nam pro *quippiam* scribens *quidquam* cum vett., tum addens de suo *id*, adscitâque praeterea litterâ *d*, multum ille laborans miserrimum dedit bacchiacum:

Me occídet? An quídquam id ad téd adtinét?

ubi quo jure produci possit *id*, ipse viderit. Imo unâ additâ litterulâ versus erat juvandus hoc modo:

Men' óccidet? PA. Án quippiam ád te adtinét? ST. Vah!

neque sic timendum est versui sequenti, qui reductâ syllabâ facile potest restitui, si mecum legas:

quid cúm ea negóti tibi ést? ST. Ah! peccávi.

Quae sequuntur verba: *illuc dicere villicum volebam*, aliquo pacto supplenda videntur, ut tales oriantur nu-

meri: *illic dicere húnc villicúm meum volébam;* sed ut hunc versum emendandi variae possunt iniri viae, sic de sequentibus quoque diversae possunt excogitari conjecturae. Weisius levi brachio difficultates declinavit; ejecit ea tamquam spuria, quae ipse emendare non poterat. In loco difficillimo venia dabitur, ut spero, audaciori remedio. Sic ego corrigere locum propono:

40 *Sciéns de via in semitám degredire.*
ST. Numquid mi minátur? || *PA. Tibi infesta sóli est,*
41 *plus quám cuiquam. ST. Quam ób rem?* || *PA. quia sé (des uxórem*
Olýmpióni sérvo: ||
43 *nec tuám, nec suám, nec viri vitam sése*
43 *in crástinum protólli.*

In versu 42 addidi *servo*, ut esset clausula jambica, qualis mox legitur: *in crastinum protolli;* in versu sequenti omisi cum vet. cod. *se*, quod in vulgata lectione bis legitur, ante *tuam* et *suam;* ibidemque scripsi *sese* pro *sinet*, cum vetus codex tantum haberet litteram *s*. Fateor tamen in extremis mihi hoc non placere, quod per ἀποσιώπησιν omissum sit voc. *passuram*, quamquam id Gronovio satis commodum videbatur; quare omittendum fortasse pronomen *sese*, quod ex una littera effeceram, legendumque:

Olýmpióni: néc tuam
nec suám, nec viri vi | *tam in crástinúm protólli.*

Sic ex superioribus facili negotio intelligi potest *minatur*.

III. 6 vs. 16. In personarum nominibus ponendis hic graviter lapsi esse videntur librarii. Primum monendum est, falsum esse, quod toties inculcat Weisius, Olym-

pionem prius non agnoscere herum suum; cui opinioni cum obstarent in vs. 4 et 5 verba: *hero meo ire advorsum* et *tu amas. Ego esurio et sitio*, haec supposititia esse pronuntiat. Imo jam inde a versu 4 Stalinonem viderat, et consilium inierat herum suum superbe et magnifice adeundi, quasi jam libertate donatus esset. Igitur nec salutem ei reddit, neque eum propius ad se accedere patitur; ob eamque rem iratus senex *μέγα κακὸν* ei minatur. Tum vero villicus, quasi miratus Stalinonis audaciam, quis tu es, inquit, qui in me imperium exhibes? An tu dominum te esse censes? At ego sum liber. Perperam quoque Bothius verba: *sum servus tuus* in versu 13 Olympioni dedit; imo eo devenit senilis amator, ut se Olympionis esse servum dicat, ne ille scilicet heri sui amori operam dare amplius nolit. Villicus autem dato sibi in herum jure et imperio utitur superbissime, et Stalinonem dicit esse servum nequam, cujus nullus sibi sit usus. Hinc intelligitur, credo, quam inepte in seqq. Stalino rursus heri personam suscipiat, nec dubito quin verba: *quid nunc? quam mox recreas me?* Olympioni sint reddenda. Sic autem consentaneum est, ut deinceps etiam personarum nomina inter se commutentur. Jam vero in versu 20 probe intelligitur, quid sibi velit Olympio his verbis: *ego hic habito nunc quidem*, quae Pistoris conjecturá sanare volebat. Nimirum innuit villicus, se nunc quidem domicilium habere in aedibus Stalinonis, mox vero se rus esse abiturum. Sunt igitur omnia haec villici, inde a verbis: *Intro ergo abeant propere* usque ad *habito nunc quidem*, quae verba congruunt cum iis, quae in seq. scena de eodem hoc villico dicuntur. Ibi versu penultimo pro *ambas estrices* legendum mihi videtur *ambestrices*.

IV. 3. Totam hanc scenam, ut hodie fertur, corruptissimam, compositam olim fuisse credo trochaicis octonariis, exceptis fortasse duobus versiculis brevioribus *quid si etiam occentem hýmenaeum?* in vs. 8, et *Hymén Hymenaeë! Ió hymen!* in vs. 10. In versu enim 2 statuendum est, voc. *hymenaeo* in margine adjectum esse ab eo, qui explicare volebat illud *suavi cantu*, et postea insertam esse ipsam hymenaeum cantandi formulam. Olympioni enim haec omnia non recte dantur hoc loco, quippe qui versu demum 8 sese occentaturum esse minatur. His autem remotis pulcherrimus remanet octonarius:

Suávi cantu cóncelebra omnem hanc pláteam. ST. (quid agis, méa salus?

In iis, quae statim sequuntur, nonnulla videntur excidisse, quibus et sensus et numeri impleantur; sed quaenam ea fuerint, difficile est hariolari. In versu autem 5 addenda videtur particula *ita*, quae eleganter versum labantem fulcit. Lege:

Ita mi inanitáte jamdudum intestina múrmurant.

Sequitur versus integerrimus secundum lectionem Festi et codicis palimpsesti (vid. Ritschel. Parerg. Plaut. I. p. 168), quibus fidem stolide negat Weisius:

Nám quid illaec nunc tám diu intus rémorantur remi- (ligines.

cui versui simillimus erit sequens, si pro *illa* mecum scripseris *illaec*:

quási ob industriám, quanto ego plus própero, tanto (illaéc minus.

De versu 9 nihil opus est ut moneam, et sequor in versu 10 Weisium, legentem cum vett. *dirumpi* pro *dirupi*, et distinguentem post *licet:*

Périi hercle ego misér; dirumpi cántando hymenaeúm
íllo morbo, quó dirumpi cúpio, non est cópia. (*licet;*

In versu sequente fere adducor, ut credam *equus* tribus syllabis pronuntiandum esse; nam, si duobus vocabulis transpositis sic scribas:

'Edepol nae tu sí equus esses, ésses indomábilis,

nimis deprimitur substantivum omni accentu destitutum. In reliquis nihil est quod aliquem morari aut impedire potest:

Quò árgumento? Nímis tenax es. Núm me expertu's
(*úspiam?*
Dí melius faciánt. Sed crepuit óstium; exitúr foras.
Di hércle me cupiúnt servatum. Cásina jam obolúit
(*procul.*

Versu extremo numerorum gratia *Casina* posui ante *jam*.

IV. 4. Suspicatus sum in hujus scenae initio duos latere sotadeos, quibus versibus Plautum nonnunquam usum esse constat. Eos ita disposui:

Sénsim super áttólle pedés límén nova núpta:
Sóspes iter hoc íncipe út viró tuo sís supérstes;

quae mihi opinio ideo arrisit maxime, quoniam sic versûs finis sententiam quoque claudit eleganter. Transposui autem verba *limen pedes*, quamquam hic ordo vulgo receptus non peccat contra versum, secundum doctrinam Hermanni. (Vid. Elem. doctr. metr. p. 440 sq.) Sed verosimilius videbatur Plautum diversum ordinem elegisse, quo numeri fiunt puriores et suaviores, in primo praesertim versu. Pronomen *hoc* vulgo legitur post *incipe*, sed versus aliud flagitabat. Praeterea quod in codicibus exstat post *tuo* vocabulum *semper*, versu jubente,

ejeci. Et nescio an non ineptum prorsus sit hoc loco; homo enim mortalis aliquamdiu quidem superstes alii esse potest, sed semper superstes nemo nisi qui nactus est immortalitatem. Verba quae sequuntur novum rhythmi genus continere vidéntur, cujus licet alterum exemplum nondum invenerim, tamen ea est gratia, ut non ausim hic quidquam tentare. Numeri sunt ad hoc exemplum:

— ⏑́ ⏑ ⏑ — | — ⏑́ ⏑ ⏑ — | — ⏑́ ⏑ ⏑ — | — ⏑́ ⏑ ⏑ —

atque út potior | pollèntia sit | vincásque virum | vi-
(ctríxque sies.

Scrupulus tamen mihi resedit, fateor. Nam aegre desidero pronomen *tua* vel *tibi* ante *pollèntia*. Quodsi pro *sit*, quae est Camerarii lectio, cum Lambino et Grutero legas: *sis*, necessario producenda est praecedens syllaba, siquidem *pollentia* sic auferendi casu accipiendum est, quo facto sensus quidem fit planior, numeri vero prorsus corrumpuntur. Sed utut de hoc versu existimetur, nimis temeraria est Bothii ratio, verba *vincasque virum* tamquam glossema rejicientis; quod amplexus Weisius resecavit praeterea copulam *atque*, verbaque *pollentia sis* transposuit. Idem versui 1 praefixit voc. *I.*, Saturnios cogitans nescio quos. Noli autem novos hos numeros anapaestos vocare, quorum sane habent mensuram, sed rhythmus diversus est; neque etiam iisdem mutationis legibus subjecti esse videntur, non magis quam in versu sequenti illa:

supérétque tuum ímperiúm:

quae tribus cum constent anapaestis puris, aliam statim naturam induant, si anapaesti loco spondaeum aut dactylum adsciscas. Verba sequentia bacchiacum constituere videntur catalecticum:

vir té vestiát, tu virúm despoliés.

Versus 10 cum sine dubio bacchiacis numeris sit conceptus ita legi poterit:

Faciént istae hanc rém mi ex paráta imparátam.

sequenti versui prorsus similis:

Id quaérunt: volúnt, haec ut infecta fáciant.

Utrumque autem versum Olympionis esse credo. Disposui praeterea in sequentibus nonnullos versus, plane diversam a Weisio viam secutus.

Jamne ábscescit úxor? OL. Domi ést, ne time. ST. (Evax!

Nunc pól demum égo sum líber. (Jamb.)

15. *Meúm corculúm, melculúm, verculum. OL. Heus tu!*

maló, si sápis, cavébis: (Jamb.)

mea ést haec. ST. Sció; sed meús fructus prior est.

OL. Tene hánc lampadém. — ST. Imo ego illam tenébo.

In versu 13 *uxor* recte retulerunt ad verba senis; in vs. 15 *melculum* pro *melliculum* Priscianus subministravit. Transposui in vs. 17 *est prior*. In fine autem hujus scenae senarios posuit poëta, qui tamen partim sunt truncati; vs. 22 est integer:

Edepól papillam béllulam! Hei miseró mihi!

sed desunt quaedam versui 23 et 24, ubi ad *tam* cogitatione supplendum ajunt *rustice* vel *nequiter*. At omitti h. l. ejusmodi verbum non poterat. Repone:

Quid tu érgo hanc quaeso tráctas tam feróciter?

Versum sequentem Lindemannus ad Amph. II. 1 vs. 30 ita supplevit:

At mí qui belle hanc trácto, non. OL. Vahá! Vahá!

quod verum esse potest; sed in personis erratum est cum in hoc versu, tum in sequentibus quoque. Lego:

At mí qui belle hanc trácto, non ..... Vahá! Vaha!

OL. Quid ést negoti? ST. Obsecro ut valéntula est!
Paene éxposivit cúbito. OL. Cubitum ergo íre volt.
ST. Quin ímus ergo bella mea bellátula.

Senex dum dicit se belle tractare Casinam, hujus rei periculum facturus eam manu permulcet; sed cubiti vel pedis ictu ita vehementer ab ista Pseudo-casina feritur, ut prae dolore exclamat *Vaha! Vaha!* non absolutâ quam inchoaverat sententiâ, quod mihi imprimis comicum videtur. Nec dubium est quin ultimus versus (quem ex Scaligeri conjecturâ emendavi) totus sit Stalinonis; unde efficitur praecedentia quoque recte a me esse disposita, siquidem haec omnia ita cohaerent, ut si unico loco personam aliter imponas, reliqua quoque statim sint mutanda. In versu antepenultimo scripsi *est negoti* pro *negotii est.*

II.

SPECIMEN COMMENTARII

IN

AMPHITRUONEM.

ARGUMENTUM I.

In fáciem vorsus 'Amphitruonis Júpiter,
dum béllum gereret cúm Telebois hóstibus,
Alcménam uxorem cépit usurériam.
Mercúrius formam Sósiae serví gerit
abséntis: his Alcména decipitúr dolis.
Postquám rediere véri Amphitruo et Sósia,
utérque deludúntur in mirúm modum.

Arg. 1. vs. 2. Perspicuitatis causa malim: *dum is béllum gereret*, et in vs. sq. *uxorem ejus cepit;* nisi tamen ipse hujus argumenti auctor in talibus negligentior fuerit.

Vs. 3 ex ipsa hac comoedia petitus est, ut saepe in Argumentis:

cum 'Alcumena uxóre ejus usurária. (I. 2. vs. 36).

Vs. 7. Vulgo: *uterque luduntur dolis mirum in modum;* sed cum libri MSS. habeant *deluduntur*, et vocabulum *dolis*, teste Bothio, absit a duobus Palatt., merito praepositionis *in* quoque locum mutarunt. Exciderat propter vicinam literam *m;* quae litera incredibile dictu est, quoties prae-

Hinc júrgium, tumúltus uxori ét viro;
donéc cum tonitru vóce missa ex aéthere,
adúlterum se Júpiter conféssus est.

ARGUMENTUM II ACROSTICHUM.

*A*móre captus 'Alcumenas Júpiter
*M*utávit sese in éjus formam cónjugis
*P*ro pátria Amphitruo dúm cernit cum hóstibus.
*H*abitú Mercurius éi subservit Sósiae.
*I*s ádvenientes sérvom ac dominum frústra habet.
*T*urbás uxori ciet Amphitruo, atque ínvicem
*R*aptánt pro moechis. Blépharo captus árbiter

---

positionem in expulerit, cujus rei plurima in his adnotationibus invenientur exempla.

Arg. II. vs. 3. Ad evitandum hiatum in extremo versu Lindemannus primam vocis *patria* syllabam producendam esse ratus est. Nondum enim nota erat lex metrica circa literam *r*, quae liquida, praecedente alia consonante, apud Plautum non habet vim producendi syllabam natura brevem. Bothius scripsit *decernit;* sed ut simplex sensu *dimicandi* frequens est priscis auctoribus (cff. Gronov. Lectt. p. 3), ita compositum *decernere* hoc significatu apud Plautum legere me non memini. Mihi legendum esse videtur: *Amphitruo rex, dum cernit cum hostibus.* Erat enim Amphitruo, ut in enumeratione personarum dramatis vulgo appellatur, dux militaris, non, ut Lindemannus vocat, rex Thebarum; quandoquidem imperium Thebis eo tempore Creon tenebat (vid. infra I. 1 vs. 39), a quo militibus praefectus erat Amphitruo. Vid. Prol. vs. 100, I. 1 vs. 207.

Vs. 7. Mira Dissaldeus fiducia negat hoc argumentum comoediae praefixum ante insitas illas scenas, unde hoc Blepharonis nomen desumptum esse affirmat, cum ex legitimis non Blepharo, sed Naucrates arbiter captus sit inter uxorem

Utér sit non quit 'Amphitruo decérnere.
Omném rem noscunt: géminos illa enítitur.

PROLOGUS.

MERCURIUS.

Ut vós in vostris vóltis mercimóniis
emúndis vendundísque me laetúm lucris

---

et virum. Sed illud Naucratis arbitrium de suo confinxit; neque id probabiliter eum fecisse efficias ex IV. 1 vs. 1. Ex eodem autem hoc loco plane contrarium efficit Lindemannus, hoc usus argumento, quod nusquam neque in legitimis neque in suppositis illa inter Jovem et Amphitruonem raptatio exstet. Addo duo alia argumenta. 1° metrum Plautinum, quod auctori nostro probe notum erat, non amplius callebant eo tempore, quo supposita illa confecta sunt. 2° Vs. seq. desumtus est ex deperditis. Nonius v. *decernere* illum, qui huc pertinet versum, forte fortuna nobis servavit:

Quí nequias, nostrórum uter sit 'Amphitruo decérnere.

Vs. 9. *Geminos illa enititur.* Ita necessario cum Bothio corrigendum erat pro *Alcmena enititur*, quod ex interpretatione ortum est.

Prol. vs. 1. Blandiente alliterationis Venere, auctor justum facilemque verborum ordinem paululum neglexit; siquidem pronomen *vos* propter positum suum prima fronte pro nominativo habeas, cum sit objectum verbi *afficere*. Caeterum protasin usque ad versum 14 intendi palam est.

Vs. 2. Deum *laetum* i. e. propitium vocari apud scriptores veteres nullo exemplo probant; sed si vel maxime probent, citius tamen hanc verbi metaphoram apud Virgilium Horatiumve feram, quam in hac dicendi simplicitate, quae

afficere, atque adjuváre in rebus ómnibus:
et út res, rationésque vestrorum ómnium
bene éxpedire vóltis peregreque ét domi,
bonóque atque amplo auctóre perpetuó lucro
quasque íncoepistis rés, quosque incoeptábitis:
et utí bonis vos vóstrosque omnes núntiis
me afficere voltis, éa [af]feram, ea uti núntiem,
quae máxime in rem vóstram communém sient:
(nam vós quidem íd jam scitis concessum ét datum
mi esse áb dis aliis, núntiis praesim ét lucro:)
haec út me voltis ápprobare, ac nítier

---

vulgi sermoni proxima est. Puto pro *laetum* legendum esse *laevum*, quod eodem sensu apud nostrum occurrit.....

Vs. 4. Malim: *et utí*, ut mox vs. 8.

Vs. 5. Plenius foret planiusque: *bene me expedire voltis*. Nihil tamen mutem.

Vs. 9. *Me afficere voltis, éa feram, éa uti núntiem.* Sic lego, ut pronomen *ea* bis eodem accentu pronuntietur, quod hoc quidem loco prorsus necessarium mihi esse videtur. *Afferam* autem si legas, prius *ea* omnino non auditur. Origo corruptelae quaerenda mihi videtur in creberrimo illo errore, quo librarii literas geminarunt. Eadem emendatio applicanda est Curc. I. 1 vs. 84 et Menaechm. V. 2 vs. 8, ubi vidd. Annott.; servatumque est *ferre* sensu *afferendi* Bacchid. II. 3 vs. 94 et Curc. I. 1 vs. 82. Meliorum autem codicum auctoritate permotus cum Weisio pro *eaque et nuntiem* scripsi *ea uti nuntiem*. Codd. Pall. et Venet. a. 1499 habent: *Ea ut nuntiem*.

Vs. 12. Ad *praesim* aegre desidero particulam *ut;* sed versus non admittit.

Vs. 13. *Approbare* h. l. est *facere ut probetur*, quod sic egregie illustrat Gronovius: »*Approbant* opus perfectum susceptores vel redemptores, *probantibus* censoribus, qui id

lucrum út perenne vóbis semper súppetat:
ita huíc facietis fábulae siléntium,
itaque aéqui et justi hîc éritis omnes árbitri.
Nunc cújus jussu vénio, et quam ob rem vénerim
dicám, simulque ipse éloquar nomén meum.
Jovis jússu venio, nómen Mercurio ést mihi.
Páter húc me misit ád vos oratúm meus, —
(tametsi, pro imperio vóbis quod dictúm foret,
scibát facturos: quíppe qui intelléxerat

---

locaverant. Huc respicit et Phaedrus de Simonide: *opus adprobavit*. Appulejus lib. VI: *ante istam vesperam opus expeditum approbato mihi.* Sic foret igitur *haec approbare*, haec rebus et opere vobis probare ac repraesentare, qualia optatis." Sed quam alteram addidit significationem, ea huc non quadrat. Scripsi autem cum Pareo et Bothio, pro *annitier, ac nitier*, quia cum sqq. cohaeret verbum hoc.

Vs. 17. Malim: *Nunc cújus huc jussu venio*, ut vs. 26; nam *cujus* tantum non semper monosyllabum est apud nostrum. Jam duplex illa constructio cum Indicat. et Conjunct. (*veni*, *venerim*) probatur locis ab Holtzio excitatis: Cist. I. 1 v. 59.; Most. IV. 2 vs. 53.; Terent. Andr. IV. 1 v. 25.

Vs. 19. *Jovis* hîc posteriorem corripere paulo durius videtur; ita tamen infra quoque V. 3 vs. 3. Dativum autem *Mercurio*, cujus constans in hac locutione est usus, ex uno Pal. adscivimus, quamquam reliqui libri omnes Genitivum *Mercurii* praebeant.

vs. 21. *Tametsi pro imperio, vobis quod dictum foret.* »Mutanda distinctio: *Tametsi, pro imperio vobis quod dictum foret, scibat facturos*. Est enim *dictum pro imperio:* non rogatum sed imperatum; injunctum jure imperantis." Verissimam hanc Gronovii observationem neglexerunt fere interpretes, vitiosae distinctioni male inhaerentes.

verėri vos se et métuere, ita ut aequóm 'st Jovem) —
verúm profecto hoc pétere me precário
a vóbis jussit, léniter, dictís bonis.
Etenim ílle, cujus huc jússu venio, Júpiter,
non mínus quam vostrum quívis formidát malum.
Humána matre nátus, humanó patre,
miràri non est aéquom, sibi si praétimet.
Atque égo quoque etiam, quí Jovis sum filius,
contágione meí patris metuó malum.
Proptérea pace advénio, et [pacem] ad vos áffero.
Justám rem et facilem esse óratum a vobís volo:
nam júste ab justis jústus sum oratór datus:

Vs. 32. Optimi libri *pace advenio,* alterum *pacem* omittentes. Inde Lindem. *pacem advenio, et ad vos affero, advenio* et *affero* pro una notione accipiens, quasi adveniens affero, vel mecum affero, ἔχων ἥκω. Hanc ego conjecturam sequerer, si certiora hujus structionis apud nostrum exempla invenirentur.

Vs. 33. Cod. B et Pal. 4 *oratam,* reliqui Pall. *oratum*, quam exquisitiorem formam recipiendam duxi. Cf. A. Gellius I. 7.

Vs. 34. Versum omni sensu carentem Acidalius fecit, ut intelligeretur saltem, legens *nam juste ad justos justi sum orator datus.* Bothius pro *juste* scripsit *justa*, quod pendere voluit, credo, a substantivo *orator,* quemadmodum verbalia in *io*.... Sed dubito, an haec regula extendi possit ad omnia substantiva, quae a verbis derivantur; quare ipse tentabam *nam justa ab justis petere sum orator datus;* quo facto duo qui sequuntur versus melius huic respondent. Illud *justus* sensum nimis obruebat. Cum vero vel sic quaedam restent, quibus jure offendaris, ad eam inclino suspicionem, totum hunc

nam injústa ab justis ímpetrari nón decet.
Justa aútem ab injustis pétere insipiéntia 'st,
quippe ílli iniqui jús ignorant néque tenent.
Nunc jam húc animum [omnes] ea, quaé loquar,
Debét is velle, quaé velimus: méruimus (advórtite.
et ego ét pater de vóbis et república.
Nam quíd ego memorem, ut álios in tragoédiis
vidí, Neptunum, Vírtutem, Victóriam,
Martém, Bellonam cómmemorare quaé bona
vobís fecissent? queís benefactis meús pater,
deorúm regnator, árchitectus ómnibus.

---

versum esse insititium, quo demto nihil ad sensum desideratur.

Vs. 35. *Impetrari.* Sic B et alii. Vulgo *impetrare.*

Vs. 36. Becker Quaest. Plaut. pag. 107 legendum esse suspicabatur *ea insipientia est,* hiatûs evitandi gratia, allegans Pseud. I. 5 vs. 33: *Jam istaec insipientia est, sic viam in promptu gerere,* et Capt. III. 5 vs. 92: *Vis haec quidem hercle est, et trahi et trudi simul.* Addere potuisset Epid. I. 1 vs. 58: *Plus scire satius est quam loqui servom hominem; ea sapientia est.* Terent. Phorm. IV. 3 vs. 23. In textum tamen pronomen recipere inconsultum duxi.

Vs. 37. *Illi.* Sic omnes praeter B, qui habet *nulli.*

Vs. 38. Malim *ánimum huc.*

Vs. 41. *Nam quid ego memorem, ut alios in tragoediis vidi — commemorare.* Iisdem fere verbis Mercator. Prol. vs. 3: *Non idem ego faciam, ut alios in comoediis vidi facere.*

Vs. 44. *Queis benefactis* etc. »Quorum benefactorum tamen omnium meus pater, ut rex deorum, auctor atque opifex est.” Lambinus.

Set mós illic numquám fuit patrí meo,
ut éxprobraret, quód bonis facerét boni.
Gratum árbitratur ésse id a vobís sibi
meritóque vobis bóna se facere, quaé facit.
Nunc quám rem oratum huc véni, primum próloquar,
post árgumentum hujus éloquar tragoédiae.
Quid cóntraxistis fróntem? Quia tragoédiam

Vs. 46. Numerosius foret: *Set númquam illic mós fuit patrí meo.*

Vs. 47. Terent. Andr. I. 1 vs. 17: *Nam istaec commemoratio quasi exprobratio 'st immemori benefici.*

Vs. 48. »Non homines modo *grati* dicuntur, sed et beneficium *gratum*, quod gratis datur. Contra Terent. Heaut. V. 1 vs. 60 sq.: *Ignosces tamen post, et id ingratum.* Scena sequenti vs. 29: *Quoniam bene quae in me fecerunt, ingrata ea habui atque irrita.* Asin. I. 2 vs. 10 sq.: *Ingrata atque irrita esse omnia intelligo, quae dedi et quod bene feci.* Igitur *arbitratur esse id sibi gratum*, id est, bene positum vel collocatum. *A vobis* i. e. a vestra parte, quantum a vobis gratiae recipere vult ac debet." Gronovius.

Vs. 50. B inter lineas, teste Holtzio, *quamobrem.*

Vs. 52:

Quid cóntraxistis fróntem? Quia tragoédiam
dixí futuram hanc? Déus sum: commutávero
eamdem hánc, si voltis. Fáciam, ea tragoédia
comoédia ut sit, ómnibus ísdem vérsibus.

Vitium latet in verbis: *commutavero eamdem hanc.* Pronomen *eamdem* prorsus abundat; nulla in eo est gratia, nulla vis, meliusque illud abesse nemo negaverit. Quod tamen cum per versum non liceat, ego, servatis omnibus litteris, commutatâ tantum distinctione, sic omnia planissima mihi videor reddidisse, et locutionem restituisse vere Plautinam:

dixí futuram hanc? Déus sum. Commutávero.
Eamdem hánc, si voltis, fáciam, — ex tragoédia
comoédia ut sit, ómnibus ísdem vérsibus.
Utrúm sit, an non, vóltis? Set ego stúltior;
quasi nésciam vos vélle, qui divós siem.
Teneó quid animi vóstri super hac ré siet.
Faciám [ut] commista *utí* sit tragicomoédia.
Nam mé, perpetuo, fácere, ut sit comoédia,
regés quo veniant, ét di, non par árbitror.
Quid ígitur? Quoniam hîc sérvos quoque partés habet,

Déus sum. Commutávero.
Eamdem hánc, si voltis, fáciam, — ex tragoédia
comoédia ut sit, ómnibus ísdem vérsibus.

Sic primum aliquid excusationis invenit hiatus ille post *faciam*, quod jam arctius cohaeret cum praecedentibus. Tum elegantem nacti sumus usum verbi *commutavero*, absolute positi, ut in Trinummo I. 2 vs. 21:

Vin' cómmutemus? túam ego ducam, et tú meam?

et quae Bentlejus ad Terent. Andr. I. 1 vs. 13 attulit exempla: Rud. III. 6 vs. 27 *Numquid muto?* Pseud. I. 5 vs. 142 et 153 *Non demutabo.* Mil. Glor. IV. 3 vs. 37 *Numquid videtur demutare?* Denique exquisita illa nostro restituta est locutio *Hanc faciam ut sit*, pro eo, quod est *Faciam ut haec sit*, quae locutio apud Plautum singulis fere paginis est obvia.

Vs. 59. *Faciam út commista sít tragicócomoédia.*
Cum de breviori forma *tragicomoedia* in vs. 63 ex B et ipso versu constet, jure Lindemannus eam hîc quoque reponendam putavit; sed versui syllabâ jam truncato ut succurreret, perperam *fiat* induxit pro *sit*. Verius videbatur mutato *ut* in *uti* locum assignare ante *sit*. Holtzius longiorem formam retinuit; sed numeri ipsi horriduli versum corruptum esse clamant.

faciám, sit, proinde ut díxi, tragicomoedia.
Nunc hóc me orare a vóbis jussit Júpiter,
ut cónquistores síngula in subséllia
eánt, per totam cáveam, spectatóribus;
si quoí fautores délegatos víderint,
ut ís in cavea pígnus capiantúr togae.
Si[ve] qui ámbiissit pálmam histriónibus; —

Vs. 63. Male Camerarius reposuit *Faciam hanc — tragicocomoediam.*

Vs. 65. *Conquistores* cum aliis, cogente versu, in textum recepi. Bothius maluit *ut* h. l. expungere, et versui sequenti praefigere; quo remedio, huic quidem loco artificiose applicato, non tamen curaverit duos alios locos, ubi itidem hoc verbum legitur: mox vs. 83 (prorsus enim abesse *ut* ibi non potest) et Merc. III. 4 vs. penultimo:

'Ibo, orabo, ut cónquistores dét mi in vicis ómnibus.

Caeterum pro vulgato singuli cum Ritschelio (Parerg. Plaut. I. pag. 221) ex vet. cod. Orsin. in Vatic. primâ manu recepi *singula*, quod in Pal. 6 quoque exstare testatur Holtzius.

Vs. 66. *Spectatoribus* opponitur *histrionibus* in vs. 82; nam duo sunt Jovis mandata: unum, ne qua fraus fiat a *spectatoribus*, quod vss. 65—74 exponitur a Mercurio; alterum, ne qua peccent *histriones*, ab eodem expositum vss. 81—85.

Vs. 68. Dousa *Ut ab his.* Nonnulli *capiatur.*

Vs. 69. *Sive qui ambissent pálmam histriónibus;*
seu quoiquam artifici, seú per scriptas lítteras,
sive qui ípsi ambissent, seú per internúntium,
sive ádeo Aediles pérfidiose quoí duínt;
sirémpse legem jússit esse Júpiter,
quasi magistratum síbi alterive ambiverit.

Seu quoíquam artifici, [seú per scriptas lítteras.] 70.

Haec vulgata est lectio. Locus difficillimus, qui me diu vexavit. Paene inextricabilis in eo est error, nec quidquam fere ad eum bonae frugis attulerunt interpretes; sed tacent plerique, ut solent in locis intricatioribus. Qualis negligentia vel socordia ne nobis quoque objiciatur, agite singula excutiamus. Et palam quidem est, opponi sibi *sive histrionibus* et *seu quoiquam artifici*, quamquam haud perspicue neque ex usu latine loquentium hoc sit enuntiatum; nisi forte illa *seu quoiquam artifici* parenthesi includere placeat; quo tamen facto particulae *sive* in vs. 69 nihil jam respondet. Quid autem jam faciemus cum illis *seu per scriptas litteras*, quibus nihil est in reliquis, quod opponatur? Quo nunc quidem loco leguntur, necessario opponuntur priori versûs parti *seu quoiquam artifici;* sed per te facile vides, hoc esse absurdissimum, quoniam haec duo versûs membra plane diversi sunt generis. Ad augendas etiam difficultates duplex in vs. 69 est hiatus, et in vs. 74 pravus accentus τοῦ *quasí.* Interpretum modo taxavi inertiam; sed eorum numero eximendus omnino est Fr. Ritschelius, qui, vel aliud agens, suam de hoc loco aperuit sententiam in Prolegomenis ad Trinumm. pag. LXXXV, ubi in nota sic locum disposuit:

Nam sí qui ambissint pálmam hic histriónibus : —
si quoíquam artífici seú per scriptas lítteras
seu qui ípse ambissit seú per internúntium :
sive ádeo aediles pérfidiose quoí duint : —
sirémpse legem jússit esse Júpiter.

tres versus parenthesi includens. Ita autem omnes illae remanent difficultates, quas in vs. 70 notavi; neque etiam vs. 72, arctius cohaerens cum vs. 69, ullo modo ab eo divelli posse videtur. Ut brevis sim, ejecto versu 70, codicum vero scripturâ raro relictâ, sic omnia continuo planissima mihi videntur reddita:

Sive ípse ambissit, seú per internúntium. —

Si qui ámbitissit pálmam histriónibus: —
sive ípse ambissit, seú per internúntium: —
sive ádeo aediles pérfidiose quoí duint:
sirémpse legem jússit esse Júpiter,
quasi sí magistratum síbi alterive ambíverit.

Jam singulorum rationem, quam potero brevissime, dabo. In vs. 69 *Nam* cum Ritschelio versui praemittere necessarium non duxi. Simplicissimum erat, geminatâ mediâ vocali, scribere *ambiissit*. *Si* pro *sive* egregie Ritschelius reposuit, ductus, credo, ipso sententiae tenore. Formam singularem *ambiissit* hîc inducendam putavi, ut in vs. 71, nec non infra in vs. 83, 84 et 85. *Hic*, a Ritschelio insertum, hoc quidem loco non placet.

Vs. 70 *Artifex* est tibicen, is qui modos facit, cantor, et quisquis praeterea propter artem suam aliquam scenico choragio adjunctus est; non vero, ut operose docet Lambinus, *histrio*, locum ex absurdo absurdiorem reddens. Verba *seu perscriptas litteras* librario male sedulo deberi videntur, qui haec adscripserit supra illa Plautina *seu per internuntium*, sententiam suo isto invento (ab auctore casu praetermisso) expleturus scilicet. Similiter ad *histrionibus* aliquis addidit *sive alio cuidam artifici* vel simile quid; nimirum de cantoribus illis et tibicinibus misere sollicitus. Haec autem deinceps in senarium coacta sunt. De his jam argumentis qualecumque tuum sit judicium, hoc mihi videtur esse certissimum, versum 70 male disjungere versus 69 et 71, ideoque vel alio loco collocandum, vel rejiciendum esse.

Vs. 71 versûs gratia pro *sive* Ritschelius *seu;* ego adstipulante, imo jubente sensu ejeci potius *qui*, utpote repetitum ex vs. praecedenti (h. e. vs. 69). *Ipse* pro *ipsi* praebent B et Pall., quorum duo tantum pluralem for-

Sive ádeo Aediles pérfidiose quoí duint:
sirémpse legem jússit esse Júpiter,
quasi sí magistratum síbi alterive ambíverit.
Virtúte dixit vós victores vívere,
non ámbitione, néque perfidia. Quí minus
eadem hístrioni sít lex, quae summó viro?
Virtúte ambire opórtet, non fautóribus.
Sat hábet fautorum sémper qui recté facit,

---

mam *ambissent* exhibent, reliquis singularem servantibus.

Vs. 74 pravo accentui succurri, addito *si*. Forma haec *Quasi si* aliis quoque locis oblitterata fuit.

Jam paucis dicam de sensu loci, uti a me est constitutus. Versus 69 et 72 duas efficiunt sententiae partes, particulis *si*, *sive* (i. e. *sive*, *sive*) disjunctas. In priore parte notatur is, qui ambitiose a Praetoribus petit; in altera parte ipsi Aediles indicantur palmam perfidiose dantes. Jam vero prima sententiae pars rursus in duo membra dispescitur, quae membra item per *sive* et *seu* sejunguntur et continentur vs. 70, a me parenthesi incluso, hoc sensu: sive ipse per se, sive per alium ambiverit. Vide jam, quam simplex universa sit sententia: *Si quis per se ipse aut per alium palmam ambiverit*, *vel si Aediles perfidiose alicui dederint*, *Jupiter jussit* etc. Caeterum *ambissit*, h. e. *ambiverit*, pro *ambisset* recepi cum Ritschelio aliisque.

Vs. 73. *Sirempse*, h. e. *campse*, *eamdem*, ex antiquissimis documentis primus restituit Scaliger. Codd. fere: *Si similem rem ipse.*

Vs. 79. Placetne legere:

Sat hábet fautorum, sémper qui recté facit,

mutatâ distinctione? Caeterum editores omnes, quod sciam, scribunt: *habét*, acutâ posteriori; mihi alterum adblandiebatur, *hábet*, eadem correpta.

si illís fides est, quíbus est ea res ín manu.
Hoc quóque etiam in mandátis mihi dedít pater
ut cónquistores fierent histriónibus.
Qui, síbi, mandasset, délegati ut plaúderent,
quive, quó placeret álter, fecissét, minus;
ejus órnamenta et córium uti concíderent.
Miriári nolim vós, quapropter Júpiter
nunc hístriones cúret. Ne mirémini.
Ipse hánc acturu 'st Jupiter comoédiam.
Quid ádmirati † éstis? Quasi veró novom
nunc próferatur, Jovém facere histrióniam.
Etiam hístriones ánno cum in proscénio hîc

Vs. 80. Vulgo *illis;* solus Pal. tertius *in illis.*

Vs. 81. *Hoc quóque etiam mihi in mandatis dédit* — Versum mancum alii aliter suppleruut. Edd. vett. *mihi ille in.* Lindemannus ex cod. Sur. in fine addidit *pater*, quem sequor, mutato etiam paulum verborum ordine.

Vs. 83. *Mandasset* pro *mandassent* sequentium causa reposui.

Vs. 84. *Quive* h. l. pro pyrrichio est; quod quomodo defendam aut emendem, non reperio. *Fecisset* habent B, Z, Pall. quatuor; reliqui pluralem formam tuentur.

Vs. 85. Vulgo *eis.* Pall. et Z *ejus.*

Vs. 89. Signo hoc crucis † apud me hiatus indicatur vitiosus. In Specimine meo critico pag. 23 transponebam *éstis admiráti*, quod ideo non recipio, quoniam aliis quoque modis corrigere licet, unde difficilis est electio; veluti *estís vos?* vel *estís nam?* vel *Quid? ádmiratine éstis?* vel adeo *Quid? ádmirati id éstis?*

Vs. 90. *Jovem* h. l. monosyllabum est.

Vs. 91. *Anno*, i. e. ante annum, anno praeterito, *πέρυσιν*, cui oppositum est *horno*. Exempla habet index.

Jovem ínvocarunt, vénit: auxilio eís fuit.
Praetérea certe pródit in tragoédia.
Hanc fábulam, inquam, hic Júpiter hodie ípse aget;
et ego úna cum illo. Núnc *huc* animum advórtite,
dum argúmentum hújus eloquar comoédiae.

Haec úrbs est Thebae, in íllisce habitat aédibus
Amphítruo, natus 'Argis ex Argó patre,
quicum 'Alcumena est núpta, Electri fília.
Is núnc Amphitruo praéfectu 'st legiónibus;
nam cúm Telebois béllum est Thebanó poplo.
Is priúsquam hinc abiit ípsemet in exércitum,
gravidam 'Alcumenam fécit, uxorém suam.

Vs. 93. *Certe* pro codd. scriptura *certo* exstat jam in edit. Gronoviana. Lamb.: »*Certe*. Sine controversia et sine cujusquam reprehensione. At haec fabula tragicomoedia est."

Vs. 95. *Huc* inserui nulla librorum auctoritate; vulgo intrudunt *vos*.

Vs. 96. *Dum hujus árgumentum — éloquar comoédiae.* Recentiores in medio versu hiatum tuentur. Bentlejus ad Ter. Andr. Prol. vs. 11: *Dum hujúsce argumentum éloq. c.* Ego in Spec. pag. 23, inducto, ut mihi videtur, meliori verborum ordine: *Dum argúmentum hujus éloquar com.* Cf. vs. 51: *Post árgumentum hujus éloquar tragoédiae.* Tenendum autem est *argumentum* secundam etiam alibi acuere, ut v. c. in Andriae versu modo citato.

Vs. 101. Mire B, Z et Pall. quinque: *est bellum*, unde legendum conjicias: *nam Télebois est béllum et Thebanó poplo.*

Vs. 103. Recte jam Fruter. verba *uxorem fecit* transposuit, meliorem hunc esse verborum ordinem perspiciens. Eadem autem opera numeros quoque suaviores reddidit, hiatumque removit, imprudens id quidem et nescius.

III.

SPECIMEN COMMENTARII

IN

TRINUMMUM.

ARGUMENTUM.

*T*hensaúrum abstrusum ábiens peregre Chármides,
*R*emque ómnem amico Cállicli mandát suo.
*I*stóc absente mále rem perdit filius;
*N*am et aédis vendit: hás mercatur Cállicles.
*V*irgo índotata sóror istius póscitur.
*M*inus quó cum invidia eí det dotem Cállicles,

Vs. 1. Ritschelius interposuit *clam* post *thensaurum*, Hermannus *suum*, ut, remoto hiatu, versui consulerent. Sed praeterquam quod *abstrusum* acutâ mediâ numerosius est, quam si accentum in primam retrahas, habemus etiam in vs. 6 simile hiatûs in caesura exemplum, quem Ritschelius itidem removens, transpositis verbis *ei det*, mihi quidem ipsum argumenti auctorem corrigere videtur.

Vs. 6. *Minus quo* pro *quominus* inusitatior quidem, sed proba tamen dictio, minimeque cum Lindemanno soli acrostichorum necessitati tribuenda; quod facile senties, si pro *quo* substituas *ἰσοδυναμοῦν ut*.

*M*andát, qui dicat aúrum ferre se á patre.
*U*t vénit ad aedis, húnc deludit Chármides
*S*enéx, ut rediit, quójus nubunt líberi.

PROLOGUS.

LUXURIA. INOPIA.

LUX. Sequere hác me, gnata, ut múnus fungarís tuum.
IN. Sequór: set finem fóre quem dicam, néscio.
LUX. Adést; hem illae sunt aédes: i intro núnc iam. —
Nunc, né quis erret vóstrum, paucis ín viam
dedúcam, si quidem óperam dare promíttitis.
Nunc ígitur primum, quae égo siem, et quae illaéc (siet,

Vs. 9. *Quojus nubunt liberi.* Haec lectio est Saraceni, ab editoribus jure recepta; nam omnes libri mira constantia habent: *nubuntur heri* vel *eri*. Unus C *nubunturire.*

Vs. 1. *Sequere me, mea gnata.* Sic antea legebatur; sed veram lectionem *hac me*, quam Bothius jam ex Nonii (p. 497) verbis *ac me* receperat, manifesto plane repraesentat A.

Vs. 3. Si cum Hermanno et Ritschelio legas *ex* pro *hem*, (quod tuentur omnes libri, etiam A, ut videtur) nimis correptim pronuntiari videtur *adest*, cujus adeo vis in thesi sic prorsus opprimitur. Et potest etiam *hem* esse admonentis; nam in talibus voculis interdum non satis distincta est significatio; quare a vulgari lectione non esse recedendum puto. Caeterum frustra sunt, qui *ades* vel *adesto* legere volunt. Sensus est: adest jam finis.

Vs. 6. *igitur primum.* Sic ex A et B emendatum; quod conjectura jam assecutus erat Guyetus. Vulgo *primum igitur.* Pro *quae ego sim*, quod defendit Ritschelius, legere malui: *quae égo siem*, quia concinnitatem quamdam in eo

huc quae ábiit intro, dícam, si animum advórtitis.
Primúm mihi Plautus nómen Luxuriae índidit;
tum illánc mihi gnatam *is* ésse voluit Inopiam.
Set ea húc quid introíerit impulsú meo,
accípite, et date vacívas auris, dum éloquar.
Aduléscens quidam 'st, quí in hisce habitat aédibus:
is rém paternam me ádjutrice pérdidit.

---

cernere videbar, si utrumque pronomen *ego* et *illaec* esset sub ictu, neque *sim* plene liquesceret, integro exaudito *siet*. In extremo versu veram lectionem *illaec* iterum codici A debemus, reliquis libris (uno excepto, qui habet *illec*) *illa haec* praebentibus.

Vs. 9. Vulgo: *tum hanc mihi gnatam* (B *ganatam*) *esse*, quod bis peccat hiatu. In verborum ordine nonnihil variant codices et editores. Hermannus: *tum mi hanc is esse gnatam*. Et sane *is* ante *esse* facillime excidere potuit. Ritschelius: *tum illanc mihi esse gnatam*. A, etsi vs. 8 et 9 sic in unum contraxit, errore librarii: *primum mihi gnatam esse voluit inopiam*, hunc tamen ordinem *gnatam esse* probat. Ego a libris quam minime recedere et arti tamen Plautinae satisfacere mihi videbar, si a Ritschelio *illanc*, ab Hermanno *is* adsciscerem.

Vs. 10. Hunc vs. casu inter vs. 7 et 8 collocat A. Pronomen *ea*, nisi in A et B nusquam legitur, quos libros ex Ritschelii collatione persaepe conspirare animadverti in servandis veris lectionibus. Caeterum non opus videtur omnium librorum (etiam A) scripturam *huc quid* cum Bothio et Ritschelio invertere, scribendo *quid huc*, quoniam *introire* etiam quatuor esse syllabarum potest. Men. IV. 2 vs. 99:

Nám domum numquam íntroibis, nísi feres pallám simul.

Vs. 11. Librarii, credo, negligentia pro *vacivas auris* A praebet: VOCIVO. SRIS.

Quoniam eí, qui me aleret, níl video esse rélicui,
dedi eí meam gnatam, quícum *una* aetatem éxigat.
Set de árgumento ne éxpectetis fábulae:
senés, qui huc venient, hí rem vobis áperient.
Huic graéce nomen ést Thensauro fábulae:
Philémo scripsit: Plaútus vortit bárbare:
nomén Trinummo fécit. Nunc vos hóc rogat,
ut líceat possidére hanc nomen fábulam.
Tantúm 'st. Valete: adéste cum siléntio.

ACTUS I. SCENA I.

MEGARONIDES.

Amícum castigáre ob meritam nóxiam

Vs. 14. Ex hoc versu luculenter apparet, quam arcto vinculo conjuncti sint A et B; nam non tantum hi soli pronomen *ei* nobis servarunt, sed etiam in mendo conspirant. Quid enim aliud est illud Ambrosiani AL. ERET, quam vitiosa codicis B lectio *alaeret?* In versu quoque sequenti pronominis *ei*, quod unus habet A, vestigium tamen servat B: *dediemeam*.

Vs. 15. Magnopere placet, quod cum Vollbehrio addidit Ritschelius, *una*.

Vs. 18. Rectum verborum ordinem *graece nomen* soli habent A et B; reliqui vitiose *nomen graece*.

Vs. 20. *Vos hoc* ex A petitum; nam reliqui omnes *hoc vos*.

Vs. 23. Vulgo: *Ne amicum*, quod male olim tuitus sum; nam regula illa de particula asseverandi *ne*, eam semper excipi a pronomine aliquo oportere, etiam ad comicos pertinet, ut demonstravit Fleckeisen, locis huc pertinentibus accurate congestis et excussis, in Schneidewini Philol. II. pag. 101 sqq. Quod autem hic, ratione maxime duce, probatum ivit, id diserto testimonio confir-

immúne 'st facinus, vérum in aetate útile
et cónducibile. Nám ego amicum hodié meum
concástigabo pró commerita nóxia:
invítus, ni id me invítet ut faciám fides.
Nam hic nímium morbus móres invasít bonos:
ita pleríque omnes jám sunt intermórtui.

---

mat A, in quo particula illa desideratur. Accedit denique, quod vocabuli origo plana fit ex B et cod. Lips., ubi legitur: *Me amicum*, h. e. MEGARONIDES. *amicum*, cujus cum prima litera omissa esset (ut in C et uno Vaticano), postea appingenda scilicet, facillime inde librarii efficere potuerunt: *Ne amicum.*

Vs. 24. *Immune 'st facinus.* Junguntur *gratus* et *munis*. Merc. I. 1 vs. 104: *Dico ejús pro meritis grátum me et muném fore;* ubi *gratus* ad animum tantum spectat, *munis* contra is dicitur, qui animi sensum *factis* declarat, qui beneficium beneficio compensat communeratque. Haec tamen distinctio non semper tenetur in negativo *immunis*, quo cum is proprie denotetur, qui benefacta benefactis nullis rependit, tamen non distinguitur fere *immunis* significatione a verbo *ingratus*, exquisitiore illo sensu, de quo vid. ad Amph. Prol. vs. 48. Sic h. l. *immune 'st facinus* idem fere est ac si dicas *ingratum est facinus.* Germanice eodem sensu dicere licet: *Es ist ein undankbares Geschäft.* Paullo aliter infra II. 2 vs. 69 hoc vocabulum est explicandum; ibi enim *civis immunis* est *parcus*, *tenax*, *illiberalis.* Ficticia denique est significatio, quam huic vocabulo tribuit Philto, ibid. vs. 73.

Vs. 27. Hermanni conjecturam, *id me* legentis pro omnium librorum lectione *me id*, auctoritate sua comprobavit A.

Vs. 29. Recte A *plerique*, reliqui *plerumque.* Locutio illa *plerique omnes*, vel ex Terentio notissima est.

Set dum ílli aegrotant, ínterim morés mali,
quasi hérba inrigua súccrevere ubérrime:
neque quícquam hic vile núnc est, nisi morés mali.
Eorúm licet jam métere messem máxumam:
nimióque hic pluris paúciorum grátiam
faciúnt pars hominum, quam íd quod prosit plúri-
Ita víncunt illud cónducibile grátiae, (bus (*).
quae in rébus multis óbstant, odiosaéque sunt,
remorámque faciunt reí privatae et públicae.

CALLICLES. MEGARONIDES.

CALLICLES.

Larém corona nóstrum decorarí volo:
Uxór, venerare, ut nóbis haec habitátio
bona, faústa, felix fórtunataque évenat —

Vs. 31. Cogente metro, jam a Dousa fil. repositum est *succrevere* pro *succreverunt*. Minus probabiliter tentarunt: *succrerunt*.

Vs. 33. Meliorem sine dubio codicum, praeter A et B, ordinem: *messem metere*, praeëunte Ritschelio, inviti tamen, et, ut ita dicam, tergiversantes reliquimus, duorum illorum librorum auctoritate quasi coacti.

Vs. 40. *Venerare* h. l. significat cum veneratione precare.

Vs. 41. Forma *evenat*, quam numeris jubentibus receperunt editores (libri enim MSS. omnes habent *eveniat*) comprobatur Nonii verbis p. 507: »*Evenat pro eveniat. Ennius Hecuba:*

---

*) [Verba *id quod prosit pluribus* nos addidimus ad priora: desunt enim in schedis Lomanni, cui fortasse displicuit lectio vulgata, quum etiam in Commentario annotationi ad vs. 35 locum vacuum reliquerit.
J. G. H.]

teque út, quam primum póssim, vídeam emórtuam.
MEG. Hic ille ést, senecta aetáte qui factú 'st puer,
qui admísit in se cúlpam castigábilem.
Adgrédiar hominem.

CALLICLES.

Cúja hic vox prope mé sonat?
MEG. Tui bénevolentis, sí ita's, ut ego té volo:
sin áliter es, inimíci atque iratí tibi.
CALL. O amíce, salve. [atque aequalis. Ut vales

Senéx sum; utinam mortem óppetam prius quam évenat
Quod in pauperie meá senex gravitér gemam."

Praeterquam h. l. ter eam formam nostro restituerunt intpp.: Curc. I. 1 vs. 39; Epid. II. 2 vs. 105 et III. 1 vs. 2; similiterque *pervenat* reposuerunt Rud. III. 2 vs. 12, et infra vs. 94, qui tamen versus a Ritschelio ejicitur.

Vs. 45. Adverbium *hic* ex A accessit. Hermanno praeëunte, Ritschelius inverso ordine edidit: *prope me vox*, quo non opus videtur.

Vs. 46. Pronomen *te* codici A debetur, in quo libro excidit *si*, proximis litteris *s* et *i* expulsum; quod quam saepe in libris mss. factum sit, abunde ex his adnotationibus patebit. Interim unum hic addo exemplum Horatii Sat. II. 1 vs. 55 (¹).

Vs. 48. Verba uncís inclusa spuria esse quinque argumentis evincam. 1°. Verba *atque aequalis* isto loco collocata mirifice frigent. Ferrem, si hoc ordine legeretur: *O amice, atque aequalis, salve.* Nunc post solemnem demum salutandi formulam intulit, se ipse quasi corrigens,

---

¹) [Quamvis polliciti nihil nos edituros nisi intactum atque integrum, reliquam tamen huius annotationis partem omisimus. Quid enim opus erat repetere quae de hoc Horatii loco supra dixit Lomannus in *Adnott. critt. in Casin.?* J. G. H.]

Megaronides?]

MEGARONIDES.

Et tu édepol salve, Cállicles.

---

et quod dicere oblitus erat, sero addens. 2°. Rogante Callicle: *ut vales?* nihil ad ea respondet Megaronides, nullamque eorum habet rationem; sed respicit tantum remotiora illa: *O amice salve.* 3°. Versus turpiter hiat cessante synaloepha in verbis *salve atque*, cui malo remedium adhibiturus nescio quis, contra codices infersit pronomen *mi: O amíce salve mi, átque aequalis*, infelicissima conjectura. 4°. Pròbabilis hujus interpolationis dari potest causa. Didici scilicet ex Ritschelii ad Bacchides diligentissima codicum collatione, interdum in libris MSS. interlocutorum nomina plena appingi, et mediae adeo orationi interponi. Cf. e. g. Ritsch. ad Bacch. I. 1 vs. 24; III. 3 vs. 33 et V. 2 vs. 24. Idem h. l. factum esse suspicor. Scriptum erat:

O amice salve! MEGARONIDES. *et tu edepol salve, Callicles.*

Jam vero, cum viderent librarii extrema per se integrum constituere senarium, reliqua verba: *O amice salve* alterius senarii partem esse putabant, quem illi expleturi scilicet, inficetum illud et ineptum adscripserunt additamentum, quod jam damnamus. Eadem scribendi consuetudo effecit, ut etiam alia loca corrumperentur, veluti Pseud. I. 1 vs. 79 et Ter. Andr. V. 4 vs. 5 (3?). Vide etiam me ad Amph. II. 1 vs. 34, et ad Capt. II. 3 vs. 42. — 5°. Ejecto emblemate illo insulso, reliqua et sensum praebent egregium et senarium numeris absolutum, quod nemo, opinor, bene perpensis caeteris argumèntis casui fortuito tribuet. Legendum igitur est:

CALL. *O amíce salve!* MEG. *Et tu édepol salve Cállicles.*

Sic Poen. V. 2. vs. 79:

HA. *O mí popularis sálve!* AG. *Et tu edepol, quísquis es.*

Valén'? Valuistin'?

CALLICLES.

Váleo et valui réctius.

MEGARONIDES.

Quid túa agit uxor? út valet?

CALLICLES.

Plus quam égo volo.

MEGARONIDES.

Bene hércle 'st, illam tíbi valere et vívere.

CALL. Credo hércle te gaudére, si quid míhi mali 'st.

MEG. Omníbus amicis, quód mihi 'st, cupio ésse idem.

Ibid. vs. 116. *Mi pátrue salve!* HA. *Et tú salveto Agorástocles.* Bacch. V. 1 vs. 20: *Philóxene salve. PH. Et tu.* Capt. V. 4 vs. 12: *Salve Tyndare. TY. Et tu.* Stich. II. 1 vs. 44: *Salvós sis. DI. Et tu sálve.*

Haec paulo fusius a me in Specimine critico disputata Ritschelium calculo suo comprobasse laetor.

Vs. 50. *Et valui rectius;* annis scilicet minus gravatus. Utrumque autem promiscue a nostro usurpatur: *recte valeo* et *bene valere*. Caeterum levis suspicio est pro *et* legendum esse *at*.

Vs. 51. Ex A desumptum est *tua agit;* reliqui *agit tua*.

Vs. 52. Quod olim conjeceram, ejiciendum esse alterum *bene*, quod post *tíbi* legebatur, id probant tum loca Plautina, ubi pariter *valere* et *vivere* sine adverbio copulantur (infra III. 3 vs. 43 et IV. 3 vs. 67; cf. Ritsch. ad Bacch. II. 2 vs. 14 et Bentl. ad Terent. Heaut. II. 3 vs 3.) tum A, qui unus hoc verbum omittit.

Vs. 53. Malim: *si quid mí 'st mali.* Breviorem formam *mi* servavit A.

Vs. 54. Nescio cur Bothium secutus Ritschelius *idem* in *item* mutaverit. Sensus est: mihi salva est uxor; idem tibi esse cupio.

CALL. Eho tú, tua uxor quíd agit? —

MEGARONIDES.

Immortális est.

Vivít, victuraqué 'st.

CALLICLES.

Bene hercle núntias.

Deosque óro, ut vitae tuaé superstes súppetat.

MEG. Dum quidem hércle tecum núpta sit, sané velim.

CALL. Vin' cómmutemus? túam ego ducam et tú meam?

Faxo haút tantillum déderis verborúm mihi.

MEG. Namque énim tu, credo, me ínprudentem obré-(pseris.

Vs. 55. Pronomen *tu* solus habet A; idque non ex proximis litteris ortum, sed ab ipso auctore profectum esse, inde demonstro, quod, cum ingens sit numerus locorum, ubi *eho* utrâque correptâ pronuntiandum est, ne semel quidem *eho* invenerim productâ posteriori. Unum tantum affero locum cum hoc nostro comparandum, Bacch. IV. 7 vs. 5. *Ehó tú, loquitatusne és gnato meó male?* Qui exemplorum desiderat farraginem, adeat indicem Plaut. Weisii v. *eho*.

Vs. 60. *Faxo haut* etc. Non deceptus ero, non mihi detrimento erit ista commutatio.

Vs. 61. Verba *namque enim* non nisi h. l. junguntur; quare variis modis mutarunt; *neque enim* Acidalius scripsit, Camerarius *nunquam*, Bothius *enim*, Vollbehrius *nam equidem*, Ritschelius suum *nempe enim* in textum recepit. Ego cum J. F. Gronovio et aliis viris doctis vulgarem lectionem non esse sollicitandam existimo; nam qui in ea est pleonasmum similibus exemplis (*quia enim*, *quoque etiam*, *neque haut*, aliis) satis defendi recte monuit Fleckeisen in Schneidewini Philolog. II. l. l. Merito autem accusativum *me inprudentem* ex A adsciverunt, allegantes Poen.

CALL. ....

MEG. **Habeás, ut nanctu's: nóta mala res óptuma 'st.**

Nam ego núnc, si ignotam cápiam, quid agam nésci-

CALL. **Ne tu hércle faxo haut néscias, quam rem égeris. (am.**

Prol. vs. 14: *Nam nisi clamabis, tácitum te obrepét fames.* Reliqui libri ad unum omnes dativum *mi inprudenti* tuentur. Jam quod ad sensum attinet, *obrepere* h. l. significare videtur *fallere, sublinere os*, ut hoc dicat Megaronides: asseveras, te a me non deceptum iri; sed tu me fortasse necopinantem decipies. Exquisitioris significationis verbi *faxo*, in versu praecedenti, quod hîc exponas licet, *affirmo tibi, mihi crede*, exempla dabit index. Restat, ut paucis dicam de lacunae signo, quod huic versui subjeci; nam qui hîc in libris omnibus legitur versus:

Ne tu hércle faxo haút scias, quam rem égeris,

quique apud me est 64, ei necessario locus dandus erat post versum 63 *Nam ego nunc* etc., ut manifesto apparuit ex codicis A lectione *haut nescias.* Quemadmodum enim vs. 62 et 63 verbis sibi oppositis *nota* et *ignotam* quasi conglutinati sunt, ita hic rursus cum sequenti suo per verba *quid agam nesciam*, quibus respondent *faxo haut nescias, quam rem egeris*, arctissimo vinculo cohaerent, ut facinus sit eos divellere. Quodsi hîc subsistens reliquorum ordinem versuum non sollicitas, nimis abrupta sunt Megaronidis verba in versu 62, quae paulo melius se habebunt, inserto sub Calliclis persona hujuscemodi versiculo:

Quin tú conquestu's dúdum, esse odio tuám tibi.

Cum tamen ne sic quidem omnia satis concinna sint, vide an paulo audacius adhibito transponendi remedio sic legere liceat:

CALL. *Vin' cómmutemus? túam ego ducam et tú meam?*
MEG. *Habeás, ut nanctu's, nóta mala res óptuma 'st.*
Nam ego núnc si ignotam cápiam, quid agam nésciam.
CALL. *Ne tu hércle faxo haut néscias, quam rem égeris.*

MEG. Edepól proinde út diu vívitur, bene vívitur.
Set hoc ánimum advorte, et aúfer ridiculária:
nam ego dédita opera huc ád te advenio.

CALLICLES.

Quíd venis?

MEG. Malís te ut verbis múltis multum objúrgitem.

CALL. Men'?

MEGARONIDES.

Númquis est hic álius praeter me átque te?

CALLICLES.

Nemó 'st.

MEGARONIDES.

Quid tu igitur rógitas, tene objúrgitem?

MEG. *Namque énim tu, credo, me ínprudentem obrépseris.*
CALL. *Faxo haút tantillum déderis verborúm mihi.*
MEG. *Edepól proinde* etc.

Et haec quidem mea de hoc loco stat sententia: aut hunc verum esse versuum ordinem, aut locum non esse integrum; versum autem 64 (reliquis 62) suo me loco restituisse.

Vs. 65. *Edepól proinde út diu vívitur, bene vívitur.* Sic Acidalio inventore, Ritschelio auctore edidimus, cum vulgo legatur: *Ut bene vivitur, diu vivitur.* Sed minime haec Callicli danda sunt. Megaronides ab initio inde commutationem istam repudiat, neque aliud hoc versu innuit, quam commutare se nolle; nam qua diu usus sis vivendi ratione, eam in consuetudinem tandem abire, abs qua aegre recedas.

Vs. 67. Pro *advenio* solus A *venio*, quod recipientem non secutus sum Ritschelium; nam ad talia omittenda quam addenda procliviores esse solent librarii. Et amat talem abundantiam Plautus: vs. 98 *ad te adveni.*

Vs. 70. Pronomen *tu* insertum ex A. In versu proximo ex eodem libro elegantem lucrati sumus lectionem: *tu me mihimet;* antea legebatur: *tute mihi me.*

laudatus. Iam vero grammatici pro alterutra mercede argumenta petunt ex Aristotelis Πολιτείᾳ Ἀθηναίων, Philochori Ἀτθίδι et Lysiae oratione περὶ Ἀδυνάτου, dum sit illi haec oratio tribuenda. Scholion princeps et, me judice, ceterorum omnium tanquam fons locus est Harpocrationis, a Bekkero sic recensitus: Ἀδύνατοι. οἱ ἐντὸς τριῶν μνῶν κεκτημένοι τὸ σῶμα πεπηρωμένον. (leg. cum Bekk. τὸ δὲ σῶμα πεπηρωμένοι.) ἐλάμβανον δὲ οὗτοι, δοκιμασθέντες ὑπὸ τῆς βουλῆς, β´ ὀβολοὺς τῆς ἡμέρας ἑκάστης, ἢ ὀβολὸν, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων Πολιτείᾳ, ὡς δὲ Φιλόχορός φησιν, θ´ δραχμὰς κατὰ μῆνα. ἔστι δὲ καὶ λόγος τις ὡς Λυσίου περὶ τοῦ Ἀδυνάτου, ἐν ᾧ ὡς ὀβολὸν λαμβάνοντος μέμνηται. In postremis quatuor codices inter voculas ὡς et Λυσίου intextum habent λέγεται, sed vel omisso hoc verbo Harpocration, cui sane eiusmodi rerum competit iudicium, satis indicat pro spuria se habere orationem laudatam. Ceterum ex hoc loco effici solet, Aristotelem scripsisse ἀδυνάτοις quotidie ὀβολὸν datum. Sed huc infra redibo. Nunc annotationem legamus grammatici Bekkeriani (I. p. 345, 15): Ἀδύνατοι. οἱ μέρος τι βεβλαμμένοι τοῦ σώματος, ὡς μηδὲ ἐργάζεσθαι, οἳ καὶ ἐχορηγοῦντο τὰ πρὸς τὸ ζῆν παρὰ τῆς πόλεως, μισθοφορούντων αὐτοῖς τῶν ἐν τοῖς τριῶν μνῶν περιουσίαν κεκτημένων. ἐδοκιμάζοντο δὲ οἱ ἀδύνατοι ὑπὸ τῆς τῶν πεντακοσίων βουλῆς, καὶ ἐλάμβανον τῆς ἡμέρας, ὡς μὲν Λυσίας λέγει, ὀβολὸν ἕνα, ὡς δὲ Φιλόχορος, πέντε· Ἀριστοτέλης δὲ δύο ἔφη. (Cff. Bibl. Coisl. p. 603 et Anecd. Bachm. I. p. 32, 13.) En alia prorsus Philochori et Aristotelis testimonia! Quid enim in ceteris, quid in verbis αὐτοῖς τῶν ἐν τοῖς emendandis diu moremur, quae non omnino emendarunt scribendo αὐτῶν τῶν ἐντὸς,

quum non una, sed duplex (τῶν αὐτοῖς, τῶν ἐν τοῖς) in illis insit tentatio verae lectionis (τῶν ἐντὸς) restituendae? Legendum igitur μισθοφ. τῶν ἐντὸς τριῶν μνῶν κτἑ. Sed minora haec sunt Philochori et Aristotelis fragmenta curantibus. Illius autem testimonium Bekkerus non ita edere debebat, sed correctum ex Albertii coniectura (ad Hesych. I. p. 101), non passi Philochorum in Bibl. Coisl., ubi eadem leguntur, de πέντε (ὀβολοῖς) narrare, sed iure rati, notam numeralem ε' ortam ex ϑ'; quas literas interdum permutatas esse etiam Bastius docet Comment. palaeogr. p. 714. Vel sic tamen, quod nec Albertium fugit, ut vera referat sibique constet Philochorus, simul l. l. supplendum est δραχμὰς κατὰ μῆνα, quae quidem verba non a librariis, sed ab ipso grammatico scholion illud conflante omissa esse intelliget, qui sibi persuadebit inepte medium collocari inter Lysiam et Aristotelem, de *diurna* distributione locutos, Philochorum. Hoc vero quomodocunque est, nobis illud satis est etiam ex Harpocratione apparere, ex Suida et Zonara, mercedem publicam singulis ἀδυνάτοις singulis mensibus erogatam novenarum fuisse drachmarum; quod eo fere redit, ut quotidie bini oboli iisdem ex aerario solverentur. Atque hoc ipsum iam ex Aristotele comperimus, supra aliud testato.

Quid igitur? Num merces ἀδυνάτων Aristoteli modo fuit ὀβολῶν β', modo ὀβολοῦ? Nequidquam hac de re consulueris qui fragmenta Πολιτείας Ἀϑηναίων ediderе, omnes in Boeckhii sententia acquiescentes. Is autem, quum grammatico Bekkeri fidem haberi nollet, sic uno verbo litem composuit, ut ex Harpocratione concluderet, saltem usque ad Aristotelis aetatem

stipem illam non fuisse obolo maiorem. Mihi — quod pace summi viri dictum sit — alterum inique, alterum falso iudicatum videtur. Quoniam enim scholion grammatici pro bona parte corruptum est et pugnat cum excerpto Harpocrationis, non sequitur, ut nihil omnino fidei ille, hic fidem omnem mereatur. Nec falsa retulit ex oratione περὶ Ἀδυνάτου. Tantum in Philochori testimonio compilando eius desideravimus diligentiam. Accedit quod ea est scholii ratio, ut de numero Aristotelio depravato cogitari nequeat. Quodsi scripsisset: Ἀ. δὲ ἕνα ἔφη, videretur certe cum Harpocratione consentire, sed, ut omittam perturbatum rerum ordinem, ne unum quidem testem pro διωβόλῳ protulisset, quod tamen alibi semper et ab Hesychio solum commemoratur. Imo vitium in Harpocratione latet, non huius errore, sed interpretis alicuius vel librarii culpa, qui quum diligens doctusque vellet videri, simul et perspicuitati annotationis vehementer nocuit et Harpocrationem fecit Aristoteli falsissimam sententiam obtrudentem. Verba ἢ ὀβολὸν non sunt Harpocrationis, qui profecto, si unius oboli mercedem Aristoteles meminisset, hoc eximio teste contentus in extrema scholii parte non confugisset ad orationem ipsi suspectam, quasi illius testimonium confirmaturus. Adeo unus Aristoteles Harpocrationi est pro mille aliis.

Sic emendatus Harpocration omnem fere controversiam dirimit de pecunia publica ἀδυνάτοις numerata. Unum aliquando obolum datum esse nullo argumento constat, nisi auctor orationis περὶ Ἀδυνάτου dignus sit cui credatur (p. 749 et 758 Reisk.), sive eam Lysias scripsit seu quisquis alius. Qua de re donec conve-

nerit inter doctiores, vereri aliquo iure mihi videor, ne qui contra Aristotelem Lysiae auctoritate utantur, ea iidem abutantur. Interim hoc observari velim. Fac esse orationem Lysiacam, fac porro Lysiam non ita esse iocatum (Boeckh. p. 261 n. 404), ut solitam stipem finxerit dimidio minorem; qui factum fuerit ut Aristoteles, quum omnes omnium temporum mutationes in rei publicae statu et administratione diligenter enotaret, mutatas *ἀδυνάτων* mercedis nullam mentionem iniiceret? Vide v. c., quoniam huc propius pertinent, fragmenta de *δικαστικῷ μισθῷ* ap. Schol. Aristoph. Vespp. 684 et Zenob. Provv. VI. 29. Scio posse huius rei culpam ad Harpocrationem transferri, velut nimiae concinnitatis studiosum; sed certe in Aristotele excerpendo Harpocrationi non moris fuisse talia negligere, optime ipse probabit legenti quae scripsit v. *Δήμαρχος*, *Κατὰ δήμους δικασταὶ* et *Ναυκραρικά*. Nec de *ἀδυνάτων* mercede absolvens brevitati studuit, qui tres scriptores laudaret diversa testatos. Denique sic statuendum puto: usque ad Aristotelis aetatem et diurna fuit *ἀδυνάτων* merces et *διωβόλου*, sed deinde, neque ita multo post, paululum immutata. Quod ut coniiciam non summa facit, quam Philochorus commemorat — nam toto undetriginta dierum mense totum discrimen quatuor est obolorum —, sed largitio e diurna facta *menstrua*. Cff. Boeckhius p. 263 et, si tanti est, Scholiastes Aeschinis l. l. De hac vero mihi quidem nihil amplius innotuit.

m. Nov. 1830.

III.

MOS (QUI FERTUR) ATTICUS METIENDI AQUAM CLEPSYDRAE POSIDEONE MENSE.

Expositurus quid sit διαμεμετρημένη ἡμέρα Harpocration: *Μέτρον τι ἐστὶν ὕδατος*, inquit, *πρὸς μεμετρημένον ἡμέρας διάστημα ῥέον· ἐμετρεῖτο δὲ τῷ Ποσειδεῶνι μηνί. πρὸς δὴ τοῦτο ἠγωνίζοντο οἱ μέγιστοι καὶ περὶ τῶν μεγίστων ἀγῶνες*. Simillima legas apud Suidam et Scholiastam Aeschinis (de fals. legat. p. 284); sed sententiam loci, ex se parum perspicuam, hi obscuriorem etiam reddunt, quum pro verbis πρὸς δὴ τοῦτο scribant ὡς ἐν τούτῳ. Quasi enim omnes δίκαι, quae ad clepsydram agerentur, solo Posideone mense actae fuerint, nec ceteris anni mensibus de gravioribus causis iudices cognoverint. Merito igitur damnavit eiusmodi lectionem Schoemannus (Att. Proc. p. 716 n. 38) atque emendari iussit ex Harpocratione. Haesit tamen idem in verbis ἐμετρεῖτο δὲ τῷ Ποσειδεῶνι μηνί. Et vero haec si proba sunt, illa non ita inepta. Neque Dodwellum secuti Clintonis interpretatio (F. H. p. 344 Krueg.), quamvis primum legenti arrideat fortasse, re accuratius perpensa procedere videtur. "Posideone, inquit, quo mense dies brevissimi essent, κλεψύδρας partes emetiebantur. Harpocratio διαμεμετρ. ἡμ. — Brevem diem circa brumam eligebant eo consilio, ut tres partes, in quas κλεψύδραν dividebant, commode quovis alio anni die quo causae agerentur continerentur. *Clepsydrae mensura, ut par sibi per totum annum respondere posset, — proinde erat a die brevissimo capienda* (Dodwell. Diss. II. p. 102)." Ut

omittam quae minus recte dixit Clintonus, in primis κλεψύδρας in tres partes divisionem, quum fuerint ἡμέρας sive iudicii totidem partes numeratae, primum tangam subiectum, quod vocant, verbi ἐμετρεῖτο. Clintono id fuit ἡμέρας διάστημα, sed perperam: est enim, nisi plane me fallit opinio, μέτρον ὕδατος, quod ipsum ad proxima verba πρὸς δὴ τοῦτο intelligitur. Deinde, si clepsydrae mensura par sibi per totum annum responderit, quid faciamus locis oratorum huic sententiae prorsus contrariis, ubi v. c. modo actori et reo undenas utrique amphoras concessas legimus, modo singulis litigantibus amphoram? Vid. Schoemannus l. l. p. 714 sq. Huiuscemodi testimoniis arguitur abunde, mensuram illam aquae satis fuisse disparem, in aliis causis aliam. Quae quum ita sint, non exacta fuit aqua clepsydrae ad brumam vel Posideonis dies. Denique quoquo te vertis, non expedias, quid sibi velint verba τῷ Ποσειδεῶνι μηνί. Itaque aliud quid in his latere mihi visum est, quod quale sit quam brevissime potero dicam.

Qui solet cum scholio Harpocrationis conferri locus Pollucis (VIII. 113), meo indicio pariter ex Aristotele excerptus, eo iam carere tanto minus possumus, quanto certior esse dux veritatis videtur. Λέων τις, inquit Pollux, ἐκαλεῖτο κρηνοφύλαξ, χαλκοῦ πεποιημένος ἐπὶ κρήνης τινὸς, δι' οὗ τὸ ὕδωρ ἐφέρετο ἐν ταῖς πρὸς ὕδωρ δίκαις· ἐπιμελητὴς δέ τις κληρωτὸς ἐγένετο, ὃς καὶ ἐκαλεῖτο ἐφ' ὕδωρ, ὁ παραφυλάττων τὴν ἰσότητα τῆς κλεψύδρας. Sic saltem scribit Bekkerus, mutata in ἐφ' ὕδωρ vetere lectione ἐφύδωρ, quam Albertius (ad Hesych. s. v. I. p. 1557) probavit et ubivis restitui voluit Leutschius (Paroemiogr. I. p. 339). Vide vero

num restitui oporteat *ὁ ἐφ' ὕδωρ*, interposito articulo, quod iam commendavit Hemsterhusius (Anecd. p. 190). Sed in nostra re ante omnia attendenda sunt quae de leone *κρηνοφύλακι* leguntur: *πεποιημένος ἐπὶ κρήνης τινός*. Si qua alia, haec in testimonio Pollucis iure inepta dixeris: nam ex Pausania (I. 14. 1) constat, Athenis plurimos quidem fuisse puteos, sed *unam κρήνην*, Odeo proximam. *Πλησίον δέ* (τοῦ *Ὠιδείου*) *ἐστι κρήνη, καλοῦσι δὲ αὐτὴν Ἐννεάκρουνον, οὕτω κοσμηθεῖσαν ὑπὸ Πεισιστράτου· φρέατα μὲν γὰρ καὶ διὰ πάσης τῆς πόλεώς ἐστι, πηγὴ δὲ αὕτη μόνη*. Cf. Thucyd. II. 48, et praesertim II. 15. Hunc igitur fontem artificiosum, ab Harpocratione indicatum, plurimis abhinc saeculis ita exsiccavit negligentia librariorum, ut cum Suidae latuerit et Scholiastae Aeschinis, tum nos eius vix animadvertamus vestigia. Quid quaeris? Scripsit Harpocration, quod legerat apud Aristotelem, non *τῷ Ποσειδεῶνι μηνὶ*, sed *τῇ πρὸς Ὠιδείῳ κρήνῃ*.

Haec si vere disputavi, ad definiendum tempus inductae in iudicia Atticorum clepsydrae haud multum quidem proficimus, sed id tamen iam certo novimus, ante Clisthenis aetatem in usu eam non fuisse.

m. Nov. 1850.

IV.

NON SUA CUIQUE IUDICIO CLEPSYDRA, SED SUUM CLEPSYDRAE IUDICIUM FUISSE VIDETUR.

Superiorem quaestionem relegenti et animum attendenti ad testimonium Harpocrationis, ex mea coniectura emendatum, aliud quid in mentem mihi venit,

quod iam proponam diiudicandum, ut, si fallar, quid fallar discam; sin minus, ut obscurae Atticarum antiquitatum parti aliquid lucis afferam.

Πρὸς δὴ τοῦτο (πρὸς ὕδωρ, πρὸς κλεψύδραν) ἠγωνίζοντο οἱ μέγιστοι καὶ περὶ τῶν μεγίστων ἀγῶνες. Sic cum aliis Harpocration. Pollux autem: *δι' οὗ (χαλκοῦ λέοντος) τὸ ὕδωρ ἐφέρετο ἐν ταῖς πρὸς ὕδωρ δίκαις,* quae ultima verba sub finem loci collocanda esse, Schoemanno (Att. Proc. p. 716. n. 40) nequaquam concesserim. Atque hac fere notitia, sane quam tenuissima, veteres scriptores nos iubent esse contentos; adeo nobis tradere neglexere, quae *δίκαι* fierent *πρὸς ὕδωρ*, quae *ἄνευ ὕδατος*, nisi quod in his fuisse scimus *κακώσεως* (Harpocr. s. v.). Sed in testimonio vel brevissimo certissima interdum insunt indicia veritatis. Narrat Pollux *Ἐννεακρούνου* unum *Ἐπιμελητὴν* curam gessisse; narrat idem, quod multo pluris est, hunc *Ἐπιμελητὴν* curasse *τὴν ἰσότητα τῆς κλεψύδρας.* Quid multa? Quum nonnisi unus esset Curator clepsydrae, sequitur clepsydram, si non fuit omnino in uno atque eodem *δικαστηρίῳ* adhibita, in pluribus *δικαστηρίοις* eodem tempore adhibitam non fuisse.

Itaque alterutrum verum est: vel hodie in hoc iudicium clepsydram Athenienses transtulere, cras alio in loco eadem usuri, vel certo cuidam iudicio, in quo certae agerentur causae, propriam illam esse voluerunt. Tibi utrum potius videatur, ipse scias; equidem minus mobilem clepsydram, stabiliora ut ita dicam iudicia fuisse crediderim. Non in omnibus *δικαστηρίοις* promiscue, sed constanter in eodem *τὰς πρὸς ὕδωρ δίκας* actas coniicio.

Iam vero maximae quaeque causae, teste Harpo-

cratione, πρὸς ὕδωρ iudicari solebant, secundum alios in Heliaea proprie sic dicta, τῇ Ἡλιαίᾳ πεντακοσίων, ut ait Pollux VIII. 123, addens: εἰ δὲ χιλίων δέοι δικαστῶν, συνίσταντο δύο δικαστήρια, εἰ δὲ πεντακοσίων καὶ χιλίων, τρία. Lexicographus Seguer. (Anecd. Bekk. I. p. 310, 28): Καλεῖται μέγα δικαστήριον, inquit, καὶ οἱ χίλιοι δικασταί. ἐν τούτοις (l. τούτῳ) ἀρχαιρεσίαι γίνονται καὶ αἱ μέγισται κρίσεις καὶ αἱ διαιρέσεις. ἐκαλεῖτο δὲ καὶ μεγάλη ἐκκλησία. Ergo in Heliaea, nec alibi, causam dixerunt ad clepsydram.

Nondum perfeci quod volui. Suam dare Heliaeae sedem cupio, ne vagetur amplius, vastum aedificium, quod, si forte opus sit, mille quingentos capiat iudices. Quin igitur ei damus *Odeum*? Non Pericleum dico, sed vetustius illud, quod proximum fuit Ἐννεακρούνῳ. (Cf. Forchhammer Topogr. v. Ath. Kiel. Stud. p. 312 sqq.) Me quidem eo ipsa clepsydra ducit, misso omni artificio, quo quis eam repletam efficiat ex loco Pollucis supra laudato et Pausaniae, quem sub finem superioris quaestionis adscripsi. Tu dispicias velim; sed ne cura, quaeso, σίτου δίκας, quas velut solas referunt ad Odeum grammatici. His unicus fons Demosthenes fuit, qui c. Neaer. p. 1362 diserte testatur eiusmodi causam actam esse in Odeo [1]. Hoc certum est, cum plures causas, tum graviores ad Odeum pertinuisse, et persuasum omnibus qui versuum Aristophanis meminerunt (Vespp. 1107 sqq.), ubi canit Heliastarum Chorus:

---

[1]) Quod addunt grammatici: καὶ ἄλφιτα διεμετρεῖτο ἐκεῖ, id pariter fluxit ex Demosthene, qui Orat. adv. Phorm. p. 918: ἐν τῷ τοιούτῳ καιρῷ, inquit, ἐν ᾧ ὑμῶν οἱ μὲν ἐν τῷ ἄστει οἰκοῦντες διεμετροῦντο ἄλφιτα ἐν τῷ Ὠιδείῳ κτλ.

ξυλλεγέντες γὰρ καθ' ἑσμούς, ὥσπερεὶ τἀνθρήνια,
οἱ μὲν ἡμῶν οὗπερ ἄρχων, οἱ δὲ παρὰ τοὺς Ἕνδεκα,
οἱ δ' ἐν Ὠιδείῳ δικάζουσ', οἱ δὲ πρὸς τοῖς τειχίοις.

Odei enim cur prae aliis iudiciis mentionem fecisset Aristophanes, nisi de maioribus causis civilibus in illo iudicio cognovissent Heliastae? Denique, ut hoc quoque tangam, si fuit ab *Ὠιδείῳ Ἡλιαία* non diversa, intelligitur, quare et Pollux (l. l. 121) et Lexicographus Seguer., dum singula Athenarum *δικαστήρια* omniumque primam *Ἡλιαίαν* commemorant, non commemorent *Ὠιδεῖον*.

m. Dec. 1850.

V.

QUIBUS MAGISTRATIBUS ATTICIS CURA INCUBUIT VIARUM, IN EXCERPTIS HERACLIDEIS INDICATA?

Diu a multis creditum fuit Heraclidi, quem vocant, scribenti Polit. I. p. 4 Koeler.: *Θεμιστοκλῆς καὶ Ἀριστείδης καὶ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ πολλὰ ἐδύναντο, καὶ τῶν ὁδῶν ἐπεμελοῦντο, ὅπως μή τινες ἀνοικοδομῶσιν αὐτάς, ἢ δρυφάκτους ὑπερτείνωσιν.* Falsa lectione, prava etiam verborum interpunctione decepti, plerique omnes ad Areopagum nescio quam viarum aediumque curam retulere; ne de Themistocle dicam et Aristide, quorum hoc quidem loco importuna atque inepta est cum Areopago coniunctio. Triennium est, ex quo Schneidewinus non tam codicibus adiutus, quam suo ipse ingenio ductus, Areopagitis munus illud viarum curandarum aediumque adimi iussit, omnique cum Themistocle et Aristide commercio interdixit. Remo-

tis enim horum nominibus, huc translatis ex superioribus, refutatoque Schoemanno (Antiqq. p. 300 n. 11), qui aliquid praesidii parare Heraclideo loco ex Aeschine studuit (c. Timarch. p. 40), Schneidewinus verba laudata sic emendavit: *ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ πολλὰ ἐδύνατο.* — Est haec editionis principis lectio, quinque codicibus Schneidewini confirmata, quibus sextum addo Leidensem. — *Καὶ τῶν ὁδῶν ἐπιμελοῦνται* (sic in Leidensi et duobus aliis codicibus scriptum), *ὅπως μή τινες ἀνοικοδομῶσιν αὐτὰς ἢ δρυφάκτους ὑπερτείνωσιν.* Haec igitur, ut alia permulta in epitome Heraclidis, Schneidewinus acutissime vidit, an vero recte explicaverit, admodum dubito. Curam enim illam viarum mandavit *Ὁδοποιοῖς*, commemoratis ab Aeschine in Ctesiph. p. 375, si non inductus solo nomine, at idoneis certe argumentis destitutus. Vid. Comment. in Heracl. Polit. p. 43 sq. Indicantur magistratus, quos *Ἀστυνόμους* appellavere Graeci, quique Athenis deni numero quotannis sorte creabantur (Demosth. c. Timocr. p. 735). Quod probaturus non persequar diligenter singula horum magistratuum munera, de quibus post Meierum (Att. Proc. p. 93 sqq.) unus omnium optime meritus est Schubertus de Rom. Aedil. p. 81 sqq.; sed ea potissimum tangam, quae proxime spectant fragmentum Heraclidis.

Satis igitur constat *Ἀστυνόμους*, qui possunt omnino magna ex parte cum Romanorum Aedilibus comparari, una cum *Ἀγορανόμοις* praefuisse *politiae inferiori*, quam hodie vocant, et habuisse supremam curam aedium cum publicarum tum privatarum, fontium, limitum agrorum aliarumque huiuscemodi rerum. Nec dubium est quin, quum suis *Ἀστυνόμοις* officia prae-

scriberet Plato, quumque de Graecarum civitatum *Ἀστυνομίᾳ* disputaret Aristoteles, horum uterque ea munera in genere talia proposuerint, qualia gererent reapse *Ἀστυνόμοι* Atticorum. His adeo auctoribus primum utar. Apud Platonem (de Legg. VI. p. 763) *Ἀστυνόμοι*, imitati *Ἀγορανόμους*, *ἐπιμελοῦνται τῶν τε ὁδῶν τῶν κατὰ τὸ ἄστυ καὶ τῶν ἐκ τῆς χώρας λεωφόρων εἰς τὴν πόλιν ἀεὶ τεταμένων, καὶ τῶν οἰκοδομιῶν, ἵνα κατὰ νόμους γίγνωνται πᾶσαι, καὶ δὴ καὶ τῶν ὑδάτων, ὁπόσ' ἂν αὐτοῖς πέμπωσι καὶ παραδιδῶσιν οἱ φρουροῦντες τεθεραπευμένα, ὅπως εἰς τὰς κρήνας ἱκανὰ καὶ καθαρὰ πορευόμενα κοσμῇ τε ἅμα καὶ ὠφελῇ τὴν πόλιν.* Eodem redeunt quae de *Ἀγορανομίᾳ* locutus Aristoteles tradit Polit. VI. 5. 3: *Ἑτέρα δ' ἐπιμέλεια ταύτης ἐχομένη καὶ σύνεγγυς ἡ τῶν περὶ τὸ ἄστυ δημοσίων καὶ ἰδίων, ὅπως εὐκοσμία ᾖ, καὶ τῶν πιπτόντων οἰκοδομημάτων, καὶ ὁδῶν σωτηρία καὶ διόρθωσις, καὶ τῶν ὁρίων τῶν πρὸς ἀλλήλους, ὅπως ἀνεγκλήτως ἔχωσι, καὶ ὅσα τούτοις ἄλλα τῆς ἐπιμελείας ὁμοιότροπα. καλοῦσι δ' Ἀστυνομίαν οἱ πλεῖστοι τὴν τοιαύτην ἀρχήν.* His autem muneribus omnibus recte obeundis ne impares essent *Ἀστυνόμοι*, suos administros habuerint necesse est; id quod deinceps Aristoteles diserte testatur. *Ἔχει δὲ μόρια*, inquit, *πλείω τὸν ἀριθμόν, ὧν ἑτέρους ἐφ' ἕτερα καθιστᾶσιν ἐν ταῖς πολυανθρωποτέραις πόλεσιν, οἷον Τειχοποιοὺς καὶ κρηνῶν Ἐπιμελητὰς* [1] *καὶ λιμένων Φύλακας.* Ad

---

1) Videtur Aristoteles, de Graeciae civitatibus generatim quum diceret, generali etiam nomine usus eoque complexus esse qui Athenis *ὑδάτων Ἐπιστάται* appellabantur. Vid. Plutarch. Vit. Them. XXXI. Distinguit ab his Sintenisius *Κρηνοφύλακας*, quos cum Boeckhio (O. C. I. p. 218) non dubitat magistratuum numero eximere. Hoc mihi videtur, quamquam praeter Hesychium Pollux

eosdem ut referamus *Ὁδοποιοὺς*, res ipsa monere videtur.

Iam vero si eum testimoniis modo allatis compares excerptum Heraclidis, *pusilli Aristotelis*, ut summo iure a Schneidewino appellatur (Prolegg. p. XIX), ecquae potest esse controversia, iidemne ab omnibus magistratus significentur, an diversi? Verba licet differunt, res non differunt. Quod scriptum est in epitome *ὅπως μή τινες — δρυφάκτους ὑπερτείνωσιν*, id qui cum Coraë (p. 350) ad sanitatem publicam referet, quia *δρύφακτοι ἐπισκοτοῦσι ταῖς ὁδοῖς καὶ τὸ εὐάερον λυμαίνουσι*, non statuet quod alienum fuerit ab *Ἀστυνομίᾳ* Attica. Cf. Schubertus p. 92 sq. Qui de forma et constructione aedium verba illa accipere malet, interpretem sibi habebit Platonem, cuius *Ἀστυνόμοις* cura incumbit *οἰκοδομιῶν, ἵνα κατὰ νόμους γίγνωνται πᾶσαι*, vel explicabit cum Aristotele, *ἵνα εὐκοσμία ᾖ*. Minus etiam scrupuli facit cura *τοῦ μὴ ἀνοικοδομεῖν τὰς ὁδούς*, dum haec vera sit lectio: tum enim pertinet res ad *σωτηρίαν* viarum, quam *Ἀστυνόμων* fuisse certissimum est. Mitto iam, ne quae aliarum fuere civitatum his admisceantur, legem Papiniani et tabulam Heracleënsium, his infra usurus, ubi ad lectionem excerpti redibo. Hoc satis ostendisse mihi videor, testimonium Heraclidis, rem si spectes, tam evidenter

---

VIII. 113 magistratibus eos annumerat. Fortasse sunt *οἱ φρουροῦντες* Platonis. Quod vero propter Aristotelem Sintenisius dubitat, "utrum *τῶν ὑδάτων Ἐπιστάται* ab *Ἀστυνόμοις* diversi fuerint, an singulis ex iis singularum rerum, qualis *ὑδάτων, ὁδῶν, λιμένων* cura fuerit commissa," ea verba vereor ne viro doct. exciderint imprudenti. Ex eadem opinione repeto, quod *Ἀστυνόμων* numerum duplicavit; qua de re sufficit relegare ad Schubertum l. l.

ad Ἀστυνόμους referendum esse, ut vix intelligatur, cur ad Ὁδοποιοὺς, inferioris ordinis magistratus, Schneidewinus descenderit, idque laudato Aristotelis loco, quem supra descripsi. Forsitan neglecti versus postremi viro clar. fraudi fuerunt, quem rogatum velim, hanc scriptionem ne pro ἀντιγραφῇ habeat parum amica. Heraclidis causam suscepi, cuius sub nomine quae feruntur fragmenta, ex Aristotelio fonte manasse et dudum mihi persuasum est et Schneidewinus luculente probavit. Sed haec hactenus. Aliam etiam causam afferre iuvat, cur non probabile videatur in excerpto Heraclideo de Ὁδοποιοῖς agi.

Attendimus hactenus excerpti argumentum, non ipsum locum, quo id legitur in epitome Heraclidis. Est autem loci ideo ratio habenda, quod in excerpendo epitomator non magno quidem delectu, sed aliquo tamen ordine processit. Quod tenens Schneidewinus (Prolegg. p. XXV): "Queruntur editores, inquit, ceterique viri docti, cursum rerum saepenumero perturbari et ima summis misceri. Verba haec sunt leviter iudicantium: subtilius quaerentibus patet, ubicunque laesus ordo dicitur, non esse excerptorem in vitio, sed doctorum imprudentiam et incogitantiam." Quod si verum est, ut mihi quidem videtur, colligant sarcinulas Ὁδοποιοὶ, magistratuum vix cognitum nomen. Nam si Aeschinem excipias (l. l.) narrantem, Eubuli aetate θεωρικῶν Praefectos, quum totam fere administrationem rei publicae obtinerent et pecuniae colligendae ac dispensandae curam, simul fuisse Ὁδοποιοὺς, tantum Photius (s. v.) tibi interpretatur Ὁδοποιοὺς, ne forte nescias, ὁδῶν Ἐπιμελητάς, atque ex Comico apud Plutarchum (Rei publ. ger. praec. XV. Cf. Meineke Com.

Fragm. p. 1238) Metiochum discas *τὰς ὁδοὺς ἐποπτᾶν*. At contra *'Αστυνόμοι* locum suum in epitome haud male tuentur, statim post Areopagitas, statim ante *τοὺς "Ενδεκα* collocati. Supremum enim moderamen morum ac tutelae publicae ut erat Areopagi, ita huius collegii amplissimi mandata perficiebant earundem rerum Curatores *'Αστυνόμοι*, a quibus rursus propter munerum cognationem facillime transitur ad *τοὺς "Ενδεκα*, quippe qui et ipsi securitati publicae invigilarent, non in omnes quidem cives, sed in noxios et reos providentes. Cf. Schubert. p. 93 sqq.

Restat ut de scriptione fragmenti dicam. Vulgata *ἀνοικοδομῶσιν αὐτὰς* Coraï ita displicuit, ut scribi iuberet *ἐνοικοδομῶσιν αὐταῖς*; at stetit illa Schneidewinus, cui sane favent codices. Tamen Coraïs emendatio quum primo iam obtutu placeat, tum commendatur (nam in talibus confugere ad similia omnino licet) tabula Heracleënsium, quam recepit in *Delectum Inscriptt.* Zellius p. 269. Iubentur hac lege Aediles iive magistratus, qui viis locisque publicis urbis Romae propiusve urbem Romam passus mille purgandis praeerunt, curare, "*ne quis in iis locis* inve porticibus *quid inaedificatum* immolitumve *habeto*, — neve eorum quod septum clausumve habeto, quo minus eis locis porticibusque populus utatur pateantve." Magis etiam pro Coraë pugnare videtur fragmentum ex *'Αστυνομικῷ* Papiniani, servatum in Dig. XLIII. 10. L. un. § 2. "(Aediles) *curent, ut nullus* effodiat vias neque subruat, neque *construat in viis aliquid.*" Sed praestat afferre Graeca: *'Επιμελείσθωσαν δὲ, ὅπως μηδεὶς ὀρύσσῃ τὰς ὁδοὺς, μηδὲ χωννύῃ, μηδὲ κτίσῃ εἰς τὰς ὁδοὺς μηδέν.* Maiorem in his inesse vim putaverim,

quam in dictionibus τὰς πύλας vel τὰς θύρας ἀνοικοδομεῖν, *portas obstruere*, quas contra Coraëm Schneidewinus attulit. Exemplum desidero, quo ita αἱ ὁδοὶ ἀνοικοδομεῖσθαι dicantur. Quid, quod etiam de πύλαις et θύραις incerta res est, an *obstruendi* significatione non rectius quam ἀνοικοδομεῖν, ἀποικοδομεῖν scribatur? Sic in historia Pausaniae apud Thucydidem I. 134 ἀποιδοκομεῖν legitur, ex quo iam Taylorus apud Lycurgum (c. Leocr. p. 226 s. f.) ἀνοικοδομεῖν emendari volebat, quum Diodorus Sic. XI. 45 verbo ἐνοικοδομεῖν utatur. Denique, ut etiam ἀποικοδομοῦσιν alienum existimem a fragmento Heraclideo vel Aristotelio, gravissimus mihi auctor est Xenophon, qui in libello de re publ. Ath. III. 4 causam spectans, procul dubio apud Ἀστυνόμους actam, εἴ τις, inquit, κατοικοδομεῖ τι δημόσιον.

Appendicis instar his subiungam quae coniicio de loco Pollucis, qui in primis huc pertinere videtur. Plurima tradit Pollux de Athenarum iudiciis, magistratibus, ministris etiam publicis, quae ut tantum non omnia Aristoteli debentur, ita sunt scitu dignissima; sed si in rerum tam magna variaque copia de Ἀστυνόμοις mentionem factam quaesiveris, perdideris operam. Vide autem num forte ad hos pertineant quae leguntur VIII. 101: Οὗτοι παρεφύλαττον, μή τις ἐντὸς τοῦ Πελασγικοῦ κείρει (l. κείροι) ἢ κατὰ πλέον ἐξορύττει (l. ἐξορύττοι), καὶ τῷ Ἄρχοντι παρεδίδοσαν. τὸ δὲ τίμημα ἦν τρεῖς δραχμαὶ καὶ ἁπλοῦν τὸ βλάβος. In editionibus Pollucis modo ad Νομοθέτας hic locus relatus fuit, modo ad Παρέδρους, sed quum neutri horum respici

possint, Bekkerus titulo vacuum spatium reliquit. De eo nemo dubitabit, quin significetur, ut cum Thucydide (II. 17) dicam, *τὸ Πελασγικὸν καλούμενον τὸ ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν, ὃ καὶ ἐπάρατόν τε ἦν μὴ οἰκεῖν, καί τι καὶ Πυθικοῦ μαντείου ἀκροτελεύτιον τοιόνδε διεκώλυε, λέγον ὡς Τὸ Πελασγικὸν ἀργὸν ἄμεινον.* Curare autem, ne quis in agris sub ipsa acropoli sitis habitaret, ne quid ibi destrueretur vel effoderetur, ut omnino intactum esset *τὸ Πελασγικὸν*, ea cura quamvis ad sacrum locum pertineret, quibus magistratibus incubuisse potius videatur quam *Ἀστυνόμων* collegio? Certe enim apud Romanos quoque Aediles quum publicis privatisque aedibus ac viis essent praefecti, simul tuebantur multa, quae sive ex ritu vetusto et religione sive ex statutis legibus pro sacris habebantur. Cf. Schubert. p. 171 sqq., p. 433 sqq. Ceterum nunc quidem mihi non suppetunt argumenta, quibus haec coniectura commendetur; sed negligi tamen nolim, quod in sedulo sectatore Aristotelis attendi meretur, Pollucem a testimonio laudato transire statim ad *τοὺς Ἕνδεκα*; id quod etiam in Heraclideis fieri observavimus.

m. Dec. 1850.

VI.

HERODOTI ET ARISTOTELIS DE *Ναυκράροις* TESTIMONIA INTER SE COMPARANTUR ET DIIUDICANTUR.

Ναυκράρων institutionem quum a Solone repetat diserte Aristoteles, Herodotus antiquiorem facere ideo putatur, quod de asseclis Cylonis dicens (V. 71): *Τούτους*, inquit, *ἀνιστέασι οἱ Πρυτάνις τῶν Ναυ-*

κράρων, οἵπερ ἔνεμον τότε τὰς Ἀθήνας. Quo magis est in historia Herodoti spectata fides, eo pauciores credunt testimonio Aristotelio, quod respiciens iam Scholiastes Aristoph. Nubb. 37 *Ναυκράρους* meminit, *εἴτε ὑπὸ Σόλωνος κατασταθέντας εἴτε καὶ πρότερον.* Ita vero quum Aristoteli, non merito sane, iniuria fieri videatur, in *Ναυκράρων* institutionem de industria inquirere iuvat.

De officiis *Ναυκράρων* pauca memoriae produntur et nobis nunc satis est verbo dicere. In genere statui cum Boeckhio (O. C. I. p. 275) licet, curam eorum spectasse potissimum cum rem militarem, tum pecuniam publicam. Diserte enim Aeschines adv. Ctesiph. p. 377 testatur, *οὓς αἱ Φυλαὶ καὶ αἱ Τριττύες καὶ οἱ Δῆμοι ἐξ ἑαυτῶν αἱροῦνται, τὰ δημόσια χρήματα διαχειρίζειν*, similiaque alibi legas et in excerpto Pollucis infra laudando. Designat quidem *Δημάρχους* Aeschines, sed hi *iisdem muneribus* suffecti sunt a Clisthene in locum *Ναυκράρων*. Hoc saltem Aristotelis testimonium nondum impugnatum est, dicentis: *Κατέστησε δὲ (Κλεισθένης) Δημάρχους, τὴν αὐτὴν ἔχοντας ἐπιμέλειαν τοῖς πρότερον Ναυκράροις. καὶ γὰρ τοὺς Δήμους ἀντὶ τῶν Ναυκραριῶν ἐποίησεν.* Quae ipsa auctoris verba ex emendatione Hermanni restituit Duebnerus in scholio Aristoph. laud., pessime corrupta apud Harpocr. ed. Bekk. v. *Ναυκραρικά*, quum omissa tantum vocula *γὰρ* iam Blancardus recte scripsisset. Ducit autem hic Aristotelis locus, cuius alii quoque memores sunt (cf. Muellerus Hist. Fragm. II. p. 111.) ad alterum fragmentum, nobis praecipue tractandum, quo explicatur, quid sibi velit dictio *οἱ πρότερον Ναύκραροι.* Exstat illud apud

Photium v. *Ναυκραρία* p. 288, b: *Τὸ πρότερον οὕτως ἐκάλουν, Ναυκραρία καὶ Ναύκραρος· Ναυκραρία μὲν ὁποῖόν τι ἡ Συμμορία καὶ ὁ Δῆμος, Ναύκραρος δὲ ὁποῖόν τι ὁ Δήμαρχος, Σόλωνος οὕτως ὀνομάσαντος, ὡς καὶ Ἀριστοτέλης φησίν. — ὕστερον δὲ ἀπὸ Κλεισθένους Δῆμοί εἰσι, καὶ Δήμαρχοι ἐκλήθησαν. Ἐκ τῆς Ἀριστοτέλους Πολιτείας, ὃν τρόπον διέταξε τὴν πόλιν ὁ Σόλων· "Φυλαὶ δὲ ἦσαν τέσσαρες, καθάπερ πρότερον, καὶ Φυλοβασιλεῖς τέσσαρες· ἐκ δὲ τῆς Φυλῆς ἑκάστης ἦσαν νενεμημέναι Τριττύες μὲν τρεῖς, Ναυκραρίαι δὲ δώδεκα καθ' ἑκάστην."* Sic scripserim, Aristotelia *αὐτολεξεὶ* exhiberi ratus; nec persuadet Muellerus (l. l. p. 108), ubi nomen Aristotelis temere repetitum esse censet. Duo scholia in unum coaluere, ut saepe apud Photium duabus pluribusve deinceps annotationibus eadem res tractatur. Sunt autem coniungenda cum Photianis, quae de mea quidem sententia in multis aliis Aristoteli debet Pollux VIII. 108 sq.: *Δήμαρχοι ἐκαλοῦντο τέως Ναύκραροι, ὅτε καὶ οἱ Δῆμοι Ναυκραρίαι. Ναυκραρία δ' ἦν τέως Φυλῆς δωδέκατον μέρος, καὶ Ναύκραροι ἦσαν δώδεκα, τέτταρες κατὰ Τριττὺν ἑκάστην. τὰς δ' εἰσφορὰς τὰς κατὰ Δήμους διεχείριζον* [1] *οὗτοι, καὶ τὰ ἐξ αὐτῶν ἀναλώματα. — τῆς Τριττύος μέντοι ὁ ἄρχων Τριττύαρχος ἐκαλεῖτο, Τριττύος δ' ἑκάστης Γένη τριάκοντα.* Itaque Aristotelem haec fere dixisse efficio: conservavit Solon quatuor *Φυλὰς* antiquas — huc referenda verba *καθάπερ πρότερον*, quod fugit Meierum Att.

---

[1]) Ita legendum esse, non *διεχειροτόνουν*, quod Bekkerus retinuit, dudum docuit Hemsterhusius, quem secuti sunt Schoemannus de Comit. p. 377 et Platnerus Beitr. p. 218. Verae lectionis optimus testis Aeschines l. l.

Proc. p. 116 n. 40. cf. Schubert. l. l. p. 41. — conservavit etiam numerum *Φυλοβασιλέων*, sed *Τριττῦς* instituit duodecim, singularum *Φυλῶν* ternas, *Ναυκραρίας* duodequinquaginta, singulis *Φυλαῖς* in duodenas *Ναυκραρίας* divisis. Quot autem *Τριττύες* et *Ναυκραρίαι*, tot earum erant Praefecti, quos *Τριττυάρχους* appellavit et *Ναυκράρους*.

Haec igitur narravit Aristoteles, quem erroris non coarguit Schoemannus (Antiqq. p. 173) scribens: "Probabilius videtur *plures* singularum Naucrariarum praefectos fuisse, *propter id ipsum quod Prytanes eorum commemorantur*, quos ceterorum in sua quemque Naucraria principes fuisse credo." Ab Herodoto ita stat Wachsmuthius (H. A. ed. alt. I. p. 367, 433, 437), ut *Ναυκράρων* institutionem referendam putet ad tempora creatorum novem Archontum. Aliam rursus viam iniit Boeckhius (l. l. p. 274. cf. Platner. Beitr. p. 159.), inter Herodotum et Aristotelem tanquam gratiam ita reconciliare conatus, ut verbis ex Photio supra scriptis: *Σόλωνος οὕτως ὀνομάσαντος*, significari existimaret, Solonem rem non novam instituisse, sed confirmasse antiquam. Ante vero quam ad eiusmodi interpretationem confugiamus, vide num potius nos deceptos credamus a Photio, atque huius, non Aristotelis fides suspecta esse videatur. Equidem donec potest alio modo conciliari Herodoto Aristoteles, neque hoc velim nec illud. Potest autem. Quid enim? Ex Herodoto tantum abest, ut coniici liceat, *Ναυκράρων* proprie sic dictorum institutionem, quos numero quidem mutato, sed iisdem muneribus Clisthenes *Δημάρχους* vocari iussit, antiquiorem fuisse Solone Archonte, ut ex Herodoteis nihil aliud colligi possit, nisi *nomen Ναυ-*

κράρων iam ante aetatem Solonis Atticorum fuisse magistratuum, quibus qui praeessent, quum summam haberent rei publicae curam, vulgo dicerentur *Πρυτάνεις τῶν Ναυκράρων*. Quod profecto Aristoteles non negat, ut qui nomen *Ναυκράρων* a Solone non inventum, sed iis magistratibus datum tradit, quos praeficeret duodecimae cuique *Φυλῆς* parti; nihil amplius. *Πρυτάνεις τῶν Ναυκράρων* Aristoteles non meminit.
4 Tantum colligitur ex eius testimonio, *Ναυκράροις* praepositos fuisse *Τριττυάρχους, Τριττυάρχοις Φυλοβασιλέας*. Et vero, si nomen attendas, ut alia aetate Athenis alii appellati sunt *Πρυτάνεις*, publica officia praestantes cives, cur *Ναυκράρων* nomini accidisse idem non potest? Ita si rem expedias, nec per vim solvitur nodus et sua est Aristoteli, sua Herodoto fides; si praeterea arbitro opus esse censes, gravissimus tibi accedit auctor Thucydides. Is enim absolvens de turbis Cyloniis, pariter ac loco laudato Herodotus: *Οἱ Ἀθηναῖοι*, inquit, *ἐπέτρεψαν τοῖς ἐννέα Ἄρχουσι τὴν φυλακὴν καὶ τὸ πᾶν αὐτοκράτορσι διαθεῖναι, ᾗ ἂν ἄριστα διαγιγνώσκωσι· τότε δὲ τὰ πολλὰ τῶν πολιτικῶν οἱ ἐννέα Ἄρχοντες ἔπρασσον.* Haec scribens ille (I. 126), quum Herodoteam narrationem procul dubio cognoverit, Herodoti vel tacite correxit errorem vel interpretem egit. Sane potuit ita falli Herodotus, ut quae sunt suae aetati propria vel propiora nomina, ea scriptores ad antiquiora tempora interdum referunt. Sic, ut hoc exemplo utar, etsi Clisthenis demum aetate legitima esse coepit dicionis Atticae in *Δήμους* descriptio, Plutarchus (Vit. Thes. XXIV) Theseum fingit *ἐπιόντα κατὰ Δήμους καὶ κατὰ Γένη*. Cf. Schoemannus de Comit. p. 363 sq. n. 41. Nec tamen ad hanc

normam exigamus necesse est Herodoteum locum. Videtur potius Thucydides tanquam interpretari voluisse Herodoti *Πρυτάνις τῶν Ναυκράρων*, ne quis in nomine offenderet, Athenis inde a Solone atque iterum post Clisthenem alia significatione usurpato. Denique, utrum velis statuas licet, non cadit causa Aristoteles.

Quae quum ita sint, quid curemus magnopere grammaticos, ubi pessime intellecto Herodoto *Ναυκράρους* olim *Ἄρχοντας* dictos comminiscuntur? Vidd. v. c. Harpocrat. v. *Ναυκραρικὰ* et Photius p. 288, 1. Si scripsissent, quod scripsisse dicuntur a Schoemanno de Comit. p. XIII et Antiqq. p. 173 n. 11: "Induxit Thucydidis narratio Harpocrationem aliosque, ut *archontes ipsos* illo tempore *prytanes naucrarorum* dictos crederent," vere explicavissent. Nunc illi quidem digni vituperio, sed fallitur Schoemannus, qui simul quum censeat (de Comit. l. l.): "Potest Cylonis obsidio Naucraris, eorumque principibus s. Prytanibus mandata esse, sed ita, ut Archontum imperio tota res administraretur, horumque iussis illi parerent;" — haec, inquam, quum censeat Schoemannus, certe quidem non persuadebit cum Herodoteis *οἵπερ ἔνεμον τότε τὰς Ἀθήνας* comparanti Thucydidea *τότε δὲ τὰ πολλὰ τῶν πολιτικῶν οἱ ἐννέα Ἄρχοντες ἔπρασσον.*

Sed priusquam his faciamus finem, videndum est de loco Plutarchi, qui legitur Vit. Sol. XIX. Trahi enim huc solet *θεσμὸς* quidam Solonis, ceterum a Schoemanno (Antiqq. p. 172 n. 4) ad easdem Cylonias turbas haud temere relatus. Iubet *θεσμὸς* ille *ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι, πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν Ἐφετῶν*

ἢ ἐκ Πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν Βασιλέων ἐπὶ φόνῳ ἢ σφαγαῖσιν ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον, ὅτε θεσμὸς ἐφάνη ὅδε. Quo loco adducto non possum quin verbo moneam, Schoemannum non debuisse dubitare, num post καταδικασθέντες ponenda sit particula ἤ. Quod enim dudum vidit Luzacius (cf. Sluiter ad Andoc. de Myst. p. 37 Reisk.), quod Schoemannus ipse alibi coniecit (Att. Proc. p. 20 n. 36), Andocides ex Plutarcho, non hic ex illo emendandus est. Quid, quod in sequentibus, praetermissis Βασιλεῦσιν, Ἀρεοπαγίτας, Ἐφέτας, Πρυτάνεις, atque adeo tria tantum genera iudicum Plutarchus commemorat? Ut vero ad rem veniam, possit Solonis θεσμὸς, sive iure seu iniuria, pro Herodoto afferri, de fide Aristotelis detrahere nullo potest modo. *Οἱ ἐκ Πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν Βασιλέων* sunt *in Prytaneo condemnati, dum praesidebant iudicio Reges*. Sic quoque accepit Graeca Schoemannus l. l. p. 19. Cf. Pollucis excerptum infra scribendum. Nec quidquam causae est, cur propter Ephetas seorsum nominatos Westermannus cogitari vetet de iudicio ἐπὶ Πρυτανείῳ, quod dicitur. Sic Areopagi quoque vix opportuna fiat mentio, siquidem illic etiam ex Draconis instituto iudicabant Ephetae. Hoc dubium est, iudices illi, quos praeter Βασιλέας in Prytaneo sedere Draco iussit, a Plutarcho rectene appellentur Πρυτάνεις, an inde fingatur nomen, quod ἐπὶ Πρυτανείῳ iudicarent. Sed fac legitimum fuisse nomen, non liquet, quo iure hi Πρυτάνεις iidem habeantur qui Πρυτάνις Herodoti, etiamsi cui huius Ναύκραροι (quod tamen secus esse vidimus) sint pro ἐννέα Ἄρχουσιν, ut fuere grammaticis. Tum enim Praefecti τῶν Ναυκράρων sive Πρυτάνις

Herodoti non differunt a *Βασιλεῦσι* Solonis. Atqui huic *Βασιλεῦς* ipsi praesident in iudicio *Πρυτάνεις*, modo ne fallatur in nomine Plutarchus. Haec igitur ratio haudquaquam procedit. Sensisse tamen ita Muellerus videtur, quum non tantum *Βασιλέας* a Solone commemoratos eosdem esse credat ac *Φυλοβασιλέας*, sed a *Φυλοβασιλεῦσι* non faciat diversos *Πρυτάνεις τῶν Ναυκράρων* (Dor. II. p. 139, Comment. in Aesch. Eum. p. 157 n. 13). Posterior sententia cur parum probabilis videatur, Schoemannus (p. 173 n. 7) se docuisse testatur in Proöem. lectt. Gryph. hib. 1833, cuius disputationis legendae copiam mihi factam maxime vellem, quo scirem certius, quid in re controversa Schoemanno ipsi placeat. Interim haud placet, quod idem (n. 10) Muellero concedit, assentiente Westermanno (comment. ad Plutarch. l. l. p. 48), *Βασιλέας* Solonis esse qui vulgo dicantur *Φυλοβασιλεῖς*, ab Aristotele etiam commemorati; quamvis me non praetereat, favere quodammodo huic sententiae Pollucis annotationem. Pollux enim VIII. 120: *Τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ*, inquit, *δικάζει περὶ τῶν ἀποκτεινάντων, κἂν ὦσιν ἀφανεῖς, καὶ περὶ τῶν ἀψύχων τῶν ἐμπεσόντων καὶ ἀποκτεινάντων. προειστήκεσαν δὲ τούτου τοῦ δικαστηρίου Φυλοβασιλεῖς*; quo loco *προειστήκεσαν* minime denotat *exercebant*, ut vertit Schubertus p. 40 n. 21. Mihi vix credibile videtur, Solonem in *θεσμῷ* solos appellasse *Βασιλέας*, quibus, id quod apparet ex fragmento Aristotelis, ipse voluerit nomen esse legitimum *Φυλοβασιλέας*. Sic vero sentio. Qui a Solone indicantur *Βασιλεῖς*, praesides in iudicio *ἐπὶ Πρυτανείῳ*, sunt cum *Φυλοβασιλεῖς*, tum vero etiam Archontum is, quem proprie vocabant *Βασιλέα*. Utriusque *ἀρχῆς* aliquam

fuisse affinitatem facile vel ex ipsis nominibus auguramur; ac novimus, ne alia afferam, ex altero loco Pollucis (VIII. 90), quem cum superiore ut merito comparavit Meierus (p. 115 sq.), ita conciliari posse negavit immerito. Haec igitur annotat de *Βασιλεῖ* Pollux: *Δίκαι δὲ πρὸς αὐτὸν λαγχάνονται ἀσεβείας, ἱερωσύνης ἀμφισβητήσεως. καὶ τοῖς γένεσι καὶ τοῖς ἱεροῖς πᾶσιν αὐτὸς δικάζει. — δικάζει δὲ καὶ τὰς τῶν ἀψύχων δίκας.* In quibus nec premi *αὐτὸς* oportet, quod grammaticis saepe valet *ὁ αὐτὸς*, nec corrigendum erat *ἱερεῦσι* pro *ἱεροῖς*; quam in rem nunc laudo tantum praeter Anecd. Bekk. I. p. 310, 7 Scholiastam Demosth. Orat. c. Androt. p. 601 s. f. Denique, ex munerum necessitudine et debuerunt iudicia quaedam *Βασιλεῖ* cum *Φυλοβασιλεῦσιν* esse communia, et fuisse in Cylonio *ἄγει* vindicando multas horum *Βασιλέων* partes ex se intelligitur.

m. Dec. 1850.

EMENDATUR PLUTARCHUS *Vit. Cim.* XVII s. f.

Revocatum ab exsilio Cimonem Plutarchus scribit *κατελθεῖν τὸ ψήφισμα γράψαντος αὐτῷ Περικλέους*. Vera res, sed falsa lectio: nam *αὐτῷ* aut otiosum est aut vitiosum. Nec legebatur hoc loco pronomen, anteaquam a Sintenisio ex duobus optimae notae codicibus restitueretur; ex qua re apparet satis, cur a Sintenisio ipso omissum sit in Commentariis Vit. Pericl. p. 113. Sed *αὐτοῦ* scribi debebat, ne frigerent quodammodo quae proxime sequuntur: *οὕτω τότε πολιτικαὶ μὲν ἦσαν αἱ διαφοραί, μέτριοι δ' οἱ θυμοὶ κτλ·* Atque ita legendum esse Plutarchus ipse ostendit evidentissime, ubi Vit. Pericl. X de gravissimo adversario Cimonis testatur: *τὸ ψήφισμα γράψας αὐτὸς ἐκάλει τὸν ἄνδρα.*

I. G. H.

DE VITA SOPHOCLIS.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

LITT. HUM. DOCT.

Praeter tragicum poëtam decem mihi hoc nomine innotuerunt:

1. Sophocles nepos, qui avi nomen de more accepit [1]. Filius erat Aristonis, quem Sophocles genuerat e Theoride. Cf. de eo Suid. Scripsit tragoedias et elegias.

2. Suidas laudat praeterea Sophoclem quemdam tragici ἀπόγονον, qui itidem scripserit tragoedias et elegias.

3. Σοφοκλῆς Ἀμφικλείδου Σουνιεὺς, de quo conferri poterunt Pollux θ'. 42, Diog. Laërt. V. 2. 5 et Ath. XIII. p. 610 e. f.

4. Sophocles Sostratidae fil., praetor in bello Peloponnesio, apud Thucydidem aliquoties memoratus. Cf. quoque Philoch. ap. Schol. Arist. Vesp. vs. 240.

[1]) Cf. v. c. Arist. Av. vs. 283 et de eo locó Palmerii Exercitat. p. 754, et quos laudat Schöm. ad Is. p. 217.

5. Unus e trigintaviris hoc nomine fuit. Xen. Hell. II. 3. § 2, Arist. Rhet. III. 18. 6. vid. de eo Ruhnk. Hist. Crit. Or. Gr. p. XLIII.

6. Sophocles Leontis filius, ap. Paus. I. 37. § 1.

7. Grammaticus, qui commentariis Apollonium Rhodium illustravit.

8. Sophocles Agrigentinus. Cic. in Verr. III. § 204.

9. Is qui nominatur ap. Böckh. C. I. G. I. N°. 180 p. 312, uti etiam:

10. ibid. I. N°. 301 p. 404.

Praecipuus fons, e quo Sophoclis tragici vitam habemus cognitam, est Auctor vitae, quae praemitti solet Sophoclis editionibus. Quis homo fuerit, ignoratur. Neque enim certis argumentis evinci potest, quae est Lessingii coniectura, eum a Scholiasta haud esse diversum. Non defuisse ei videntur auctores, e quibus utilia quaedam delibare potuerat, nec plane abiiciendus est: attamen eius narratio plerumque impedita est et saepe falsa continet, nonnumquam etiam absurda. Cum eum hucusque nimis religiose multi secuti sint, praecipuas de Sophoclis vita quaestiones denuo tractare fortasse haud erit ineptum. Inspexi de hoc argumento qui aliquid attulerunt plerosque, nec tamen omnes: in sequentibus autem eum morem servabo, ut, quantum fieri possit, contra eos disputare omittam, ne variorum opiniones examinando obscurior fiat tota disquisitio. Non laudabo recentiorum locos praeter eos, qui ceteroquin ad verbum fuissent transscribendi: antiquorum vero ad maius lectorum commodum, si quid memoratu dignum continent, integros adscribam.

Tragicum fuisse e Demo, qui Κολωνὸς Ἵππιος

dicitur, nemo ignorat ob fabulam fere ultimam, qua hunc Demum celebravit; sed de eius patre paucis videndum est. Auctor vitae eum *Σόφιλον* appellat. Apud Diod. Sic. XIII. p. 103 antea legebatur *Θεόφιλος*. Non magni facerem ob solemnem librariorum errorem, eum apud Clem. Alexandr. et Tzetzam *Σόφιλλον* dici; sed ita nomen quoque scribitur in Marmore Pario. Atque hic est versus Simiae Thebani in Antholog. Palat. VII. 21:

τόν σε χόροις μέλψαντα Σοφοκλέα, παῖδα Σοφίλλου.

Pariter Lascaris in Epigramm. apud Fabr. Bibl. Gr. I. p. 633:

πόλλ' ἐκ τεῶν σελίδων εἴποιμί κεν υἱὲ Σοφίλλου.

Hanc nominis formam unice probat Arcadius ap. Gregor. Cor. p. 580 ed. Schäf. Nec tamen admittere possum vocabulum fictum contra analogiam, et *σόφιλος* non magis sanum iudico quam *σόφιλλος*. Nomen apud Atticos sonat *Σώφιλος*, ut *Σωχάρης*, *Σώφρων*, *Σώςρατος*, *Σωκράτης*, *Σωφάνης*. Neque ipsum Sophili nomen ignotum est; praeter hunc enim cognovi quatuor alios:

1. *Σώφιλον*, patrem Antiphontis Rhamnusii, apud Ruhnk. de Antiph. p. 216.

2. *Σώφιλον*, poëtam comoediae mediae, apud Athenaeum aliquoties memoratum et Eudoc. in Villois. Anecd. I. p. 385.

3. *Σώφιλον*, ap. Böckh. C.I.G. I. p. 741 N⁰. 1569.

4. *Σώφιλον παγκρατιαςὴν*, ap. Dem. Mid. § 71.

Neque etiam praetervidenda est similitudo nominum patris et filii, quae fortasse corruptelae causa fuit. Cf. de hac re Böckh. Oec. Civ. II. p. 235. Quis Sophilus fuerit, sciri nequit: de eo enim Auct. vit.

sic: ὃς οὔτε, ὡς Ἀριϛόξενός[1] φησι, τέκτων ἢ χαλκεὺς ἦν, οὔτε, ὡς Ἴϛρος[2], μαχαιροποιὸς τὴν ἐργασίαν· τυχὸν δ' ἐκέκτητο δούλους χαλκεῖς καὶ τέκτονας. Οὐ γὰρ εἰκὸς τὸν ἔκ του τοιούτου γενόμενον ϛρατηγίας ἀξιωθῆναι σὺν Περικλεῖ καὶ Θουκυδίδῃ, τοῖς πρώτοις τῆς πόλεως. ἀλλ' οὐδ' ἂν ὑπὸ τῶν κωμῳδῶν ἄδηκτος ἀφείθη, τῶν οὐδὲ Θεμιϛοκλέους ἀποσχομένων. Num Auctor recte ratiocinetur, nunc non indagabo: tantum observabo, verosimiliter Istrum Sophoclis et Demosthenis patrem confudisse[3]. Porro Plinius H. N. XXXVII. 11 Sophoclem principe loco genitum esse dicit. Sed ubi Comici Themistoclem exagitarunt? Laudatur enim nonnumquam, uti ab Arist. Eqq. 812 et 884, a Platone Comic. ap. Plut. Them. fin. Pertinent huc, ni fallor, versus Timocreontis Rhodii ap. Plut. Them. 21. Eodem errore Suidas in v. eum poëtis veteris comoediae annumerat.

Sed iam videamus de anno, quo Sophocles natus sit. Qua in re, cum apud varios auctores varia tradantur, ita versabor, ut statim dicam ab initio, quo anno natus esse videatur: deinde explicare studebo, qua ratione omnes a vero aberraverint. E qua disputatione perspicuum fiet, opinor, hac sola ratione, quae de eius aetate habeamus cognita, posse componi. Sophoclem igitur natum dico Ol. LXXI. 1. med. Exploremus primo loco ipsius Sophoclis disertum

---

1) Significatur fortasse Aristotelis discipulus, ut verisimile fit e fine vit.: scripsit enim ille de poëtis tragicis (Amm. v. ῥύεσθαι), ad quem librum etiam Müllerus locum laud. refert Hist. Gr. Fr. II. p. 283.

2) Fuit hic, ut coniicio, Callimachi discipulus, cuius ferebatur olim comment. Μελοποιοὶ inscriptus. Suid. v. Φρῦνις. Cf. Müll. l. l. I. p. 425.

3) Vidit hoc iam Brumoy Théâtr. des Grecs I. p. CXXVI.

testimonium. Apud Plutarchum An Sen. s. g. r. 3 legitur hic versus:

> Ὠιδὴν Ἡροδότῳ τεῦξεν Σοφοκλῆς ἐτέων ὢν
> πέντ' ἐπὶ πεντήκοντα.

Numerum corruptum esse non concedi debet Bergkio Fr. Poët. Lyr. p. 426; vereor enim, ne Plutarchi locum obiter tantum inspexerit. Sed videndum est, quo anno Sophocles hunc versum composuerit. Traditur vulgo eum natum esse Ol. LXX. 4. aut Ol. LXXI. 2.; nec fieri potest ut hac in re *multum* a vero aberratum sit. Compositum est igitur epigramma Ol. LXXXIV. 3. aut Ol. LXXXV. 1. Circa illud tempus Sophocles praetor fuit in bello Samio. Hoc autem honore dignus iudicatus est, ut tradit Auct. vit., ob doctam Antigonen. Novimus e Marmore Pario Ol. LXXXIV. 3. vicisse Euripidem; quocirca Antigone, quae necessario praemium reportavit, docta habeatur Ol. LXXXIV. 4., et quidem Dionysiis Magnis, itaque sub finem anni. Credibile est igitur Sophoclem fuisse praetorem Ol. LXXXV. 1.; nam procul dubio creatus est *brevi* post doctam Antigonen. Prius bellum Samium exarsit Ol. LXXXIV. 4.; haud ita multo post iterum defecere Samii, cuius rei locupletes testes habemus Thucyd. I. c. 115 et Plutarch. Pericl. c. 25; quod bellum nono demum mense finitum est. Est igitur verisimillimum, Sophoclem creatum fuisse vere Ol. LXXXIV. 4., brevi post victoriam, atque tunc classem Samum profectam esse. Bellum igitur finitum est Ol. LXXXV. 1. init. Sophoclem autem altero bello Samio praetorem fuisse, tum haec computatio flagitat, tum constat e Strab. XIV p. 446. Iam coniectura non nimis audaci statuere possumus, Sophoclem hoc carmen in Herodoti

honorem composuisse, cum eum Sami vidisset. Nec ignotus ei esse poterat, qui Ol. LXXXIII. 3. Athenis fuisset ibique operis sui particulam in conventu populi legisset. Si igitur Sophocles natus est Ol. LXXI. 1. med., tempore illius belli, Ol. LXXXV. 1. init., annum sextum et quinquagesimum nondum compleverat, eratque revera *ἐτέων πέντ' ἐπὶ πεντήκοντα.*

Obloquitur Marmor Parium, quod tradit, Sophoclem primam reportasse victoriam Ol. LXXVII. 4., cum esset annorum 28. Accidit hoc mense Elaphebolione. Itaque Sophocles 27^{mum} annum modo compleverat. Videtur Marmor confundere, quot annorum Sophocles esset et quem annum ageret; quod postea magis etiam verisimile fit. Quam facilis sit error, unusquisque agnoscet, praesertim cum in illa numerorum computandorum ratione Marmor sibi constet; nam tradit Sophoclem obiisse Ol. XCIII. 3. anno aetatis XCI. Tandem tenendum est, ne quis Marmoris auctoritati nimis tribuat, auctorem quoque errasse in Euripidis anno natali.

Non minus facile explicatur, unde ortus sit error Auctoris vitae S., qui eum natum ponit Ol. LXXI. 2. Scilicet annus natalis plerumque difficilius indagatur, et saepe de eo ambigitur; credibile est, auctorem aut eum, quem exscripserit, hoc coniectura eruisse e laudato Sophoclis versu. Ratiocinabantur enim sic: Sophocles praetor fuit Ol. LXXXV. 1.; erat tunc annorum 55; itaque natus est Ol. LXXI. 2. Quod argumentum quam sit fallax, vidimus.

Auctor vitae pergit sic: *ἦν δ' Αἰσχύλου νεώτερος ἔτη δέκα ἑπτὰ, Εὐριπίδου δὲ παλαιότερος εἴκοσι τέσσαρα.* Aeschylus natus est Ol. LXIII. 4.; Sophocles igitur

natus esset Ol. LXVIII. 1., Euripides LXXIV. 1., qui revera natus est eo anno, non eo die, quo pugnatum est apud Salamina, itaque Ol. LXXV. 1.; errorem tamen fere communem habet cum Marmore Pario, qui Euripidem natum esse ponit Ol. LXXIII. 4. Sed Lessingius contendit numeros mutasse sedes: Sophocles igitur editus esset Ol. LXIX. 4. Quae emendatio probari potest; sed explicandum est, quis error errori ansam dederit. Coniicio grammaticum, quem exscripserit Auct. vit., putasse Sophoclem composuisse carmen in laudem Herodoti, cum is Athenis degeret. Accidit hoc Ol. LXXXIII. 3., quo anno si Sophocles fuit annorum 55, necessario natus est Ol. LXIX. 4. Verum fieri potest, ut numeri corrupti sint.

Suidas in voce et Eudoc. ap. Villois. Anecd. I. p. 384, quae exscripsit Suidam, Sophoclem natum fuisse pronunciant Ol. LXXIII, eumque Socrate 17 annis faciunt seniorem. Nihil facilius explicatur. Socratem dixerunt, cum deberent Euripidem. Philosophus autem natus est Ol. LXXVII. 4., eo ipso anno quo Sophocles primam reportavit victoriam; igitur, concludit Suidas, tragicus natus est Ol. LXXIII. 3.

Mortuus est Sophocles Ol. XCIII. 3. init., ut postea videbimus. Iam Diodorus Siculus XIII. c. 103 tradit, eum obiisse annos natum nonaginta. Itaque hic conspirat nobiscum eumque natum credidit Ol. LXXI. 1.

Sed haec mittamus. Quae autem hucusque disputavi, fient magis etiam verisimilia, — quis enim in talibus certa praestabit? — ubi viderimus, quo anno Sophocles obierit.

Sedulo puer educatus est, ut refert Athen. I. p. 20 F.; cuius locus exscribendus est, quia alia quoque haud

inutilia continet: *Σοφοκλῆς δὲ πρὸς τῷ καλὸς γεγενῆσθαι τὴν ὥραν, ἦν καὶ ὀρχηστικὴν δεδιδαγμένος καὶ μουσικὴν ἔτι παῖς ὢν παρὰ Λάμπρῳ. Μετὰ γοῦν τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν περὶ τρόπαιον γυμνὸς ἀληλιμμένος ἐχόρευσε μετὰ λύρας· οἱ δ' ἐν ἱματίῳ φασί. Καὶ τὸν Θάμυριν διδάσκων αὐτὸς ἐκαθάρισεν· ἄκρως δ' ἐσφαίρισεν, ὅτε τὴν Ναυσικάαν καθῆκε.* Saltavit igitur Sophocles circa tropaea, annum agens sextum decimum: pugna enim commissa est Ol. LXXV. 1. mense Boëdromione, itaque anni initio. Quis Lamper fuerit, docebit Lessing. in Vita S., in qua multa reperiuntur, quae omittam, ne eum descripsisse videar. Olymp. LXXVII. 4., itaque cum esset annorum septem et viginti, primum victoriam reportavit docta Triptolemo, ut probavit Lessingius.

Nunc paucis videamus, de mutationibus, quas tragoedia, auctore Sophocle, subierit; qua in re ita versabor, ut apponam praecipuas, quas fecerit innovationes, sed de iis fuse disputare omittam.

Primum igitur fuit, quod Sophocles non ipse agebat plerumque, ut tradit Auct. vit., *διὰ τὴν ἰσχνοφωνίαν.* Dubitari tamen potest, num hoc Sophocli proprium censendum sit: noti sunt enim Cleander, Myniscus et Oeager Aeschyli tragoediarum actores. Sophoclis histriones fuere Clidemidas, Tlepolemus et fortasse etiam Polus. Cf. Schol. Arist. Ran. 791 et Nub. 1264. A. Gell. VII. 5. Constat Sophoclem ipsum prodiisse in Thamyra et Nausicaa. Cf. laud. Athen. locus. Suspicor dramata fuisse satyrica, etsi sint qui repugnent huic opinioni. De Thamyra ut credam, facit Poll. δ'. 141: *Θάμυρις τὸν μὲν ἔχων γλαυκὸν ὀφθαλμὸν, τὸν δὲ μέλανα.* Quem locum interpretatur Lessingius. De Nausicaa ipsum argumentum efficit, a gravitate tragica prorsus

alienum. Praeterea non omittendum est, quod de Thamyra habet Plin. H. N. VII. 57.: "Cithara sine voce cecinit Thamyras primus." Hic igitur ἡ ἰσχνοφωνία Sophoclem minus impedivit.

Alterum fuit, quod choreutarum numerum, qui fuerant duodecim, auxit ad quindecim. Cf. praeter Auct. vit. Schol. Arist. Av. 298 et Poll. δ'. 108.

Tertium fuit, quod induxit tertium histrionem, quod Aeschylus imitatus est in fabulis suis postremis, v. c. in Agamemnone. Diserte hoc et alii memorant et Diog. Laërt., cuius locus quantivis pretii est ad tragoediae historiam. Narrat enim III. 34: ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορὸν καὶ δεύτερον Αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίτον Σοφοκλῆς καὶ συνεπλήρωσαν τὴν τραγῳδίαν, οὕτως κτἑ. Ultimum eius drama, Oedipus Coloneus, quod post mortuum avum primum docuit nepos Sophocles, requirit quatuor histriones. Ratio enim, qua Anonymus in Mus. Class. Ian. 1849 difficultatem solvere conatur, non potest probari. Secundum eum Thesei personam agunt duo histriones, δευτεραγωνιστής et τριταγωνιστής. Quae huic opinioni opponi possint, videbis apud C. O. Müllerum Gesch. d. Gr. Lit. II. 55. At Pollux quartum histrionem tragoediae abiudicat. Itaque manet sub iudice lis.

4°. Deinde, non certabat tetralogiis; quod Suidas satis obscure sic tradidit: ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν. Quod quid sit, non satis accurate potest intelligi. Credibile est Sophoclem certasse de more tribus tragoediis et dramate satyrico, sed solvisse vinculum, quod esset inter tragoedias.

Verum nihil pronuncio in re adeo obscura. Post Welckerum adeant Karstenium, *de Tetralogia Tragica*, qui uberiora cupiunt.

5°. Memorandum est Sophoclem, ut patet ex Aristoxeno in fin. vit., primum adhibuisse *Φρυγίαν μελοποιΐαν*. Haec qualis fuerit, ignoramus, nec facile indagabitur propter repugnantia veterum testimonia, quae laudat Barth. Anach. III. p. 346. ed. Bip.

6°. Invenit *σκηνογραφίαν*, ait Aristoteles de Poët. 4,

7°. *τὴν καμπύλην βακτηρίαν*, ut patet e Satyri testimonio ap. Auct. vit., et

8°. *τὰς λευκὰς κρηπῖδας*, ut auctor nobis est Ister ap. eundem.

De numero fabularum anceps est iudicium. Auctor vit. memorat eum composuisse 113 dramata, circumferri praeterea spuria 17; Suidas memorat fabulas 123. Vix autem dubitandum est, quin sub eius nomine lateant haud pauca nepotis fabulae: quod nunc accuratius indagari nequit. Ceterum tot fere tituli prostant in Indice Fragmm. ap. Ahrensium. Posteriores Sophoclem quoque imitatos esse, notum est e Diog. Laërt. V. 6. 7.

De tempore praeturae, quo munere functus est post doctam Antigonen, iam vidimus. Nempe creatus videbatur Ol. LXXXIV. 4. extr. h. e. vere [1]. Praetorum fuit natu maximus, ut refert Plut. Nic. 15. Collegas habuit novem de more: Socratem, Andocidem, Creonta, Periclem, Glauconem, Callistratum, Xenophontem, Niciam et Thucydidem [2]. Quod Schol. Arist. Pac. 697

---

1) Graviter titubat Iustin. III. 6.

2) Constat hoc ex fragm. Androt. Atth. ap. Schol. Aristid. p. 485. 28. Ultimos duos addidi: nam fragmentum mutilum est et octo

eum accusat in hac praetura ἀργυρίσασθαι, id, ni fallor, calumniose fecit. Multa iocosa dicitur fecisse in hac praetura, quo refero lepidam Ionis narratiunculam ex Epidemiis, quam habet Athen. XIII. p. 603 sq. Atque hac occasione Pericles dixit, quod refert Plut. Pericl. 8: οὐ μόνον τὰς χεῖρας, ὦ Σοφόκλεις, δεῖ καθαρὰς ἔχειν τὸν ϛρατηγὸν, ἀλλὰ καὶ τὰς ὄψεις. Refert hoc quoque Cic. de Off. I. 40. § 144. Namque Pericles de Sophocle praetore non magnifice sentiebat et dixerat, ut refert Athenaeus, Sophoclem ποιεῖν μὲν, ϛρατηγεῖν δ' οὐκ ἐπίϛασθαι. Addam etiam haec Ionis verba: τὰ μέντοι πολιτικὰ οὔτε σοφὸς οὔτε ῥεκτήριος ἦν, ἀλλ' ὡς ἄν τις εἷς τῶν χρηϛῶν Ἀθηναίων.

Mores eius non nimis casti fuisse videntur; quod non opus est multis probare. Conferat mihi quis, quae statim sequitur apud Athenaeum, narratiunculam ex Hieronymo Rhodio perquam obscoenam. Addatur porro quod habet Athen. XIII. p. 592 de Theoride et de Archippa, quas Sophocles amavit senex. Vel vergente aetate eum φιλομείρακα quoque fuisse, patuit e praecc.

Prudenter igitur ad captiosam interrogationem respondit, quam refert Plato de Rep. I. p. 329 B.: Καὶ δὴ καὶ Σοφοκλεῖ ποτὲ τῷ ποιητῇ παρεγενόμην ἐρωτωμένῳ ὑπό τινος· Πῶς, ἔφη, ὦ Σοφόκλεις, ἔχεις πρὸς τἀφροδίσια; ἔτι οἷός τ' εἶ γυναικὶ συγγίγνεσθαι; Καὶ ὅς, Εὐφήμει, ἔφη, ὤνθρωπε. ἀσμεναίτατα μέντοι αὐτὸ ἀπέφυγον, ὥσπερ λυττῶντά τινα καὶ ἄγριον δεσπότην ἀποφυγών. Hunc locum descripserunt Cic. Cat. mai. XIV. 47, Val. Max. IV. 3. 2. ext., Amm. Marc. XXV.

---

tantum praetores memorat. Cf. Dissert. mea de Fide Andocid. Orat. de Myst. p. 11.

4. 2, Plutarch. de Cupid. Divit: p. 525 A, An Sen. s. g. r. p. 788 E, Athen. XII. p. 510 B, Philostr. vit. Apoll. I. 10.

Pervenimus iam ad gravissimam quaestionem de actione, quam filii contra eum instituisse dicuntur. Repetamus rem ab initio.

Inter recentiores, qui de *γραφῇ παρανοίας* egerunt, primus omnium fuit, ni fallor, Meursius in Themide Attica I. 3, quem librum subinde evolvere lubet, ut videam, quales et quantos progressus critica ab illo tempore fecerit. Incredibile dictu est, quot ineptias, quas sine fastidio dicam an risu non legas, congesserit in hoc libro auctor, vir variae et accuratae doctrinae. Nempe mira iudicii perversitate recentissimorum Scholiastarum et Grammaticorum locis uti maluit, quam Demosthenis aut Thucydidis; verbi causa, de nostra actione neminem laudat praeter Curium Fortunatianum et Sopatrum. Quorum loci nihil probant, quod faciat ad nostrum propositum.

Meursium secutus est Petitus in Legibus Atticis, in mole ista rudi et indigesta. Conditoris ingentis operis sedulitatem nemo non laudat, sed iudicium natura eidem videtur denegasse. De nostra quaestione nihil habet, quod possit satisfacere. Egit porro de hac quaestione Heffter, Athenäische Gerichtsverfassung p. 386, sed verbo tantum; aliquanto melius Meier in Att. Proc. p. 296 et Platner Pr. u. Kl. b. d. Att. II. p. 242 sqq. Sed optimum videtur rem ab initio explicare. Prodeat igitur primus Aristoph. Nub. vs. 844:

οἴμοι, τί δράσω παραφρονοῦντος τοῦ πατρός;
πότερον παρανοίας αὐτὸν εἰσαγαγὼν ἕλω,
ἢ τοῖς σοροπηγοῖς τὴν μανίαν αὐτοῦ φράσω;

Sunt verba Phidippidis; e quibus nihil patet, praeterquam quod actio dementiae datur filiis contra patres insanos: de actione enim sermonem esse constat e verbis *εἰςαγαγὼν ἕλω*. Etsi verba e comoedia desumta sunt, non dubitandum est, quin Aristophanes expresserit hoc loco veram Atticae iurisprudentiae imaginem.

Cum hoc loco componendus est alius apud Poll. *η'*.89, qui tradit actionem institui apud Archontem. *Γραφὴν* fuisse, non *δίκην*, uti quis suspicari possit e laud. Poll. loco, recte vidit Meier l. l.

Actio memoratur quoque ap. Suid. v. *παράνοια*, qui tamen nihil habet praeter Scholiast. ad laudatum Aristophanis locum, qui et ipse nihil affert, quod curandum sit.

Maioris momenti est Platonis locus de Legg. XI. p. 929: *ἐὰν δέ τις τινὰ νόσος ἢ καὶ γῆρας ἢ καὶ τρόπων χαλεπότης ἢ καὶ ξύμπαντα ταῦτα ἔκφρονα ἀπεργάζηται διαφερόντως τῶν πολιτῶν, καὶ λανθάνῃ τοὺς ἄλλους πλὴν τῶν συνδιαιτωμένων, οἰκοφθορῇ δὲ, ὡς ὢν τῶν αὑτοῦ κύριος, ὁ δὲ υἱὸς ἀπορῇ καὶ ὀκνῇ τὴν τῆς παρανοίας γράφεσθαι δίκην· νόμος αὐτῷ κείσθω, πρῶτον μὲν τοὺς πρεσβυτάτους τῶν νομοφυλάκων ἐλθόντα διηγήσασθαι τὴν τοῦ πατρὸς ξυμφοράν· οἱ δὲ κατιδόντες ἱκανῶς, ξυμβουλευόντων ἐάν τε δέῃ γράφεσθαι καὶ ἐὰν μὴ τὴν γραφήν. ἐὰν δὲ ξυμβουλεύωνται, γιγνέσθων τῷ γραφομένῳ μάρτυρες καὶ ξύνδικοι. ὁ δ' ὄφλων τοῦ λοιποῦ χρόνου ἄκυρος ἔςω τῶν αὑτοῦ καὶ τὸ σμικρότατον διατίθεσθαι. καθάπερ παῖς δ' οἰκείτω τὸν ἐπίλοιπον βίον.*

Quocum confer quod Plato paullo ante statuit: *υἱεῖς σφίσι πατέρας ὑπὸ νόσων ἢ γήρως διατιθεμένους αἰσχρῶς ἐξεῖναι παρανοίας γράφεσθαι.* Prudenter loco utendum est, ut intelligitur; sic Plato vocabula *δίκη*

et γραφῇ negligenter permiscet, nec mentio τῶν νομοφυλάκων faciet, ut credamus tales homines fuisse Athenis. Sed haec tuto colligi posse videntur, non furiosos tantum hac actione peti, sed prodigos etiam; atque hunc esse praecipuum actionis finem — nam poena proprie sic dicta ex ipsius rei natura locum non habet — ut condemnato demeretur bonorum administratio eique daretur curator. Non magnopere mirandum est, plerumque filios talem actionem instituisse; et pariter consentaneum est, hos diserte nominari iisque prae ceteris διαῤῥήδην hoc ius tribui; ceteroquin enim invidia, quam actio motura esset, perfacile eos a proposito absterruisset. *Omnibus* vero actionem instituere licuisse, persuasissimum habeo; primum, quia nullam novi γραφὴν, quam non instituere potuerit ὁ βουλόμενος οἷς ἔξεστι. Scio quidem Meierum l. l. p. 164 ab hac regula excipere γραφὰς παρανοίας, ψευδοκλητείας, βουλεύσεως, ψευδεγγραφῆς, μοιχείας et κλοπῆς; sed hoc falsum esse, occasione data, demonstrabo. Deinde, quia non video, qui prospectum fuerit filiis minoribus aut etiam filiabus, nisi haec actio unicuique concederetur; denique, quia nulla est idonea causa, cur ceteri ab actione instituenda arcerentur. Concedi tamen potest, filios plerumque hanc instituisse actionem, quippe quorum plurimum interesset. Nomen παρανοίας satis indicat, initio furiosos tantum peti, mox fictione iuris actionem datam fuisse contra prodigos. Et similiter fere iure Romano. cf. Iustin. Instit. I. 23, Pauli Sentent. III. 4 A. 7.

Nihil peti hac actione, nisi ut curator daretur, patet etiam ex Aesch. Ctes. § 251: ὁ δὲ δῆμος ἐκ τῆς ἀθυμίας τῶν συμβεβηκότων ὥσπερ παραγεγηρακὼς ἢ πα-

ρανοίας ἐαλωκὼς αὐτὸ μόνον τοὔνομα τῆς δημοκρατίας περιποιεῖσθαι, τῶν δ' ἔργων ἑτέροις παρακεχώρηκεν.

Ceterum furiosos, ne quid nocerent, *δῆσαι* licebat. Cf. Xen. Mem. I. 2. § 49: *φάσκων κατὰ νόμον ἐξεῖναι παρανοίας ἑλόντι καὶ τὸν πατέρα δῆσαι.* Idem prodibit consulenti Plut. Cat. min. 68.

Hi sunt fere, quos novi de hoc argumento veterum locos; iam videndum erit de notissima illa actione Iophontis. Ac primum quidem Cic. de Senect. VII. § 22. haec habet: "Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit: quod propter studium, quum rem familiarem negligere videretur, a filiis in iudicium vocatus est; ut, quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet, sic illum, quasi desipientem, a re familiari removerent iudices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat et proxime scripserat, Oedipum Coloneum recitasse iudicibus, quaesisseque, num illud carmen desipientis videretur: quo recitato, sententiis iudicum est liberatus."

Accidit hoc, quum Sophocles octoginta fere annos natus esset, iam tremulus prae aetate, ut refert Arist. Rhet. III. 15; fortasse etiam podagrosus. cf. Plin. XXII. 32.

Facile obtinebo, filios non contendisse patrem desipere, qui annos natus 86 docuerit Philocteten, sed, sicuti supra iam vidimus, hoc remedio iuris uti licebat contra rem male gerentes. Callide vero Sophocles, quasi revera dementiae accusatus, praelegit carmen, quod proxime scripserat: quo quidem probare poterat, se non desipere, sed e quo non patebat, eum rem familiarem recte curare.

Sed videamus alios quoque. Appuleius in Apol.

p. 479. ed. Bosch. haec tradit: "Sophocles poëta Euripidi aemulus et superstes; vixit enim ad extremam senectam: cum igitur accusaretur a filio suomet dementiae, quasi iam per aetatem desiperet, protulisse dicitur Coloneum suam peregregiam tragoediarum, quam forte tum in eo tempore conscribebat, eam iudicibus legisse, nec quidquam amplius pro defensione sua addidisse, nisi ut audacter dementiae condemnarent, si carmina senis displicerent. Ibi ego comperior, omnes iudices tanto poëtae adsurrexisse, miris laudibus eum tulisse, ob argumenti solertiam et cothurnum facundiae, nec ita multum omnes abfuisse, quin accusatorem potius dementiae condemnarent."

Narrationem exornatam esse a Cicerone et Appuleio unusquisque videt, nec opus est his inhaerere: duo tantummodo observabo. Cicero Sophoclem accusatum tradit a liberis, Appuleius unum tantum memorat accusatorem. Alterum hoc est: Appuleius prorsus nescit, quod Ciceronem non fugit, per *γραφὴν παρανοίας* peti bonorum interdictionem; et sane accusator dementiae condemnatus fuisset, si probare voluisset Sophoclem desipere.

Quid Sophocles iudicibus praelegerit, prodibit e loco Plut. An Sen. s. g. r. 3: *Σοφοκλῆς λέγεται μὲν ὑπὸ τῶν υἱῶν παρανοίας δίκην φεύγων, ἀναγνῶναι τὴν ἐν Οἰδίποδι τῷ ἐπὶ Κολωνοῦ πάροδον, ἧ ἐςὶν ἀρχή·*

Εὐίππου ξένε τᾶςδε χώρας
ἵκου τὰ κράτιςα γᾶς ἔπαυλα
τὸν ἀργῆτα Κολωνὸν, ἔνθ'
ἁ λίγεια μινύρεται
θαμίζουσα μάλις' ἀηδὼν
χλώραις ὑπὸ βάσσαις.

θαυμαστοῦ δὲ τοῦ μέλους φανέντος, ὥσπερ ἐκ θεάτρου, τοῦ δικαστηρίου προπεμφθῆναι μετὰ κρότου καὶ βοῆς τῶν παρόντων.

Sed praeterea nihil novi aut memorabile hinc discimus. Deinde habemus Lucianum, qui in libro de Macrob. 24 vera et falsa mire confundit: *οὗτος ὑπ' Ἰοφῶντος τοῦ υἱέος ἐπὶ τέλει τοῦ βίου παρανοίας κρινόμενος, ἀνέγνω τοῖς δικασταῖς Οἰδίπουν τὸν ἐπὶ Κολωνῷ, ἐπιδεικνύμενος διὰ τοῦ δράματος, ὅπως τὸν νοῦν ὑγιαίνει, ὡς τοὺς δικαστὰς τὸν μὲν ὑπερθαυμάσαι, καταψηφίσασθαι δὲ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ μανίαν.* Nihil in his simul et verum et novum esse potest, praeterquam quod Iophon eum dicitur accusasse.

Denique videamus, quae tradit Auct. vit. Soph.: *Φαίνεται δὲ καὶ παρὰ πολλοῖς ἡ πρὸς τὸν υἱὸν Ἰοφῶντα γενομένη αὐτῷ δίκη ποτέ· ἔχων γὰρ ἐκ μὲν Νικοστράτης Ἰοφῶντα, ἐκ δὲ Θεώριδος Σικυωνίας Ἀρίστωνα, τὸν ἐκ τούτου γενόμενον παῖδα Σοφοκλέα τοὔνομα πλέον ἔστεργε, καί ποτε ἐν δράματι εἰσήγαγε τὸν Ἰοφῶντα αὐτῷ φθονοῦντα καὶ πρὸς τοὺς φράτορας ἐγκαλοῦντα τῷ πατρὶ, ὡς ὑπὸ γήρως παραφρονοῦντι. Οἱ δὲ τῷ Ἰοφῶντι ἐπετίμησαν. Σάτυρος δέ φησιν αὐτὸν εἰπεῖν· Εἰ μὲν εἰμὶ Σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ· εἰ δὲ παραφρονῶ, οὐκ εἰμὶ Σοφοκλῆς. καὶ τότε τὸν Οἰδίποδα παραναγνῶναι.*

De Iophonte conferri potest Schol. Arist. Ran. vs. 73. Sophoclem scripsisse Oedipum Coloneum extrema senectute auctor est etiam Val. Max. VIII. 7. 12.

Ceterum quot verba, tot fere errores. Nemini enim auctor persuadebit, Sophoclem in dramate tale quid inseruisse, aut Iophontem accusasse patrem apud phratores, cum res sine dubio ad Heliastas pertineret. Dicam breviter, quid mihi venerit in mentem.

Actione dementiae hoc praecipue peti, ut alicui curator daretur, abunde supra ostendimus. Dubitari vix potest, talem actionem contra patrem filios instituisse. Nec facile mihi quispiam infitias ibit, omnes quotquot hac de re protulerimus narrationes ex eodem fonte eoque parum limpido esse derivatos. Constat porro ex Ath. XIII. p. 592 Sophoclem iam senem amasse Theorida: est igitur minus verisimile eum anno aetatis octogesimo Sophoclem nepotem, quippe puerum verosimiliter, adeo prae ceteris dilexisse; etsi hoc accidere potuit. Sed idem Athenaeus narrat Sophoclem senem, ἐπὶ δυσμαῖς ὄντα τοῦ βίου, amasse Archippam meretricem eamque καταλιπεῖν κληρονόμον τοῦ βίου. Atque hoc, ni egregie fallor, aegerrime tulit Iophon, instituitque ob hanc ipsam causam γραφὴν παρανοίας. Sophocles respondit quasi revera *dementiae* accusatus et facile permovit iudices. Narrant praeterea eum praelegisse iudicibus Oedipum suum Coloneum, tum quia haec est una e postremis summi Tragici fabulis, tum quia ibi etiam rixa inter patrem et filium memoratur. Quum postea Plutarchus videret, minus esse verisimile Sophoclem recitasse totam fabulam, elegit quod sibi videretur in ea pulcherrimum, πάροδον. Atque hac ratione difficultates omnes, si quid video, apte solvuntur. Solus Cicero de tota re accuratius aliquid videtur cognovisse, quod ob propositum in libro de Senectute tutius omitti putavit.

Age iam videamus de anno, quo Sophocles diem obierit supremum. Quum Aristophanes Ranas doceret, iam mortuus erat uterque et Euripides et Sophocles. Fabula acta est, ut novimus ex Argumento, Ol. XCIII. 3. ἐπὶ Ἀντιγένους; et obiit quidem paullo ante,

ut conjici potest e tota fabula, et ex fragmento ex Phrynichi Musis, quae simul acta est (Arg. Soph. Oed. Col.). Quod tamen non ita intelligi potest, ut Sophocles obierit paucis diebus ante: Aristophanes enim non potuisset componere drama intra spatium adeo breve. Sophocles autem mortuus est post Euripidem, ut Thom. Mag. ait in Vita Euripidis: φασὶ δ' ἐπὶ τῷ ἀκούσματι τῆς Εὐριπίδου τελευτῆς τοὺς μὲν Ἀθηναίους πάντας πενθῆσαι, Σοφοκλέα δὲ καὶ αὐτὸν φαιὸν μὲν ἐνδεδύσθαι χιτῶνα, τοὺς δ' ὑποκριτὰς αὐτοῦ ἀστεφανώτους τῷ τότε εἰσαγαγεῖν πρὸς τὸν ἀγῶνα. Secundum Marmor Parium mortuus est Euripides archonte Antigene, itaque Ol. 93. 2. Praeterea Sophocles dicitur obiisse nonaginta annos natus, ut iam supra ostendi e Diod. Sic. Haec qui reputaverit videbit, hac unica ratione omnia posse componi:

Ol. 93. 2. init. moritur Euripides.
m. Elaphebol. Sophocles ultimum δρᾶμα καθίησι.
93. 3. init. moritur Sophocles.
Aristophanes agit Ranas ἐπὶ Ἀρχίᾳ.

Neque est ulla idonea ratio, cur Marmoris Parii fidem convellamus. Qui enim anno sequenti Euripidem mortuum esse tradunt, omnia permiscent ita, ut facile refutentur.

Restat ut explicetur, qui fiat ut scriptores de hoc anno dissentiant. Lucianus Sophoclem pervenisse ait ad annum 95^{mum}; mortuus igitur esset Ol. XCIV. 4. Suidas et Eudocia eum mortuum tradunt sex annis post Euripidem, itaque etiam Ol. XCIV. 4. Tandem Schol. Arist. Pac. vs. 698 dicit eum vixisse post doctam fabulam ζ' ἔτη; Dindorf. corrigit ιζ' ἔτη; Pax docta est

Ol. XC. 2.; mortuus est itaque Sophocles Ol. XCIV. 3. Erroris origo haec videtur: Sophocles nepos docuit Oedipum Coloneum Ol. XCIV. 3., post mortem avi; putarunt Grammatici fabulam doctam fuisse ab ipso Sophocle et hucusque vitam ei produxerunt. Hos secutus Val. Max. VIII. 7. 12 memoriae prodidit, Sophoclem attigisse annum fere centesimum.

De ratione mortis putidum fere est verbum addere post Lehrsium in Mus. Rhen. 1847. 1. Nihil certi constare videtur; omnes rem fabulis exornarunt. Causam mortis uvam fuisse, missam a Callippide Choum tempore, improbabile est, tum quia eadem fabula narratur de Anacreonte (cf. Val. Max. IX. 12. 8.), tum quia Sophocles Choum tempore exstinctus esse nequit. Agebantur enim uno mense ante Dionysia Magna, Lenaeorum tempore; itaque tempore Choum Ol. XCII. 2. nondum mortuus erat ob doctum drama; Ol. XCII. 3. hoc ipso tempore agebantur Ranae. Exstinctum esse senem, recitando longiorem periodum ex Antigone, non magis per se verisimile est quam improbatur Phrynichi testimonio, cuius versus hic apponam:

Μάκαρ Σοφοκλέης, ὃς πολὺν χρόνον βιοὺς
ἀπέθανεν εὐδαίμων ἀνὴρ καὶ δεξιός,
πολλὰς ποιήσας καὶ καλὰς τραγῳδίας.
καλῶς ἐτελεύτησ' οὐδὲν ὑπομείνας κακόν.

Qui versus satis indicant, Sophoclem haud violenta morte fuisse absumtum. Tandem narratur, Sophoclem prae gaudio mortuum esse ob tragoediae victoriam. Hoc autem quis sibi persuadebit de Sophocle toties victore, praesertim Aeschylo et Euripide mortuis? Accedunt ea omnia, quae Lehrsius ingeniosissime disputavit.

Quod Lysander dicitur sepulturam concessisse, quum Athenas obsideret, falsum est. Ranae iam aliquamdiu ante doctae erant, quam is ad urbem appropinquaret: Sophocles igitur iam diu sepultus erat. Et tamen fieri potest, ut veri aliquid subsit. Patrium sepulcrum fuit Deceleam versus. Hanc obsidebat Agis iam per aliquod tempus. Cf. Xen. Hell. II. 2. 7. Fortasse igitur nihil substitutum est nisi notius nomen. Praeter Auctorem vit. rem attigere Plin. H. N. VII. 30 et Paus. I. 21; sed hic, omisso Lysandri nomine.

Iophon dicitur sepulcrum paternum ornasse inscriptione (cf. Val. Max. VIII. 7. 12); quod tamen vix credibile. Filios reliquit quinque, ut tradit Suidas, Iophontem, Leosthenem, Aristonem, Stephanum et Meneclidem. Magni honores ei habiti sunt: statua ei posita est, uti Euripidi et Aeschylo: illorum tragoediae publice asservabantur et recitabantur. Quin et sacellum ei aedificatum est et divini honores habiti sub nomine Dexionis, si vera refert Etym. M. in voce.

Multae praeterea de eo nugae circumferuntur, quas verbo notabo. Habuit sacerdotium Halonis, ut narrat Auctor vit.; excepit Aesculapium hospitio, secundum Etym. M. l. l. et Plut. Num. 4; Herculis ope indicavit furto ablatam coronam, teste Auctore vit., aut pateram, quae est Ciceronis narratio de Div. I. 25. 54; tandem carminibus suis dicitur pacavisse ventos, ut refert Philostr. de Vit. Apoll. VIII. c. 7. § 8.

DE CANONE DAWESIANO TRAGICORUM.

SCRIPSIT

E. I. KIEHL,

LITT. HUM. DOCT.

Vix ullis praemonitis haec indigere opinor. Hoc unum dicendum putavi, quem proponam Canonem ante hos tres annos a me repertum esse, nec deinde aut mihi aut amicis occurrisse argumenta, quibus everteretur. Quod nisi ita esset, publici iuris eum non facerem.

Dawesius in Miscellaneis Criticis [1] p. 196 (353) duo praecepta statuit haec:

I. "*Vocalis brevis ante vel tenues, quas vocant, con-* "*sonantes π, κ, τ, vel adspiratas φ, χ, θ, sequente* "*quavis liquida; uti et ante medias β, γ, δ, sequente* "*ρ, syllabam brevem perpetuo claudit.*"

II. "*Vocalis brevis ante consonantes medias β, γ, δ,* "*sequente quavis liquida praeter unicam ρ, syllabam*

---

[1]) Numeri priores sunt edit. Cantabr. 1745, 8°, alteri edit. Cantabr. curante Kiddio, 1817, 8°, cui numeri priores in margine adscripti sunt. Prioribus uno tantum auctiores sunt numeri in margine edit. Lips. 3ae, cur. Harlesio, 1800, 8°, cum appendice Th. Burgesii.

"brevem numquam terminat, sed sequentium conso-
"narum ope longam semper constituit."

Priorem Canonem de unis Comicis, alterum de Tragicis etiam valere dixit p. 204 (371).

De iis, quae perperam adversus has regulas, quantum ad Tragicos pertinet, adduxerint viri docti, non opus est dicam; hic exponere satis videtur, quam normam revera et constanter servarint Tragici.

Alterum Canonem, ut et ipse vult Dawesius, fere integrum servarunt, prior ita apud eos constituendus est:

> *Vocalis brevis ante tenues π, κ, τ, vel adspiratas φ, χ, ϑ, sequente quavis liquida, uti et ante medias β, γ, δ, sequente ρ, syllabam brevem perpetuo claudit* IN THESI.

Conficere nondum potui, an in arsi etiam normam aliquam secuti sint Tragici.

Veritatem huius Canonis ab unoquoque concessum iri opinor, simulac probavero, nullum exstare locum Tragicorum, qui *argumento* adversus eum esse possit.

Quod ut faciam, primum demonstrabo, istiusmodi locos non inesse Tragicorum *Senariis*. Syllaba enim in thesi, clausa vocali brevi ante mutam cum liquida, versus pedem necessario tenet, ordine vel parem, ubi longa (spondeus) non admittitur, vel imparem, ubi ius par est utrique quantitati; itaque talis syllaba aut longa fieri prorsus nequit, aut de eius quantitate non constat, neque igitur *inde* potest argumentum adversus me peti.

Non magis ceteri pedes, tribrachys et anapaestus, argumenta suppeditant; dactylus illud posse videtur prima specie, hic autem pes in senariis nusquam *requiritur*, et eius locum semper obtinere potest tribrachys. Ubi igitur

prima tribrachys vel dactyli syllaba clauditur vocali natura brevi ante mutam cum liquida, eodem iure tribrachyn obtinere statuemus, quo dactylum. Postea vero, simulac probatus erit Canon meus, apparebit syllabam corripiendam esse et pedem pro solo tribrachy habendum.

Quae de senariis dixi, mutatis nominibus etiam de trochaicis octonariis valere patet. Quod igitur exponere supersedebo.

Inquirendum est igitur in Tragoediarum partes melicas, ut quaestio dirimatur. Qua in re sic agam, ut versus vel unius, at *sine dubio sani*, testimonium mihi sufficiat; corruptorum vero aut interpolatorum (si hoc *aliunde* quam ex meo Canone appareat) eorumve, de quorum lectione non constat, aut qui levi mutatione in meas partes transeant, ne mille quidem moturi me sint.

Tragicorum integras reliquias ita perlustravi, ut ullum eorum locum fugere me potuisse fere negem. Fragmenta, propter incertam adhuc eorum crisin, prorsus omisi, necnisi annoto mihi adversari Soph. fragm. (265), Eurip. Archel. fr. IV. [2]

Iam ad ipsos locos repugnantes transeo, et primum quidem ad eos, in quibus liquidam antecedit *tenuis*. Hi enim ad me pertinent; qui mediam ante *ρ* habent, aliquatenus saltem Dawesii sunt.

1. Aesch. Prom. 136:

Προμ. *τῆς πολυτέκνου Τηθύος ἔκγονα κτἑ.*

Hic vs. non *argumento* est pro sententia mihi contraria,

---

[2]) Numeri et textus sunt Dindorfii in Poetis Scenicis Graecis, Lips. 1830, 4°. Parenthesi ( ) locos includo, quorum auctoritas, uncinis [ ], quorum lectio dubia videtur; personarum nomina *maiusculis* excusa initium *ῥήσεως* indicant; litteris *cursivis*, quas dicunt, mediam *ῥῆσιν*.

quoniam verisimiliter dactylicus est. Nempe ut anapaesticos unis dactylis constantes cogitari posse fateor, ita in usu eos fuisse subdubito. *Potest* saltem hic vs. dactylicus esse: Euripides enim v. c. saepius pluribus anapaesticis singulos praemisit dactylicos, ex. gr. Med. 160, Ion 82, Orest. 1005 sq., Iph. T. 223. Et simile quid ipse Aeschylus fecisse videtur vs. 135. Sin autem vs. hicce est dactylicus, syllaba *τε-*, utpote in arsi stans, salvo meo Canone producitur.

2. Ibid. 282:

Χορ. *ὀκριοέσσῃ χθονὶ τῇδε πελῶ.*

Quem locum expedire nondum potui. Maneat igitur in adversantibus locis, de quibus statim.

3. Ibid. 1087. Totum locum adscribam:

Προμ. *σκιρτᾷ δ' ἀνέμων πνεύματα πάντων*
εἰς ἄλληλα
ςάσιν ἀντίπνουν ἀποδεικνύμενα.
ξυντετάρακται δ' αἰθὴρ πόντῳ.

Plura h. l. observanda sunt:

Εἰς ἄλληλα pleonasmum efficiunt; *ςάσις* enim, nisi inter diversos, *ἀντίπνους* esse nequit, aut *ςάσις ἀνέμων*, nisi inter sese invicem.

Ξυντετάρακται ob metrum requiritur, ne ultima in *ἀποδεικνύμενα* brevis maneat. Tragici autem numquam dixere *ξύν*, sed perpetuo forma *σύν* usi sunt, quod alias fortasse conabor probare. [3] Legendum arbitror:

---

[3]) Quae huc faciunt, post haec scripta exposui in opusculo: "*Aeschy-*"*lea*. Specimen I (Inaugurale). Scripsit E. I. Kiehl, Litt. Hum. Doct., "Lugd. Bat. 1850, II. pp. 77—80." Rem tamen nondum absolvi.

σκιρτᾷ δ' ἀνέμων πνεύματα πάντων
ἀποδεικνύμενα στάσιν ἀντίπνοον·
συντετάρακται δ' αἰθὴρ πόντῳ.

Quod ἀντίπνοον scripsi, primum defenditur facilitate huius mutationis, tum autem, quod scribae revera utramque formam per errorem permutarint, ut in ipso Prometheo vs. 917, ubi pro πυρπνοῦν scripsere πυρπνόον in Codd. Vienn. A. B. apud Schuetzium. Porro πυρπνόου legitur Prom. [371], [4] πυρπνόον Th. 493, ἀντιπνόους Agam. 149, ἀδυπνόων Soph. El. 480, ἡδυπνόους Eur. Med. 840.

4. Aesch. Th. 887:

Ἡμιχ. πότνι' Ἐρινὺς ἐπέκρανε.

Quem locum nondum expedivi.

5. Aesch. Eum. 951. Totum locum adscribam:

Ἀθ. μέγα γὰρ δύναται
πότνι' Ἐρινὺς παρά τ' ἀθανάτοις....
φανερῶς τελέως διαπράσσουσιν κτὲ.

Conieceram πότνιἀρινῦς, cui adversatus est Cobetus V. Cl., eiusmodi crasin exstare negans; quod probare nondum possum. Pluralis autem διαπράσσουσιν luculenter ostendit de pluribus Erinysin agi; itaque Ἐρινῦς scribendum esse, et δυναταί: nam etsi formam pluralis Ἐρινῦς apud Aeschylum nondum viderim neque exstare opinor, est tamen Soph. Aiax 837, neque altera usitatior Ἐρινύες apud Aeschylum plus tribus locis, Prom. 516, Th. 1055, Agam. 463, aut plus tribus apud Sophoclem, Ant. 1075, El. (112), Aiax 843, occurrit.

---

[4]) Cf. *Aeschylea* II. pp. 59—61.

Sin vero *δυναταί* scribendum est et *Ἐρινῦς*, *πότνι᾽* staret pro *πότνιαι*, non pro *πότνια*; diphthongus autem *αι* pluralis apud Tragicos elidi nequit.

Aut igitur coniectura mea, quam incertam fateor, *ποτνιάδεσιν* recipienda est, aut hoc saltem concedendum, corruptela laborare non tantum hunc locum, sed ipsum de quo ago vocabulum. Quod si igitur versus, ut nunc exstat, sine dubio legi non potest, certe quamdiu sic exstat, adversus me allegari nequit.

6. Soph. Trach. 848:

Χορ. *ἦ που ἀδινῶν χλωράν*
τέγγει δακρύων ἄχναν.

Qui locus sanus videtur, etsi *ἄχνα* insolentius sit positum; defenditur enim Soph. O. C. 681, Eurip. Or. 115. Ipsius vs. metrum unusquisque, opinor, sic constituerit (vs. 850):

— — ◡ ◡ | — ◡ —

sed Antistrophe longam requirit penultimam; ea enim haec est:

Χορ. *τάνδ᾽ Οἰχαλίας αἰχμᾷ.*

Itaque vitium lateat vel in strophe, vel in antistrophe necesse est, si valet Canon, quem dixi. Sed malo tacere, et hunc etiam locum pro adversante accipere, etsi in antistrophe minime probem, quod *κελαινὰ λόγχα προμάχου δορὸς αἰχμᾷ* Iolen ab Oechalia abduxerit.

7. Ibid. 974:

ΠΡΕΣΒ. *σίγα, τέκνον, μὴ κινήσῃς κτέ.*

Hunc locum neque constat servandum, neque mutandum esse; anapaestici enim unis spondeis constantes neque auribus nostris placent, nec placuere Sophocli.

Sed haec minime dirimunt quaestionem. Malo igitur de hoc etiam loco iudicium cohibere.

8. Soph. Aiax 948:

Χορ. ἔργον Ἀτρειδᾶν τῷδ' ἄχει κτἑ.

Per se hic locus nullam praebet difficultatem. Metrum est notum illud Choriambicum

— ◡ ◡ — | ⏑̱ — ◡ —

quod vide Aesch. Prom. 128 sqq., Th. 720 sqq. et saepius. Sed Antistrophicus vs. 902:

Χορ. τόνδε συνναύταν, ὦ τάλας

postulare videtur, ut producatur prima in *Ἀτρειδᾶν*. Sed quoniam *συνναύτης* et *ἅπαξ εἰρημαι* et sententiae non convenit et plurima circa se corruptissima habet et vs. metrum pessumdat, hoc saltem scribi a Sophocle non potuit. Suspicatus eram, *σεαυτόν* esse legendum, sed et incertum hoc est, et plura h. l. corrigenda manent. Utut est, de sana antistrophe eiusque metro nulla remanet dubitatio.

9. Ibid. 1409:

Τευκρ. παῖ, σὺ δὲ πᾶτρός γ' ὅσον ἰσχύεις κτἑ.

Locum emendare non potui; corruptum esse demonstrabo. Nempe *γε*, quod unusquisque perspicit, ad *ὅσον* pertinet, non ad *πατρός*, fuissetque igitur illi vocabulo subiungendum.

10. Eurip. Alc. 77:

ʿΗΜΙΧ. τί ποθ' ἡσυχία πρόσθε μελάθρων;

Num opus, ut *πρόσθεν* legendum dicam?

11. Ibid. 884:

Ἀδμ. μία γὰρ ψυχή τῆς ὑπεραλγεῖν
μέτριον ἄχθος.
παίδων δὲ νόσους κτἑ.

L. ἄχθος μέτριον, cuiusmodi mutationes frequentissimae sunt.

12. Ibid. 887:

'Αδμ. ἔξὸν ἀτέκνους
ἀγάμους τ' εἶναι διὰ παντός.

L. ἔξόν γ' ἀγάμους ἀτέκνους τ' εἶναι. Vocabulum ἀγάμους et propter rei naturam praecedat oportet, et praecedit vs. 882. Fateor tamen, γε post ἔξόν quod sciam nusquam occurrere.

13. Eurip. Med. 1098:

Χορ. οἷσι δὲ τέκνων ἐςὶν ἐν οἴκοις κτἑ.

L. οἷσιν (οἷσῖ in scriptura multorum Codicum).

14. Ibid. 1108:

Χορ. σῶμά τ' ἐς ἥβην ἤλυθε τέκνων.

'Ηλθεν τεκέων est admodum speciosa coniectura alicuius e familiaribus. Forma tamen ἐς, apud Euripidem rarissima, aliquam mihi dubitationem iniicit.

15. Ibid. 1111:

Χορ. Θάνατος προφέρων σώματα τέκνων.

L. τεκέων σώματα. Per dactylum saepe terminatur Anapaesticus, ut Aesch. Suppl. 6. 21. 34, Eur. Troad. 199. Insolitum illud, liberorum *corpora* a Morte avehi, exstat etiam in vulgata.

16. Ibid. 1395:

'ΙΑΣ. ςείχω, διοσῶν γ' ἄμορος τέκνων.

L. τεκέων. Sed plura fortasse corrigenda h. l. remanent.

17. Ibid. 1403:

'Ιάσ. μαλακοῦ χρωτὸς ψαῦσαι τέκνων.

L. hic etiam τεκέων.

18. Eurip. Hipp. 203:

ΤΡΟΦ. *θάρσει, τέκνον, καὶ μὴ χαλεπῶς*
μετάβαλλε δέμας.

Quem locum emendare nondum potui.

19. Ibid. 223:

ΤΡΟΦ. *τί ποτ', ὦ τέκνον, τάδε κηραίνεις;*

Neque hic felicior fui.

20. Eurip. Hec. 94:

Ἑκ. *ἦλθ' ὑπὲρ ἄκρας τύμβου κορυφᾶς*
φάντασμ' Ἀχιλέως.

L. *ὑπερῆλθεν ἄκρας κτἑ.*

21. Eurip. Suppl. 285:

Χορ. *ἃ περὶ σοῖσι*
γούνασιν ὧδε πιτνῶ, τέκνοις χάριν ἐξανύσασθαι.

Nolo affirmare, *τέκεσιν* esse legendum: attamen fieri potest ut sic scripserit poeta. Quod sufficit: nam si de lectione non constat certissime, non poterit locus adversus meum Canonem *argumenti* vim habere.

22. Eurip. Ion 872:

Κρέ. *λίμνης τ' ἐνύδρου Τριτωνιάδος*
πότνιαν ἀκτάν.

Legi *potest*, et Canone meo probato debebit:

πότνιάν τ' ἀκτὰν
λίμνης ἐνύδρου Τριτωνιάδος.

23. Ibid. 1482:

ΚΡΕ. *παρ' ἀηδόνιον πέτραν Φοίβῳ....*

Qui mihi repugnat, si revera est anapaesticus. Necdum emendare eum potui. Sed videtur metrum esse eiusdem generis ac 1480:

Κρέ. *τὸν ἐλαιοφυῆ πάγον θάσσει.*

et 1494:

Κρέ. *ἀνὰ δ' ἄντρον ἔρημον οἰωνῶν.*

24. Ibid. 1486:

ΚΡΕ. δεκάτῳ δέ σε μηνὸς ἐν κύκλῳ
κρύφιον ὠδῖν᾽ ἔτεκον Φοίβῳ.

Videmur hic reliquias habere vss. anapaesticorum; cum vero in his etiam pedes *-νός ἐν* et *κρύφιον* legibus horum vss. non conveniant, facile evincam, locum huncce ut metrum omnino anapaesticum fieri possit, egere emendatione, quam tamen nondum inveni.

25. Eurip. Andr. 537:

Μεν. τί με προσπίτνεις ἁλίαν πέτραν.

Qui vs. bis mihi adversatur. Sed et sensus obscurus est, neque verba reddunt sententiam, quam manifesto voluerit poëta, et verbum *πίτνειν*, quantum scio, priorem numquam producit. Itaque dubia videtur lectio.

26. Eurip. Troad. 573:

Ἑκ. δύστανε γύναι, πάρεδρος χαλκέοις
Ἕκτορος ὅπλοις σκύλοις τε Φρυγῶν
δοριθηράτοις κτέ.

Corruptus videtur. Vs. 572 rogat Hecuba Andromachen: *ποῖ φέρει;* et quidem *ἀπήνης νώτοισιν*, et statim vs. 575 subiungit *οἷσιν Ἀχιλλεύς...... στέψει ναούς*, quasi sciat, quo vehatur Andromache, atque illi narret. Neque hic igitur locus certum affert argumentum.

27. Eurip. Hel. 657:

Ἑλ. ἀδόκητον ἔχω σε πρὸς στέρνοις.

Nunc anapaesticus hic vs. est qualiscunque, sed dochmiace scriptus a poeta videtur, et depravatus a librariis. Circumcirca saltem omnia melica sunt dochmiaci generis. Librarios autem pessime h. l. esse versatos, demonstrant quae paullo ante leguntur vs. 650 sq.:

Ἐλ. *πόσιν ἐμὸν ἐ μ ὸ ν ἔχομεν ἔ χ ο μ ε ν ᾶν ἔμενον*
ἔ μ ε ν ο ν ἐκ Τροίας πολυετῆ μολεῖν.

L. eiectis putidis iterationibus vs. hunc optime dochmiacum:

πόσιν ἐμὸν ἔχομεν ᾶν |ἔμενον ἐκ Τροίας| πολυετῆ μολεῖν.[5]

28. Eurip. Phoen. 1482:

Χορ. *πτώματα νε̄ κ ρ ῶ ν τρισσῶν ἤδη.*

Neque hic, nisi falsum esse Canonem meum aliunde probetur, legere quis repugnabit:

πτώματα τ ρ ι σ σ ῶ ν ἤ δ η ν ε κ ύ ω ν.

29. Eurip. Iph. in Aul. 5:

Πρεσβ. *μάλα τοι γῆρας τοὐμὸν ἄῡ π ν ο ν.*

Qui cum omnibus 48 primis Iphigeniae vss. spurius est. Quod ut nunc demonstrem, et otium et locus deficiunt; unum hoc afferam, illis eiectis repertum esse fabulae prologum, quem frustra requisivit Porsonus in Adversariis p. 9.[6] Nempe Agamemnonis verba, statim inde a vs. 49 sqq.:

ἐγένοντο Λήδᾳ Θεστιάδι τρεῖς παρθένοι κτἑ.

ipsum illum prologum efficiunt.

Hi igitur soli sunt loci, qui adversus me pugnant; numero pauci, emendatu plerumque faciles, locis corruptissimis cincti, saepe ipsi nullo negotio pro corruptis deprensi. Ne vero quis credat, omnino exiguum esse numerum locorum, de quibus hic ago, *omnes locos melicos* e singulis singulorum Tragicorum fabulis annotabo, ubi *manifesto apparet* eiusmodi syllabas corripi;

---

[5]) Idem posui in Thesibus ad calcem *Aeschyleorum*, p. 106, Th. XVI.

[6]) Ricardi Porsoni Adversaria, ed. Monk et Blomfield, Lips. 1814, 8°.

elegi ipsas eas tragoedias, in quibus *plurimi* loci mihi adversantur.

Aesch. Prom. 94. 124. 125. 130. 131. 140. 142. 145 bis. 146. 150. 153. 159. 176. 178. 186. 277. 278. 399. 414. 416. 421. 432. 531. 537. 541. 562. 565. 576. 582. 585. 891. 897. 1046. 1047. 1054. 1065. 1072. 1074. 1077.

Soph. Aiax [7]. 135. 138. 151. 177. 185. 216. 225. 230. 236. 242. 246. 251. 261 bis. 353. 597. 600. 604. 608. 631. 636. 644. 694. 886. 947. 959. 960. 1186. 1192. 1219.

Eurip. Med. 102. 114. 116. 118. 120. 125. 126. 131 bis. 135. 150. 160. 164 bis. 165. 177. 182. 359 bis. 362. 642. 643. 651. 661. 836. 840. 857. 863. 1094. 1100 bis. 1102. 1103 bis. 1279. 1389. 1391. 1394. 1397. 1401. 1411. 1412. 1419.

Itaque in ea fabula (Medea), quae omnium minime mihi favet, longe plures (43 quam 29) inveniuntur loci certi, genuini, pro me pugnantes, quam corrupti, interpolati, incertissimi adversus me in tota Tragicorum supellectile. Neque Dawesio fidem negamus, etsi circa 30 locos adversus se in Aristophane (fere 17000 vss.) legerit, qui sanissimus ad nos pervenit; neque mihi neganda est, cum in Tragicorum melicis carminibus (circa 12000 vss.) quos corruptissimos accepimus, numerum adversantium invenerim, uno etiam minorem Dawesiano.

Aliud quid est, quod mihi obiectum iri exspecto.

---

[7]) Aiax et Trachiniae fere eodem loco sunt. Cum vero Aiacem elegerim ad omnes locos annotandos, eam pro magis adversante habui: nondum enim mihi innotuerat Trach. 848.

Nempe cum supra dixerim, me vel uni loco cessurum esse, dummodo hic sanus sit, iam nunc relinquo quinque (Aesch. Prom. 282, Th. 887, Eur. Hipp. 203. 223, et fortasse Ion 1482), quos neque mutavi, neque demonstravi corruptos esse. Concedo, eoque meam argui imperitiam fateor, sed nonnisi eam. Nempe in altera parte Canonis, ubi Dawesio auctore rem agebam, non felicior fui, neque ipse vir summus omnia emendavit sibi adversantia, ut cuique patebit Miscellanea Critica inspicienti.

Transeo igitur ad eos locos, ubi syllaba clauditur vocali brevi ante *mediam* cum liquida; quos ideo seorsum adduco, quia aliquatenus saltem ad Dawesium pertinent. Nempe docuit ille, talem syllabam ante medias β, γ, δ, sequente quavis liquida praeter unicam ρ, syllabam brevem numquam terminare. Ego autem *in thesi* idem ante litteram ρ obtinere contendo, unamque praeterea exceptionem monstrabo.

Ipsi loci sunt sqq.:

1. (30). Aesch. Pers. 41:

> Χορ. ἁβροδιαίτων δ' ἕπεται Λυδῶν
> ὄχλος κτἑ.

2. (31). Ibid. 541 sqq.:

> Χορ. αἱ δ' ἁβρογόοι Περσίδες ἀνδρῶν
> ποθέουσαι ἰδεῖν ἀρτιζυγίαν
> λέκτρων τ' εὐνὰς ἁβροχιτῶνας.

Neutrum horum adhuc emendare potui.

3. (32). Aesch. Th. 321 sq.:

> Χορ. οἰκτρὸν γὰρ πόλιν ὧδ' ὠγυγίαν
> Ἀιδᾳ προϊάψαι, δορὸς ἄγραν.

L. δουρός. Verum est, hoc apud Aeschylum non legi; sed δουρικλύτοις est Pers. (85), δουρίπληκτ' Th. 278,

δουριάλωτον Soph. Aiax 211, δουρίληπτον ibid. 894; δορός tamen et derivata frequentissime occurrunt.

4.(33). Aesch. Choeph. 327 sq.:

Χορ. ὀτοτύζεται δ' ὁ θνήσκων
ἀναφαίνεται δ' ὁ βλάπτων.

Sensus manet obscurus, sed lucrabimur aliquantum, si verbo θνήσκων opponatur, quod opponendum est, ὁ βλαςών, quod metro non adversari statim ostendam.

5.(34). Soph. Phil. 1414 sq.:

Ἡρ. τὴν σὴν δ' ἥκω χάριν οὐρανίας
ἕδρας προλιπών.

Fortasse θάκους, quo facto l. οὐρανίους. Cf. Aesch. Prom. 280:

Χορ. καὶ νῦν ἐλαφρῷ ποδὶ κραιπνόσυτον
θᾶκον προλιποῦσ' κτἑ.

et 389:

ὨΚ. ἦ τῷ νέον θακοῦντι παγκρατεῖς ἕδρας;

6.(35). Eurip. Med. 102:

Τροφ. ἀλλὰ φυλάσσεσθ'
ἄγριον ἦθος στυγεράν τε φύσιν
φρενὸς αὐθάδους.

L. ἄγριόν τ' ἦθος.

7.(36). Eurip. Troad. 205:

Χορ. ἢ Πειρήνας ὑδρευσομένα
πρόσπολος οἰκτρὰ σεμνῶν ὑδάτων.

Quem locum emendare nondum potui.

8.(37). Eurip. Ion 104:

Ἴων. ςέφεσίν θ' ἱεροῖς ἐσόδους Φοίβου
καθαρὰς θήσομεν ὑγραῖς τε πέδον
ῥανίσι νοτερόν κτἑ.

Neque hunc potui emendare.

Supersunt igitur e locis adversantibus prioris generis quinque, alterius quattuor (Aesch. Pers. 41. 541 sqq., Eurip. Troad. 205, Ion 104). Neque mutare eos potui, neque corruptos esse evincere. Itaque certum esse et dubio maiorem quem posui Canonem non affirmo, hoc tantum sperans me effecisse, ut pro verisimillimo habeatur, et peritiorum oculi in locos illos convertantur: nec dubito, quin hi etiam aliquando regulae meae sint cessuri.

Superest ut moneam: *Verbum βλαςάνειν numquam producit apud Tragicos antecedentem brevem vocalem* IN THESI POSITAM. Cf. Aesch. Suppl. 317:

ΒΑΣ. τίν' οὐκ ἔτ' ἄλλον τῆσδε βλάςημον λέγεις;

Soph. Oed. R. 717:

Ἰοκ. παιδὸς δὲ βλάςας οὐ διέσχον ἡμέραι
τρεῖς κτἑ.

Porro Aesch. Choeph. 589, Soph. Antig. 827, El. 238. 441. 1060. 1080. 1094, Oed. C. 533. 696. 972, Phil. 1311, Fragm. Amphitr. 124 Df., 506 Ahr.[8] (Scyth. 491 Df., 419 Ahr.), Tereus 518 Df., 520 Ahr.

Restituendum est βλαςάνειν Aesch. Choeph. 327, de quo versu modo dixi, et Soph. Ant. 912:

Ἀντ. οὐκ ἔςτ' ἀδελφὸς, ὅςις ἂν βλάςοι ποτε.

L. ἀναβλάςοι cum Cobeto.

Repugnat locus unus, Eurip. Iph. A. 594:

Χορ. ὡς ἐκ μεγάλων ἐβλαςήκασ' κτἑ.

qui cum magna huius fabulae parte spurius est.

Si antecedens vocalis brevis stat IN ARSI, res dubia fit. Huius rei nonnisi tria exempla cognita habeo, Eurip. Ion 267:

---

[8]) Sophoclis Fragmenta, expl. E. A. I. Ahrens, Paris. 1844, 43.

ἼΩΝ. ἐκ γῆς πατρός σου πρόγονος ἔβλαςεν πατήρ.
Cycl. 206:
Κυκλ. πῶς μοι κατ' ἄντρα νεόγονα βλαςήματα.
et Fragm. inc. 103 Df., p. 125:
πόθεν ἔβλαςον, τίς ῥίζα κακῶν;

qui omnes positionem tuentur; at tam paucis testimoniis rem affirmare nolo. Caeterum et hanc quaestionem, et de quibus praeterea egi, dirimant peritiores.

Scribebam Leidae, mense Aprili 1850.

EMENDATUR PLUTARCHUS *Vit. Anton.* XXIX s. f.

Scire velim, num qui cogniti sint Phari et Canobi *Reges*, quaeve his Regibus intercesserit cum calamo sive arundine necessitudo, ut Cleopatrae ad piscantem Antonium verba intelligam: *Παράδος ἡμῖν τὸν κάλαμον, αὐτοκράτωρ, τοῖς Φαρίταις καὶ Κανωβίταις βασιλεῦσιν· ἡ δὲ σὴ θήρα πόλεις εἰσὶ καὶ βασιλεῖς καὶ ἤπειροι.* Interim suam his verbis sententiam suamque huic sententiae vim reddere mihi videor scribendo *ἁλιεῦσιν* pro *βασιλεῦσιν*, quod vitium aluit procul dubio proxima vox *βασιλεῖς*. Quam quidem ipsam ut pro corrupta habeam haud ita multum abest. Aptius certe ab urbibus ad *regna* proceditur quam ad *reges*; rectius quam a *regibus*, a *regnis* transitur ad terras continentes. Malim igitur *βασιλεῖαι* legere quam *βασιλεῖς*. Denique sic scripsisse Plutarchus videtur: *Παράδος ἡμῖν τὸν κάλαμον, αὐτόκρατορ, τοῖς Φαρίταις καὶ Κανωβίταις ἁλιεῦσιν· ἡ δὲ σὴ θήρα πόλεις εἰσὶ καὶ βασιλεῖαι καὶ ἤπειροι.*

I. G. H.

EMENDATIONIS SPECIMEN

IN

PLATONE.

SCRIPSIT

R. B. HIRSCHIG.

(ED. STALLB.)

I.

DELENTUR INVECTA.

PROTAGORAS. 309 A. *πόθεν, ὦ Σώκρατες, φαίνει; ἢ δῆλα δὴ, ὅτι ἀπὸ κυνηγεσίου τοῦ περὶ τὴν Ἀλκιβιάδου ὥραν;*

et B. *τί οὖν τὰ νῦν; ἦ παρ' ἐκείνου φαίνει; καὶ πῶς πρὸς σὲ ὁ νεανίας διάκειται;*

Unus succurrit mihi locus Xenophonteus, in quo verbum *φαίνεσθαι* eandem notionem habere videtur, quam illic, Cyrop. 1. 6, 43 *καὶ εἴ γε δή σοι κατὰ κέρας ἄγοντι* (ins. *οἱ*) *πολέμιοι ἐπιφανεῖεν, πῶς* (leg. *ὅπως*) *χρὴ ἀντικαθιστάναι, καὶ εἴ σοι ἐπὶ φάλαγγος ἄγοντι ἀλλοθέν ποθεν* [*οἱ πολέμιοι* del.] *φανεῖεν ἢ κατὰ πρόσωπον, ὅπως χρὴ ἀντιπαράγειν — ταῦτα δὲ — τί ἂν ἐγὼ λέγοιμί σοι.* At etiam hic *φαίνεσθαι* significat *φανερὸς γίγνεσθαι*, *conspici.* Equidem numquam apud Atticos in oratione pedestri neque in senariis comicis vidi hoc verbum notione *τοῦ ἔρχεσθαι* vel potius *τοῦ ἥκειν.* Praeterea ex comparatis his locis, Phaedr. 227 A. *ὦ φίλε Φαῖδρε,*

ποῖ δὴ καὶ πόθεν; — *παρὰ Λυσίου, ὦ Σώκρατες, τοῦ Κεφάλου· πορεύομαι δὲ πρὸς περίπατον ἔξω τείχους·* Lys. 203 B. *καί με προσιόντα ὁ Ἱπποθάλης ἰδών, ὦ Σώκρ., ἔφη, ποῖ δὴ πορεύει καὶ πόθεν;* — *ἐξ Ἀκαδημίας, ἦν δ' ἐγώ, πορεύομαι εὐθὺ Λυκείου·* Luciani Demosth. Encom. 1. *ἰδὼν οὖν αὐτὸν ἔτι προσιόντα, Θερσαγόρας, ἔφην, ὁ ποιητής, ποῖ δὴ καὶ πόθεν;* — *οἴκοθεν, ἦ δ' ὅς, ἐνταῦθα·* quibus accedat Theaet. 142 A. *ἄρτι — ἢ πάλαι ἐξ ἀγροῦ;* (143 A.) — *ἀναπαύεσθαι δέομαι ὡς ἐξ ἀγροῦ ἥκων·* illa *ποῖ* et *πόθεν* apparet esse formulas, quibus compellabant Attici amicos forte obviam euntes. Ad *ποῖ* autem suppressum esse *πορεύει* simileve quid, et *ἔρχει* vel potius *ἥκεις* ad *πόθεν*, ex ipsis responsis ad illa conficitur et discimus ex Aristophane, apud quem nonnumquam plene sic *πόθεν ἥκεις* scriptum est. Itaque non magis ferri possent ex. gr. *παρὰ Λυσίου φαίνομαι, οἴκοθεν φαίνομαι,* quam illa possunt *πόθεν φαίνει; παρ' ἐκείνου φαίνει;* Quare illa *φαίνει* redde magistellis, nec non illud *πορεύει* in Lys. 203 B., quod addere eos fugit in Luciano, qui hunc locum ad verbum imitatus est. — In B respondet Socrates ad illa *ἢ παρ' ἐκείνου; καὶ πῶς πρὸς σὲ ὁ νεανίας διάκειται;* haec *εὖ ἔμοιγ' ἔδοξεν, οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ τῇ νῦν ἡμέρᾳ· καὶ γὰρ πολλὰ ὑπὲρ ἐμοῦ εἶπε βοηθῶν ἐμοί, καὶ οὖν καὶ ἄρτι ἀπ' ἐκείνου ἔρχομαι,* imo *παρ' ἐκείνου.* Caeterum vides hic *ἔρχομαι,* quod modo volebam, nec non supra *ἥκω* in Theaet. 143 A. Ex his iam patet eadem fere fata habuisse textum Platonicum, quae Xenophonteum habuisse ostendimus: qua de re ut cuique persuasissimum sit, quosdam locos eodem morbo aegros seligam eosque urendo et secando sanare conabor.

Ibid. 310 B. *Ἱπποκράτης — τὴν θύραν τῇ βακτηρίᾳ πάνυ σφόδρ' ἔκρουε, κἀπειδὴ αὐτῷ ἀνέῳξέ τις, εὐθὺς εἴσω ᾔει ἐπειγόμενος καὶ τῇ φωνῇ μέγα λέγων, ὦ Σώκρ. κτέ.*

Inveni quidem *εἴσω, ἔξω γίγνεσθαι, εἶναι*, et interdum apud Aristophanem *εἴσω εἰσιέναι*, non vero *εἴσω ἰέναι*. Quare lego *εἰσῄει* pro *εἴσω ᾔει*. — Tum habet quidem Xenophon Cyrop. 3. 3, 58. *μεγάλῃ τῇ φωνῇ συνεπηχεῖν*: vulgo vero dicunt *μέγα λέγειν* ex. gr. Arist. Vesp. 963.

ἀνάβηθι, τυρόκνηστι, καὶ λέξον μέγα.

Phaedo 95 B. *Ὠγαθέ — μὴ μέγα λέγε.* vel etiam *μέγα βοᾶν.* Symp. 212. D. *καὶ οὐ πολὺ ὕστερον Ἀλκιβιάδου τὴν φωνὴν ἀκούειν ἐν τῇ αὐλῇ σφόδρα μεθύοντος καὶ μέγα βοῶντος.* Phaedo 101 C, Arist. Nub. 220, al. non addito *τῇ φωνῇ*: quod igitur eiiciendum esse censeo. — Haec sunt minoris momenti. Subiungamus quosdam locos, quos librarii de suo addendo et interponendo adeo corruperunt, ut auctoris mens obliterata sit.

Phaedo. 59 E. *ἥκομεν, καὶ ἡμῖν ἐξελθὼν ὁ θυρωρός, ὅσπερ εἰώθει ὑπακούειν, εἶπε περιμένειν, καὶ μὴ πρότερον παριέναι, ἕως ἂν αὐτὸς κελεύσῃ.*

Illud *παριέναι* non significat *ingredi* neque *accedere*, *adire*, quam notionem habent verba *εἰσιέναι* et *προσιέναι*. Vide *εἰσιέναι* in D. *ἐπειδὴ δ' ἀνοιχθείη* (scil. *τὸ δεσμωτήριον*), *εἰσῇμεν παρὰ τὸν Σωκράτη*, et in E. *οὐ πολὺν δ' οὖν χρόνον ἐπισχὼν ἧκε καὶ ἐκέλευσεν ἡμᾶς εἰσιέναι*: et *προσιέναι* infra 116. D. *ὡς ἀστεῖος, ἔφη, ὥνθρωπος· καὶ παρὰ πάντα μοι τὸν χρόνον προσῄει.* in Lysid. 206 C, D et E, apud Aristophanem in Plut. 824. Et confer quae annotavimus ad Xenoph. Anab. 1. 7, 19, ubi eiiciendum esse docuimus *διαβαίνειν* ut magistelli additamentum, pro quo debebat esse *παριέναι*. Praeterea illud *ἕως ἂν* arguit

interpolatorem, cum post πρότερον sic positum Attici semper πρὶν ἂν habeant. Quare abiice illa καὶ μὴ πρότερον παριέναι ut non Graeca et prorsus otiosa. Succurrit mihi locus in Xenoph. Anab. 7. 3, 16. ἐπὶ δεῖπνον παριόντες, ubi male receperunt ex nonnullis Codicibus παριόντες pro ἰόντες: non enim dicunt παριέναι ἐπὶ δεῖπνον, verum ἰέναι. Vide Plat. Symp. 174 B. C, ubi multa exempla. — Nil dicam nunc de illis ὅσπερ εἰώθει ὑπακούειν, quae quoque Platonis esse non possunt. Confer Protag. 314 C, al. Est enim ὁ θυρωρὸς is ipse, qui εἴωθεν ὑπακούειν.

Ibid. 62 E. ἀλλ' ἀνόητος μὲν ἄνθρωπος τάχ' ἂν οἰηθείη ταῦτα —, καὶ οὐκ ἂν λογίζοιτο, ὅτι οὐ δεῖ ἀπό γε τοῦ ἀγαθοῦ φεύγειν, ἀλλ' ὅ τι μάλιστα παραμένειν, *διὸ ἀλογίστως ἂν φεύγοι.*

Non intelligo illa ὅ τι μάλιστα —, διὸ ἀλογίστως ἂν φεύγοι. Neque scribae intellexerunt locum, quare semel lecto ὅ τι μάλιστα pro ὅτι μάλιστα deinde, ut ὅ τι haberet quo referretur, adscripserunt absurda illa διὸ ἀλογίστως α. φ., quae nihili prorsus sunt et onerant orationem. Reddenda igitur haec istis et ὅτι μάλιστα scribendum. Nemo ignorat ὡς — sive ὅτι κάλλιστα, ὅτι ἐγγυτάτω etc.

Symposium. 187 A. μουσικὴ δὲ καὶ παντὶ κατάδηλος τῷ καὶ σμικρὸν *προσέχοντι* τὸν νοῦν, ὅτι κατὰ ταὐτὰ ἔχει τούτοις.

Ex Apol. Socr. 27 E. ὅπως δὲ σύ τινα πείθοις ἂν καὶ *σμικρὸν νοῦν ἔχοντα* [del. ἀνθρώπων], ὡς οὐ τοῦ αὐτοῦ [ἀνδρὸς] ἐστι κτὲ. Phaedo 102 A. θαυμαστῶς γάρ μοι δοκεῖ ὡς ἐναργῶς *τῷ καὶ σμικρὸν νοῦν ἔχοντι* εἰπεῖν ἐκεῖνος ταῦτα. innotescit formula δῆλον — τῷ καὶ σμικρὸν νοῦν ἔχοντι, quemadmodum etiam dicunt saepe

δῆλον — καὶ τυφλῷ. Illa illic pessumdata a scribis non adtendentibus ad σμικρὸν, quocum προσέχειν stare non potest. Quare redde illis προσ et τὸν, ut redeat Attica sententia et dictio. Eodem modo de *sapiente* dicunt simpliciter νοῦν ἔχων, ex. gr. Phaedo 114 D. οὐ πρέπει νοῦν ἔχοντι ἀνδρί. De Republ. 331 C. al. Aristoph. Ran. 532,

ταῦτα μὲν πρὸς ἀνδρός ἐςι
νοῦν ἔχοντος κτἑ.

Ibid. 209 C. κἂν ἐντύχῃ ψυχῇ καλῇ καὶ γενναίᾳ καὶ εὐφυεῖ — πρὸς τοῦτον τὸν ἄνθρωπον εὐθὺς εὐπορεῖ λόγων περὶ ἀρετῆς καὶ περὶ οἷον χρὴ εἶναι τὸν ἄνδρα τὸν ἀγαθὸν καὶ ἃ ἐπιτηδεύειν, καὶ ἐπιχειρεῖ παιδεύειν.

Confer Xenoph. Symp. 8, 12. ἄγαμαι — ὅτι νῦν ἅμα χαριζόμενος Καλλίᾳ καὶ παιδεύεις αὐτὸν οἷόν περ χρὴ εἶναι. Ad quem locum corrige illa delendo περὶ et postremum καὶ cum commate ab imperitis scribis invecta non intelligentibus locum et ignorantibus constructionem παιδεύειν τινὰ οἷον — καὶ ἃ —. Merito igitur haeserunt Stephanus et Astius in illo περὶ, quamquam locum expedire non potuerunt. Eadem iunguntur Gorg. 487 E. καλλίςη ἐςὶν ἡ σκέψις — περὶ τούτων —, ποῖόν τινα χρὴ εἶναι τὸν ἄνδρα καὶ τί ἐπιτηδεύειν κτἑ.

Apologia Socr. 37 D. ἄλλοι δ' ἄρ' αὐτὰς (scil. τὰς ἐμὰς διατριβὰς) οἴσουσι ῥᾳδίως. πολλοῦ γε δεῖ, ὦ ἄ. Ἀθ. καλὸς οὖν ἄν μοι ὁ βίος εἴη ἐξελθόντι τηλικῷδε ἀνθρώπῳ, ἄλλην ἐξ ἄλλης πόλιν πόλεως ἀμειβομένῳ καὶ ἐξελαυνομένῳ ζῆν.

Confer 25 D. 34 E. Crit. 49 A. al. ubique invenies τηλικοῦτος, τηλικόσδε cum participio verbi εἰμί: quare scribe ὄντι pro ἀνθρώπῳ, quod ferri nequit. Deinde Atticum est ἄλλην ἐξ ἄλλης πόλιν, sine πόλεως. Tum Graecum

non esse contendo ὁ βίος ἐςί μοι — ζῆν: verum, uti bene se habet ἂν μοι ὁ βίος εἴη — πάλιν — ἀμειβομένῳ. et Symp. 211 D. ἐνταῦθα τοῦ βίου — εἴπερ που ἄλλοθι βιωτὸν ἀνθρώπῳ θεωμένῳ αὐτὸ τὸ καλόν. sic etiam dicendum est — ὁ βίος εἴη — ἐξελαυνομένῳ γῆν, non ζῆν: semel autem scripto male ζῆν pro γῆν dein deletum esse πρὸ γῆς, quis est, qui non videat? Scripsit Plato καὶ ἐλαυνομένῳ γῆν πρὸ γῆς, qua correctione nulla facilior, si quis viderit γῆν requiri pro ζῆν. Scholiasta: γῆν πρὸ γῆς, τοῦτ' εἴωθε λέγεσθαι Ἀθηναίοις ἀντὶ τοῦ κατὰ πάσης τῆς γῆς ὃ φαμεν τόπον ἐκ τόπου. ad Luciani Alexandrum 46. εἰ — ἀνεῖπεν ἔνδοθεν, ἐς κόρακας, οὐκέτι τὸν τοιοῦτον οὔτε στέγη τις ἐδέχετο οὔτε πυρὸς ἢ ὕδατος ἐκοινώνει, ἀλλ' ἔδει γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνεσθαι ὡς ἀσεβῆ καὶ ἄθεον καὶ Ἐπικούρειον, ἥπερ ἦν ἡ μεγίςη λοιδορία. unde simul discimus simplex ἐλαύνεσθαι in hac dicendi formula usurpari. Operae pretium est conferre Aristoph. Acharn. 235.

ἀλλὰ δεῖ ζητεῖν τὸν ἄνδρα, καὶ βλέπειν Βαλλήναδε,
καὶ διώκειν γῆν πρὸ γῆς, ἕως ἂν εὑρεθῇ ποτε.

ubi activum vides additum quoque habere γῆν πρὸ γῆς.

Phaedo. 65 D. τί δὲ δὴ τὰ τοιάδε, ὦ Σιμμία; φαμέν τι εἶναι δίκαιον αὐτὸ ἢ οὐδέν;

Ad praecedentia referenda haec esse putantes scribae invexerunt illud αὐτὸ, quo reiecto omnia plana. Sic mox quaerit καὶ καλόν γέ τι καὶ ἀγαθόν; scil. φαμὲν εἶναι. Eodem modo 74 A. σκόπει δὴ — φαμέν πού τι εἶναι ἴσον — φῶμέν τι εἶναι ἢ μηδέν; initium faciunt novae argumentationis.

Crito. 47 C. εἶεν, ἀπειθήσας δὲ τῷ ἑνὶ καὶ ἀτιμάσας αὐτοῦ τὴν δόξαν καὶ τοὺς ἐπαίνους, τιμήσας δὲ

τοὺς τῶν πολλῶν καὶ μηδὲν ἐπαϊόντων, ἆρ' οὐδὲν κακὸν πείσεται;

Si δόξα est = ψόγος et ἔπαινος, dixerit Plato ἀτιμάσας αὐτοῦ τοὺς ψόγους καὶ ἐπαίνους καὶ τοὺς ἐπαίνους: quod cum absurdum sit, eiiciendum est τὴν δόξαν et in huius locum reponendum τοὺς ψόγους, atque sic legendum: ἀτιμάσας αὐτοῦ τοὺς ψόγους καὶ τοὺς ἐπαίνους. Nunc bene procedunt mox sequentia τιμήσας δὲ τοὺς (i. e. τοὺς ψόγους καὶ τοὺς ἐπαίνους) τῶν πολλῶν. Tum illa μηδὲν ἐπαϊόντων etiam corrupta sunt. In 48 A. ὁ εἷς ἐπαΐων opponitur τοῖς πολλοῖς i. e. τοῖς μὴ ἐπαΐουσι: est igitur τοῦ ἐπαΐων oppositum τὸ μὴ ἐπαΐων. Quare illic repone μὴ pro μηδέν. Nam in 47 D. verba πειθόμενοι μὴ τῇ τῶν ἐπαϊόντων δόξῃ transponendo τῇ τῶν μὴ pro μὴ τῇ τῶν sanamus. — In horum locorum plurimis sententiam auctoris mutando et de suo addendo prorsus occoecaverunt scribae. Videamus etiam de quibusdam facilioribus.

Protagoras. 319 B. ὁρῶ οὖν, ὅταν συλλεγῶμεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἐπειδὰν μὲν περὶ οἰκοδομίας τι δέῃ πρᾶξαι τὴν πόλιν, τοὺς οἰκοδόμους μεταπεμπομένους συμβούλους περὶ τῶν οἰκοδομημάτων, ὅταν δὲ περὶ ναυπηγίας, τοὺς ναυπηγούς.

Elliptice dictum ὅταν δὲ περὶ ναυπηγίας pro ὅταν δὲ π. ν. τι δέῃ πρᾶξαι τὴν πόλιν: item τοὺς ναυπηγούς pro τοὺς ν. μεταπεμπομένους συμβούλους, sed num etiam hos περὶ τῶν οἰκοδομημάτων? minime gentium: attamen haec est ellipsis Graecae ratio, ut eadem omnia repetenda sint ex superioribus ad verba in ellipsi posita, vel, si haec alia praeter illa requirant, alia posterioribus addantur eaque exprimantur. Nihil autem hic additur post ναυπηγούς,

quale illud *περὶ τῶν οἰκοδομημάτων* post *οἰκοδόμους*. Itaque illa *περὶ τῶν οἰκοδομημάτων* a magistellis sunt invecta et ut intolerabile orationis onus abiicienda.

Apol. Socr. 29 A. *ἐγὼ οὖν δεινὰ ἂν εἴην εἰργασμένος, ὦ ἄνδρες Ἀθην., εἰ — τότε μὲν οὗ ἐκεῖνοι* (*οἱ Ἀθην.* scil.) *ἔταττον ἔμενον — τοῦ δὲ θεοῦ τάττοντος —, ἐνταῦθα δὲ φοβηθεὶς ἢ θάνατον ἢ ἄλλ' ὁτιοῦν πρᾶγμα λίποιμι τὴν τάξιν. δεινὸν μέντἂν εἴη, καὶ ὡς ἀληθῶς τότ' ἄν με εἰσάγοι τις εἰς δικαστήριον, ὅτι οὐ νομίζω θεοὺς κτἑ.*

Confer 25 C. *ἀλλὰ — σαφῶς ἀποφαίνεις τὴν σαυτοῦ ἀμέλειαν, ὅτι οὐδέν σοι μεμέληκε περὶ ὧν ἐμὲ εἰσάγεις.* Aristoph. Nub. 843.

> *οἴμοι. τί δράσω, παραφρονοῦντος τοῦ πατρός;*
> *πότερον παρανοίας αὐτὸν εἰσαγαγὼν ἕλω,*
> *ἢ τοῖς σοροπηγοῖς κτἑ.*

Unde apparet nihil opus esse additamento illo *εἰς δικαστήριον*, quod respuit Atticismus. Tum etiam abiice illud *πρᾶγμα*, et lege *εἰσαγάγοι* pro *εἰσάγοι*.

Ibid. 39 C. *καὶ γάρ εἰμι ἤδη ἐνταῦθα, ἐν ᾧ μάλιστ' ἄνθρωποι χρησμῳδοῦσιν, ὅταν μέλλωσιν ἀποθανεῖσθαι.*

Est in his additamentum, quale in Xenoph. Cyrop. 5. 2, 8. indicavimus in his: *ἓν δὲ δῶρον ἄπειμι ἔχων παρὰ σοῦ, ἀνθ' οὗ οὐδ' ἂν τὰ ἐν Βαβυλῶνι -, οὐδὲ τὰ πανταχοῦ ἀντὶ τούτου οὗ σύ μοι δεδώρησαι, ἥδιον ἂν ἔχων ἀπέλθοιμι.* nempe *ἀνθ' οὗ* explicatur per *ἀντὶ τούτου — δεδώρησαι* eadem prorsus ratione, qua hic *ἐν ᾧ* per *ὅταν μέλλωσιν ἀποθανεῖσθαι*. Quid aliud significat illud *ἐν ᾧ* quam hoc ipsum *ὅταν μέλλ. ἀπ.*? Abiice igitur hoc et vide, quam bene sine eo procedat constructio et quam absoluta sit sententia et periodus.

Phaedo. 64 A. *κινδυνεύουσι γὰρ ὅσοι τυγχάνουσιν ὀρθῶς ἁπτόμενοι φιλοσοφίας λεληθέναι τοὺς ἄλλους, ὅτι οὐδὲν ἄλλο αὐτοὶ ἐπιτηδεύουσιν ἢ ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι. εἰ οὖν τοῦτ' ἀληθές, ἄτοπον δήπου ἂν εἴη προθυμεῖσθαι μὲν ἐν παντὶ τῷ βίῳ μηδὲν ἄλλο ἢ τοῦτο, ἥκοντος δὲ δὴ αὐτοῦ, ἀγανακτεῖν ὃ πάλαι προὐθυμοῦντό τε καὶ ἐπετήδευον.*

Ad pronomina illa *τοῦτ'* et *αὐτοῦ* intelligendum ex superioribus *τοὺς ὡς ἀληθῶς φιλοσόφους ἐπιτηδεύειν ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι*: ad *ἄλλο ἢ τοῦτο* intelligendum solummodo *ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι*, cum iam adsit *προθυμεῖσθαι*, quod est = *ἐπιτηδεύειν*. Tum *ἀγανακτεῖν* absolvit periodum, et iis quae sequuntur *ὃ πάλαι — ἐπετήδευον* constructionis concinnitas tollitur. Itaque haec abiice, quae et sententia et constructio respuit ut prorsus supervacua. Confer 67 D. *οὐκοῦν — γελοῖον ἂν εἴη ἄνδρα παρασκευάζονθ' ἑαυτὸν ἐν τῷ βίῳ ὅτι ἐγγυτάτω ὄντα τοῦ τεθνάναι οὕτω ζῆν, κἄπειθ' ἥκοντος αὐτοῦ τούτου ἀγανακτεῖν; οὐ γελοῖον;*

Ibid. 103 D. *ἀλλὰ τόδε γ' οἶμαι δοκεῖ σοι, οὐδέποτε χιόνα γ' οὖσαν, δεξαμένην τὸ θερμὸν ὥσπερ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ἐλέγομεν, ἔτι ἔσεσθαι ὅπερ ἦν, χιόνα καὶ θερμόν, ἀλλὰ προσιόντος τοῦ θερμοῦ ἢ ὑπεκχωρήσειν αὐτῷ ἢ ἀπολεῖσθαι. — καὶ τὸ πῦρ γ' αὖ προσιόντος τοῦ ψυχροῦ αὐτῷ ἢ ὑπεξιέναι ἢ ἀπολεῖσθαι, οὐ μέντοι ποτὲ τολμήσειν δεξάμενον τὴν ψυχρότητα ἔτι εἶναι ὅπερ ἦν, πῦρ καὶ ψυχρόν.*

Neque post prius *ὅπερ ἦν* illa *χιόνα καὶ θερμόν*, neque post alterum illa *πῦρ καὶ ψυχρόν* Platonis sunt: iis enim adiectis omnia haec fiunt *ἀδύνατα* intelligere. Ad prius tantum intelligatur *χιόνα*, ad posterius tantum *πῦρ*, neutrum

vero scribatur. Vide 102 E. *ὑπομένον δὲ καὶ δεξάμενον τὴν σμικρότητα οὐκ ἐθέλειν εἶναι ἕτερον ἢ ὅπερ ἦν· ὥσπερ κτέ.*, et idem fere mox. — Deinde etiam corrigendum *αὐτῷ*, quod in illis *ᾗ ὑπεκχωρήσειν αὐτῷ ᾖ*: nimirum *αὐτῷ* transponendum est ante *ᾗ ὑπεκχ.* et mutandum in *αὐτῇ* i. e. *τῇ χιόνι*, uti in illis *προσιόντος τοῦ ψυχροῦ αὐτῷ* suo loco positum est *αὐτῷ* i. e. *τῷ πυρί.*

Symposium. 185 E. *εἰπεῖν δὴ τὸν Ἐρυξίμαχον, δοκεῖ τοίνυν μοι ἀναγκαῖον εἶναι, ἐπειδὴ Παυσανίας ὁρμήσας ἐπὶ τὸν λόγον καλῶς οὐχ ἱκανῶς ἀπετέλεσε, δεῖν ἐμὲ πειρᾶσθαι τέλος ἐπιθεῖναι τῷ λόγῳ.*

Confer 194 D. *ἐγὼ δ' ἡδέως μὲν ἀκούω Σωκράτους διαλεγομένου, ἀναγκαῖον δέ μοι ἐπιμεληθῆναι — καὶ ἀποδέξασθαι παρ' ἑνὸς ἑκάςου ὑμῶν τὸν λόγον.* Vides *ἀναγκαῖόν μοι (ἐςὶν) ἐπιμεληθῆναι.* Itaque illic eandem restitue constructionem iungendo illa *δοκεῖ μοι ἀναγκαῖον εἶναι — πειρᾶσθαι κτέ.*, reiectis illis *δεῖν ἐμὲ*, quae nemo sanae mentis post *ἀναγκαῖον εἶναι* ferre potest.

Gorgias. 448 B. *εἰ δέ γε, ᾗσπερ Ἀριςοφῶν ὁ Ἀγλαοφῶντος ἢ ἀδελφὸς αὐτοῦ, ἔμπειρος ἦν τέχνης, τίν' ἂν αὐτὸν ὀρθῶς ἐκαλοῦμεν;*

Ad *εἰ δέ γε* intelligenda esse *ἐτύγχανε Γοργίας ἐπιστήμων ὢν τῆς τέχνης*, ex proxime praecedentibus petenda, his *εἰ ἐτύγχανε Γοργ. ἐπις. ὢν τῆς τέχνης, ᾗσπερ ὁ ἀδελφὸς* manifestum est. Apage igitur illa *ἔμπειρος ἦν τέχνης*, quae sunt magistelli opitulantis sensui, sed nescii sic tolli ellipsin usitatissimam, Atticae orationis ornamentum.

De Republ. 329 B. *-τὸ γῆρας ὑμνοῦσιν, ὅσων κακῶν σφίσιν αἴτιον. ἐμοὶ δὲ δοκοῦσιν, ὦ Σώκρ., οὗτοι οὐ τὸ αἴτιον αἰτιᾶσθαι. εἰ γὰρ ἦν τοῦτ' αἴτιον, κἂν ἐγὼ ταὐτὰ*

ταῦτ' ἐπεπόνθην, ἕνεκά γε γήρως, καὶ οἱ ἄλλοι παντες ὅσοι ἐνταῦθ' ἦλθον ἡλικίας.

Si ad *τοῦτ'* intelligendum est *γῆρας*, de quo nemo sanae mentis dubitare potest, et si *ὅσοι ἐνταῦθ' ἦλθον ἡλικίας* est periphrasis *τοῦ ὅσοι γερόντες εἰσὶν ὥσπερ ἐγώ*, vix languidius alterum indicari potest additamentum quam est illud *ἕνεκά γε γήρως*.

Crito. 52 D. *ἄλλο τι οὖν ἂν φαῖεν ἢ ξυνθήκας τὰς πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς καὶ ὁμολογίας παραβαίνεις κτἑ.*

Illud *αὐτοὺς* turbat sensum et reiiciendum est: quomodo autem in textum venerit, mox apparebit. Compares modo 54 C. *ἐὰν δ' ἐξέλθῃς οὕτως αἰσχρῶς ἀνταδικήσας τε καὶ ἀντικακουργήσας, τὰς σαυτοῦ ὁμολογίας τε καὶ ξυνθήκας τὰς πρὸς ἡμᾶς παραβὰς κακὰ ἐργασάμενος* [del. *τούτους*], *οὓς ἥκιστ' ἔδει σαυτόν τε καὶ* (ins. *τοὺς*) *φίλους καὶ* (*τὴν* ins.) *πατρίδα καὶ ἡμᾶς, ἡμεῖς τέ σοι χαλεπανοῦμεν ζῶντι κἀκεῖ οἱ ἡμέτεροι ἀδελφοὶ* [del. *οἱ ἐν Ἅιδου νόμοι*] *οὐκ εὐμενῶς σε ὑποδέξονται κτἑ.*, quorum verborum feliciter intacta *τὰς σαυτοῦ ὁμολογίας τε καὶ ξυνθήκας*. Ad illa igitur corrige post *φαῖεν ἢ* ponendo et reddendo Platoni *τὰς σαυτοῦ*, unde fortasse factum *αὐτοὺς*, postquam e suo loco migraverat. — Habes duos locos, qui delendo et simul inserendo emendantur. Lubet nunc locos nonnullos deinceps expedire restituendo voces a librariis omissas.

II.

RESTITUUNTUR OMISSA.

Symposium. 177 C. *τὸ οὖν τοιούτων μὲν πέρι πολλὴν σπουδὴν ποιήσασθαι, ἔρωτα δὲ μηδένα πω ἀνθρώπων τετολμηκέναι εἰς ταυτηνὶ τὴν ἡμέραν ἀξίως ὑμνῆσαι.*

Excidit subiectum ad *ποιήσασθαι* referendum. In talibus Graeci sic loqui solent, ut 179 C. *ὥςε π ο λ λ ῶ ν π ο λ λ ὰ καὶ καλὰ ἐργασαμένων εὐαριθμήτοις δή τισιν ἔδοσαν τοῦτο γέρας οἱ θεοί.* Itaque insere *πολλοὺς* inter *πέρι* et *πολλὴν*: quale quid praeterea flagitat sequens *μηδένα.*

Ibid. 208 B. *τούτῳ γὰρ τῷ τρόπῳ πᾶν τὸ θνητὸν σώζεται, οὐ τῷ παντάπασι ταὐτὸ ἀεὶ εἶναι, ὥσπερ τὸ θεῖον, ἀλλὰ τῷ τὸ ἀπιὸν καὶ παλαιούμενον ἕτερον νέον ἐ γ κ α τ α λ ε ί π ε ι ν, οἷον αὐτὸ ἦν.*

Significat *ἐγκαταλείπειν* ex. gr. supra 179 A. *καταλείπειν ἐν*, scil. *κινδύνῳ* i. e. *destituere aliquem in periculo:* tum etiam simpliciter de loco usurpatur, quemadmodum *ἐνοικεῖν, ἐντάττεσθαι* aliaque cum *ἐν* composita. Vide Hell. Xenoph. 1. 1, 22. et quae annotavimus ad Anab. 7. 1, 24. Sed, ne multa, scribendum *καταλείπειν* et reddendum auctori *ἀεὶ* post *νέον*. Vide 207 D. — *ἡ θνητὴ φύσις ζητεῖ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀεί τ' εἶναι καὶ ἀθάνατος. δύναται δὲ ταύτῃ μόνον τῇ γενέσει, ὅτι ἀ ε ὶ κ α τ α λ ε ί π ε ι ἕτερον νέον ἀντὶ τοῦ παλαιοῦ.* quamquam non opus est exemplis: *αὐτὸ γὰρ βοᾷ.*

Ibid. 209 E. *ὧν καὶ ἱερὰ πολλὰ ἤδη γέγονε διὰ τοὺς τοιούτους παῖδας, διὰ δὲ τοὺς ἀνθρωπίνους οὐδενός πω.*

Excidit *οὐδὲν* ante *οὐδενός*. Est etiam hic antithesis, qualem vidimus in 177 C. Praeterea sic solent, uti *πολλοὺς πολλὰ*, etiam *οὐδὲν οὐδενὸς* vel *μηδένα μηδενὸς* in quocunque casu ponere. Ex. gr. Phaedr. 236 E. *ὄμνυμι — σοι — ἦ μὴν, ἐάν μοι μὴ εἴπῃς τὸν λόγον ἐναντίον αὐτῆς ταύτης, μηδέποτέ σοι ἕτερον λόγον μηδένα μηδενὸς μήτ' ἐπιδείξειν μήτ' ἐξαγγελεῖν.*

Phaedo. 62 C. *ἴσως τοίνυν ταύτῃ οὐκ ἄλογον μὴ πρότερον αὐτὸν ἀποκτιννύναι δεῖν πρὶν ἀνάγκην τιν' ὁ θεὸς ἐπιπέμψῃ, ὥσπερ καὶ τὴν νῦν παροῦσαν ἡμῖν.*

Ante *ἀνάγκην* excidit *ἄν*, quod Graecitas constanter habet post *πρὶν* et *ἕως*, sequente coniunctivi aoristo. Exempla quavis pagina obvia. Itaque recte vidit Heindorfius.

Ibid. 75 E. *εἰ δέ γε, οἶμαι, λαβόντες πρὶν γενέσθαι γιγνόμενοι ἀπωλέσαμεν, ὕστερον δὲ ταῖς αἰσθήσεσι χρώμενοι περὶ ταῦτ' ἐκείνας ἀναλαμβάνομεν τὰς ἐπιστήμας, ἅς ποτε καὶ πρὶν εἴχομεν, ἆρ' οὐχ ὃ καλοῦμεν μανθάνειν οἰκείαν ἐπιστήμην ἀναλαμβάνειν ἂν εἴη;*

Post secundum *πρὶν* sensus requirit *γενέσθαι*. Neque *πρὶν* cum *εἴχομεν* iungi potest. Cum verbo finito in oratione pedestri semper usurpatur *πρόσθεν* vel *πρότερον*, non vero *πρίν*. Neque hic opus est exemplis in re notissima. Caeterum pro *γιγνόμενοι* lege aoristum *γενόμενοι*. Vide supra in C. *ἠπιστάμεθα — γενόμενοι — τὸ ἴσον κτέ.* ubi non magis ferri posset *γιγνόμενοι*, cum hic quoque sensus sit *postquam nati sumus*.

Ibid. 76 E. *ἆρ' οὕτως ἔχει, καὶ ἴση ἀνάγκη ταῦτά τ' εἶναι καὶ τὰς ἡμετέρας ψυχὰς πρὶν καὶ ἡμᾶς γεγονέναι, καὶ εἰ μὴ ταῦτα, οὐδὲ τάδε; ὑπερφυῶς, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ὁ Σιμμίας, δοκεῖ μοι ἡ αὐτὴ ἀνάγκη εἶναι, καὶ εἰς καλόν γε καταφεύγει ὁ λόγος εἰς τὸ ὁμοίως εἶναι τήν τε*

ψυχὴν ἡμῶν, πρὶν γενέσθαι ἡμᾶς καὶ τὴν οὐσίαν ἣν σὺ νῦν λέγεις.

Excidit *οὐχ* ante *οὕτως*. Vide 66 A. *ἆρ' οὖν ἐκεῖνος — δεις —; ἆρ' οὐχ οὗτός ἐστιν, ὦ Σιμμία, εἴπερ τις καὶ ἄλλος, ὁ τευξόμενος τοῦ ὄντος;* Nimirum, uti hic praecedit *ἆρ' οὖν*, sic etiam in 76 D. E. *ἆρ' οὖν οὕτως — ἔχει ἡμῖν —;* Atque in talibus, aientis responso sequente, post alterum *ἆρα* Plato constanter habet *οὐ*. — Deinde ferri nequit, *ἔφη, ὦ Σώκρ., ὁ Σιμμίας, δοκεῖ*: sed expungendum *ὁ Σιμμίας* et ante *δοκεῖ* reducendum *ὡς*, quod referatur ad *ὑπερφυῶς*. Tum sequentia interpungantur hunc in modum *ἀνάγκη. εἶναι· καὶ εἰς καλόν γε κτὲ.*

Ibid. 90 E. *πρῶτον μὲν τοίνυν, ἔφη, τοῦτ' εὐλαβηθῶμεν, καὶ μὴ παρίωμεν εἰς τὴν ψυχήν, ὡς τῶν λόγων κινδυνεύει οὐδὲν ὑγιὲς εἶναι.*

Formula Attica est *οὐδὲν ὑγιὲς οὐδενός*. Vide apud Arist. Plut. 362. et 870. et ad hunc locum quae annotavimus, et apud Platonem Cratyl. 440. In dialogo, de quo agimus, bis in 89 E. et 90 C. eadem formula sic *οὐδενὸς οὐδὲν ὑγιὲς* legitur, quam comitatur in hoc loco (90 C.) genitivus *τῶν πραγμάτων* et *τῶν λόγων*, in (Plut. 870.) *ὑμῶν*. Itaque corrige ista inserendo *οὐδενὸς* ante *οὐδὲν*: est enim eadem sententia eademque res, quae in duobus superioribus locis. Quam facile autem talia omitti potuerint *δῆλον*, opinor, *καὶ τυφλῷ*.

Apol. Socr. 24 B. *ὃ καὶ τεκμήριον, ὅτι τἀληθῆ λέγω καὶ ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ διαβολὴ ἡ ἐμὴ καὶ τὰ αἴτια ταῦτά ἐστι. κἂν τε νῦν ἐάν τ' αὖθις ζητήσητε ταῦτα, οὕτως εὑρήσετε.*

Excidit *ἔχοντα* post *οὕτως*; quae dictio mox in C. *ὡς δὲ τοῦθ' οὕτως ἔχει, πειράσομαι καὶ ὑμῖν ἐπιδεῖξαι*, et

sexcenties recurrit. Tum excidit εἰσ ante αὖθις. Vide Gorg. 447 C. 449 C. D., quos locos laudans Stallbaumius non tamen vidit εἰσαῦθις scribendum esse: est enim idem sensus et in tribus illis locis et in hoc Phaed. 115 A. *ὑμεῖς μὲν οὖν –, ὦ Σιμμία τε καὶ Κέβης καὶ οἱ ἄλλοι, εἰσαῦθις ἔν τινι χρόνῳ ἕκαςοι* (leg. *ἕκαςος*) *πορεύσεσθε· ἐμὲ δὲ νῦν καλεῖ κτὲ.* Itaque posteriora scribenda sunt et interpungenda hunc in modum: *κἄν τε νῦν ἐάν τ᾽ εἰσαῦθις ζητήσητε, ταῦθ᾽ οὕτως ἔχοντα εὑρήσετε.* Caeterum dele illud *ἐςι*, quod post *ταῦτα* per ellipsin Atticis usitatissimam intelligendum est.

Ibid. 39 A. *οὔτε γὰρ ἐν δίκῃ οὔτ᾽ ἐν πολέμῳ οὔτ᾽ ἐμὲ οὔτ᾽ ἄλλον οὐδένα δεῖ τοῦτο μηχανᾶσθαι, ὅπως ἀποφεύξεται πᾶν ποιῶν θάνατον.*

Excidit *καὶ λέγων* post *πᾶν ποιῶν*, quae mox occurrunt coniuncta et in 38 D. bis. Solum ubi occurrit *πᾶν ποιεῖν* quid significet, conficias ex Phaed. 114 C. *ἀλλὰ τούτων δὴ ἕνεκα χρὴ* [del. *ὧν διεληλύθαμεν*], *ὦ Σιμμία, πᾶν ποιεῖν ὥς᾽ ἀρετῆς καὶ φρονήσεως ἐν τῷ βίῳ μετασχεῖν.* Verum ordo quoque verborum est turbatus, quem restitue transponendo voces sic: *ὅπως ἀποφεύξεται θάνατον πᾶν ποιῶν καὶ λέγων.*

Ibid. 41 C. *ἀλλὰ καὶ ὑμᾶς χρή, ὦ ἄνδρες δικαςαί, εὐέλπιδας εἶναι πρὸς τὸν θάνατον καὶ ἕν τι τοῦτο διανοεῖσθαι ἀληθές, ὅτι οὐκ ἔςιν ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν οὐδὲν κτὲ.*

Una littera *ε* omissa pessumdatus huius loci sensus. Socrates praeter iam allata unum insuper ultimumque argumentum allaturus, quo probet *τὸ* sibi *ξυμβεβηκὸς ἀγαθὸν εἶναι*, dicit: *ὑμᾶς χρὴ — ἕν τι τοῦτο διανοεῖσθαι* — imo, *ἕν ἔτι τοῦτο διανοεῖσθαι κτὲ.* Est prorsus nihili

ἕν τι τοῦτο. Caeterum apud Aristophanem multa obvia exempla.

Crito. 51 A. ἢ πρὸς μὲν ἄρα σοι τὸν πατέρα οὐκ ἐξ ἴσου ἦν τὸ δίκαιον καὶ πρὸς τὸν δεσπότην — πρὸς δὲ τὴν πατρίδα ἄρα καὶ τοὺς νόμους ἐξέσται σοι, ὥστε, ἐάν σε ἐπιχειρῶμεν ἡμεῖς ἀπολλύναι δίκαιον ἡγούμενοι εἶναι, καὶ σὺ δ' ἡμᾶς τοὺς νόμους καὶ τὴν πατρίδα — ἐπιχειρήσεις ἀνταπολλύναι.

En monstrum constructionis ἔξεστί τινι πρός τινα, ὥστε, cuiusmodi alterum exemplum vellem aliquis mihi indicaret. Praetermiserunt scribae ἴσου Plato scripsit ἐξ ἴσου ἔσται, unde unam vocem fecerunt ἐξέσται: intelligendum enim ex superioribus his ἢ πρὸς μὲν ἄρα — ἐξ ἴσου ἦν — τὸ δίκαιον. illud τὸ δίκαιον post ἐξ ἴσου ἔσται σοι. Hoc demum Graecum atque sic demum bona emergit constructio bonaque sententia. Non quaerit Socrates, quid cui ἔξεστι, sed τὸ δίκαιον quibus ἐξ ἴσου ἐστί.

Ibid. 52 B. καὶ οὔτ' ἐπὶ θεωρίαν πώποτ' ἐκ τῆς πόλεως ἐξῆλθες, ὅτι μὴ ἅπαξ εἰς Ἰσθμόν, οὔτ' ἄλλοσ' οὐδαμόσε, εἰ μή ποι στρατευσόμενος, οὔτ' ἄλλην ἀποδημίαν ἐποιήσω πώποτε, ὥσπερ οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι.

Excidit οὐδεμίαν ante ἐποιήσω. Vide Xenoph. Anab. 7. 1, 6. ad quem locum corrigendum ibid. 7. 2, 27. ἀποκρίνω ὅτι — οὐδὲν τούτου ἕνεκα δέοι τελεῖν οὔτε σοι οὔτ' ἄλλῳ, subiungendo οὐδενί post ἄλλῳ. Confer ibid. 6. 4, 17. et Plat. Apol. Socr. 32 E. πολλοῦ γε δεῖ, ὦ ἄ. 'Αθ. οὐδὲ γὰρ ἂν ἄλλος ἀνθρώπων οὐδείς. et Crit. 54 B. ἀλλ', ὦ Σώκρ., πειθόμενος ἡμῖν τοῖς σοῖς τροφεῦσι μήτε (ins. τοὺς) παῖδας περὶ πλείονος ποιοῦ μήτε τὸ ζῆν μήτ' ἄλλο μηδὲν πρὸ τοῦ δικαίου —· οὔτε γὰρ ἐνθάδε σοι φαίνεται ταῦτα πράττοντι ἄμεινον εἶναι οὐδὲ δικαιότερον

οὐδ' ὁσιώτερον οὐδ' ἄλλῳ τῶν σῶν οὐδενὶ κτἑ. et Ibid. 52 E. σὺ δ' οὔτε Λακεδαίμονα προῃρου̃ οὔτε Κρήτην, — οὔτ' ἄλλην οὐδεμίαν τῶν Ἑλληνίδων πόλεων οὐδὲ τῶν βαρβαρικῶν. Et sic porro ubique in his similibus invenies additum οὐδείς. Videt autem, opinor, καὶ ὁ δυσμαθέστατος, quam facile omitti potuerit οὐδεμίαν post — οδημίαν.

Protagoras. 318 C. εἰ αὐτὸν (i. e. Ζεύξιππον) ἐπανέροιτο (scil. Ἱπποκράτης)· τί δὴ φῄς βελτίω ἔσεσθαι καὶ εἰς τί ἐπιδώσειν;

Excidit με ante βελτίω, quod verbo monuisse sufficit. — Huc pertinent quae huius generis iam in priore parte ἐν παρόδῳ persecuti sumus ad Apol. Socr. 37 D. Crit. 47 C. et 52 D. Platonem editurus et propediem dialogos quosdam publici iuris facturus hoc ago, non tantum ut spuria verba notem, sed imprimis ut omissa auctori reddam: quod in nullo alio auctore tam evidenter fieri potest, quia caeterorum textus multo corruptior ad nos pervenit. Editionis igitur quasi prodromus sit hoc specimen. Videamus etiam de aliis quibusdam mendis.

III.

INDICANTUR MALE LECTA.

Crito. 47 A. σκόπει δή· οὐχ ἱκανῶς δοκεῖ σοι λέγεσθαι, ὅτι οὐ πάσας χρὴ τὰς δόξας τῶν ἀνθρώπων τιμᾶν, ἀλλὰ τὰς μέν, τὰς δ' οὔ;

Pro οὐχ ἱκανῶς lege ΟΥΧΙΚΑΛΩΣ i. e. οὐχὶ καλῶς. Absurdum est οὐχ ἱκανῶς, quod quomodo quis hic defendere possit equidem non intelligo. Paullo superius de

eadem quaestione legitur *τοῦτο — οὐ δοκεῖ καλῶς σοι λέγεσθαι* et paullo inferius *ταῦτ' οὐχὶ καλῶς λέγεται.*

Ibid. 53 C. *οὐκ οἴει ἄσχημον ἂν φανεῖσθαι τὸ τοῦ Σωκράτους πρᾶγμα;*

Non opus est delere *ἄν*, neque tueri *ἂν* cum futuro coniunctum. Scripsit Plato uno vocabulo *ΑΝΑΦΑΝΕΙCΘΑΙ* i. e. *ἀναφανεῖσθαι*, unde librarii fecerunt *ἂν φανεῖσθαι* duobus, quemadmodum etiam ex *ΑΝΑΠΕΦΗΝΑΜΕΝ* fecerunt *ἂν πεφήναμεν*, uti recte vidit Stephanus, in Xenoph. Cyrop. 3. 2, 16, — *ἃ ὑπισχνοῦ ποιήσειν ἀγαθὰ ἡμᾶς, ὅτ' ἐλάμβανες τὰ χρήματα, ἀποτετέλεσαί σοι ἤδη, ὥστε καὶ προσοφείλοντές σοι ἄλλας χάριτας ἀναπεφήναμεν κτέ.* Confer Symp. Plat. 185 A. *εἰ γάρ τις ἐραστῇ ὡς πλουσίῳ πλούτου ἕνεκα χαρισάμενος ἐξαπατηθείη καὶ μὴ λάβοι χρήματα, ἀναφανέντος τοῦ ἐραστοῦ πένητος, οὐδὲν ἧττον αἰσχρόν — κἂν* (leg. *καὶ*), *εἴ τις ὡς ἀγαθῷ χαρισάμενος — ἐξαπατηθείη, ἀναφανέντος ἐκείνου κακοῦ καὶ οὐ κεκτημένου ἀρετὴν, ὅμως καλὴ ἡ ἀπάτη*: quae sunt exempla luculentissima, unde conficiatur notio *τοῦ ἀναφαίνεσθαι.* Nimirum, qui *ἐφαίνετο* adhuc ex. gr. *πλούσιος*, si comperimus eum revera non esse *πλούσιον*, Graece dicitur *ἀναφαίνεσθαι πένης.* Itaque *τὸ τοῦ Σωκράτους πρᾶγμα* adhuc *εὔσχημον* contra exspectationem *ἄσχημον ἀναφαίνεσθαι* Graece dicendum est. — Latet haec certa emendatio inter plurimas incertas a Burgesio factas, neque ad hanc ullum argumentum eum adtulisse video.

Symposium 177 D. *δοκεῖ γάρ μοι χρῆναι ἕκαστον ἡμῶν λόγον εἰπεῖν ἔπαινον ἔρωτος ἐπὶ δεξιὰ ὡς ἂν δύνηται κάλλιστον, ἄρχειν δὲ Φαῖδρον πρῶτον, ἐπειδὴ καὶ πρῶτος κατάκειται καὶ ἔστιν ἅμα πατὴρ τοῦ λόγου.*

In ΞYKp. est δὲ πρῶτον Φαῖδρον, qui ordo praeferendus. Verum quid est ἄρχειν-πρῶτον? Equidem nusquam tale quid me invenisse neque hoc intelligere fateor. Scripsit Plato ΛΕΓΕΙΝ. Optime Graece dicitur λέγειν δὲ πρῶτον Φαῖδρον. Operae pretium est conferre Bast. Palaeogr. Tab. VII. 1, 14, 21. Neque bene se habet λόγον εἰπεῖν ἔρωτος. Scribendum περὶ ἔρωτος. Eosdem Graecitatem pessumdantes legendo ΔΙΑΘΩCΙ ex ΔΡΑCΩCΙ vide in Luciani Nigr. 38. ἀλλὰ κἂν (οἱ ὑπὸ κυνῶν λυσσώντων δηχθέντες) ἑτέρους — ταὐτὸ τοῦτο διαθῶσι, (οἶσθ' ὅτι) καὶ οὗτοι ἔκφρονες γίγνονται. Et in Arist. Eccl. 274.

— ἡνίκ' ἂν δέ γε
τούτους ἀκριβώσητε περιηρμοσμένα,
καὶ θαἰμάτια τἀνδρεῖα — ἐπαναβάλεσθε κτέ.

unam vocem legendo ex ΑΚΡΙΒΩCΗΤΕ i. e. ἀκριβῶς ἦτε duabus: quod mendum omnes, etiam Anglos fugisse miror: barbarum enim ἀκριβοῦν cum participio.

Phaedo. 63 E. ἔα, ἔφη, χαίρειν αὐτόν· ἀλλὰ μόνον τὸ ἑαυτοῦ παρασκευαζέτω ὡς καὶ δὶς δώσων, ἐὰν δὲ δέῃ, καὶ τρίς.

Quid τὸ ἑαυτοῦ? — τὸ ἑαυτοῦ φάρμακον, sed hoc nonne absurdum? Quis igitur novit dicendi formulam τὰ ἑαυτοῦ παρασκευάζειν, nedum τὸ ἑαυτοῦ? cave enim putes et hanc adhiberi, sicuti illas τὰ ἑαυτοῦ πράττειν, τἀλλότρια πράττειν. At Plato scripsit ΤΟCΟΥΤΟΝ i. e. τοσοῦτον scil. φαρμάκου; scribae vero το articulum esse arbitrati ex reliquis litteris vocem quamdam Graecam fecerunt. Confer Xenoph. Oecon. 1, 16. ubi articulum sibi visi deprehendisse in ΤΑΥΤΑΜΕΝ i. e. ταῦτα μὲν, semel perverse lecto τὰ μὲν, ex reliquis litteris fecerunt γάρ. Sed de hoc loco vide copiosius dicta in Miscell. Fasc. II.

Ibid. 78 E. *ἆρα κατὰ ταὐτὰ ἔχει, ἢ πᾶν τοὐναντίον ἐκείνοις οὔτ' αὐτὰ αὑτοῖς οὔτ' ἀλλήλοις οὐδέποτε, ὡς ἔπος εἰπεῖν, οὐδαμῶς κατὰ ταὐτά ἐστιν; Οὕτως αὖ, ἔφη, ταῦτα, ὁ Κέβης· οὐδέποθ' ὡσαύτως ἔχει.*

Haec male legerunt non syllabas perverse disiungendo, sed voces. Post *οὐδαμῶς κατὰ ταὐτὰ* per ellipsin usitatissimam intelligendum est ex superioribus *ἔχει*. Sic paullo inferius in 79 A. *καὶ τὸ μὲν ἀειδὲς ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον, τὸ δ' ὁρατὸν μηδέποτε κατὰ ταὐτά. Καὶ τοῦτο κτἑ.*, semel est scriptum *ἔχον* cogitatione iterandum post posterius *ταὐτά*. Pertinet igitur *ἐστιν* ad sequentia. Atque huiusmodi responsi multa sunt exempla *ἐστιν οὕτως. ἐστι ταῦτα.* Unum vide in Hipp. Maj. 282 A. *ἐστι μὲν ταῦτα, ὦ Σώκρατες, οὕτως κτἑ.* Scribendum igitur — *οὐδαμῶς κατὰ ταὐτά; Ἔστιν οὕτως αὖ, ἔφη, ταῦτα κτἑ.*

IV.

EPIMETRUM.

Protagoras. 313 A. *κἀγὼ εἶπον μετὰ τοῦτο· τί οὖν; οἶσθ' εἰς οἷόν τινα κίνδυνον ἔρχει ὑποθήσων τὴν ψυχήν; ἢ εἰ μὲν τὸ σῶμα ἐπιτρέπειν σε ἔδει τῳ διακινδυνεύοντα* (l. *διακινδυνεύσοντα*) *ἢ χρηστὸν αὐτὸ γενέσθαι ἢ πονηρόν, πόλλ' ἂν περιεσκέψω εἴτ' ἐπιτρεπτέον εἴτ' οὔ· — ὃ δὲ περὶ πλείονος τοῦ σώματος ἡγεῖ τὴν ψυχὴν — περὶ δὲ τούτου οὔτε τῷ πατρὶ οὔτε τἀδελφῷ ἐπεκοινώσω οὐθ' ἡμῶν τῶν ἑταίρων οὐδενί, εἴτ' ἐπιτρεπτέον εἴτε καὶ οὐ τῷ ἀφικομένῳ τούτῳ ξένῳ* [*τὴν σὴν ψυχὴν* del.], *ἀλλ' ἑσπέρας ἀκούσας, ὡς φῄς, ὄρθριος ἥκων περὶ μὲν τούτου οὐδένα λόγον οὐδὲ συμβουλὴν ποιεῖ κτἑ.*

In his Atticam dictionem nobis servarunt optimi Platonis codices, ad quam corrigendi hi versus apud Aristophanem, Vesp. 4.

ἆρ' οἶσθά γ' οἷον κνώδαλον φυλάττομεν;

Nimirum absona illa *οἶσθά γ' οἷον* corrupta sunt: simplicissima autem opera emendantur ad illa, quae apud Platonem *οἶσθ' εἰς οἷόν τινα κίνδυνον ἔρχει*, et auribus et sensu flagitante. Scribendum *οἶσθ' οἷόν τι* pro *οἶσθά γ' οἷον* hunc in modum.

ἆρ' οἶσθ' οἷόν τι κνώδαλον φυλάττομεν;

Itaque merito haesit in hoc versu Elmsleius, frustra tamen medelam quamdam adhibere conatus est. — Deinde illud *ὄρθριος ἥκων* quoque salvum in illo loco Protagorae optime Atticum est: quocum conferendus versus 60 in Lys. Aristophanis:

ἀλλ' οὐδὲ Παράλων οὐδεμία γυνὴ πάρα,
οὐδ' ἐκ Σαλαμῖνος. Καλλ. ἀλλ' ἐκεῖναι γ' οἶδ' ὅτι
ἐπὶ τῶν κελήτων διαβεβήκασ' ὄρθριαι.

(scrib. *ἐκείνας*), ubi similiter vides adiectivum *ὄρθριαι* cum verbo suo iunctum. Emendemus igitur ad haec Eccles. 283.

ἀλλὰ σπεύσαθ', ὡς εἴωθ' ἐκεῖ
τοῖς μὴ παροῦσιν ὀρθρίως ἐς τὴν Πύκνα
ὑπαποτρέχειν ἔχουσι μηδὲ πάτταλον.

scribendo *ὀρθρίοις* pro *ὀρθρίως*. Ibid. 377.

B. ἀτὰρ πόθεν ἥκεις ἐτεόν; X. ἐξ ἐκκλησίας.
B. ἤδη λέλυται γάρ; X. νὴ Δί', ὄρθριον μὲν οὖν.

scribendo *ὀρθρία* pro *ὄρθριον*. Ibid. 526.

πῶς οὖν ὄρθριον
ᾤχου σιωπῇ θοἰμάτιον λαβοῦσά μου;

rescribendo *ὀρθρία* pro *ὄρθριον*: et sic porro ubicunque

idem mendum occurrit. Quodsi forte quem offendit illud πῶς — ὀρθρία, conferat is Acharn. 758.

τί δ' ἄλλο Μεγαροῖ; πῶς ὁ σῖτος ὤνιος;

et Eq. 429.

πῶς οὖν ὁ τυρὸς ἐν Βοιωτοῖς ὤνιος;

unde apparet πῶς etiam iungi cum adiectivis eodem sensu. His accedat Av. 488.

οὕτω δ' ἴσχυέ τε (ἀλεκτρυὼν) καὶ μέγας ἦν τότε καὶ πολὺς (ὥστ' ἔτι καὶ νῦν

ὑπὸ τῆς ῥώμης τῆς τότ' ἐκείνης, ὁπόταν μόνον ὄρ-(θριον ᾄσῃ,

ἀναπηδῶσιν πάντες ἐπ' ἔργον, χαλκῆς κτέ.

ubi adiectivum ὄρθριον non mutandum in ὄρθριος: non enim referendum est ad ᾄσῃ, sed ad substantivum νόμον, quod vero socordia librariorum abiit in μόνον. Itaque scribe ὁπόταν νόμον ὄρθριον ᾄσῃ pro ὁπόταν μόνον ὄρθριον ᾄσῃ, ut redeat sensus. Confer Eccl. 312.

— σὺ δὲ δεῦρ' ἡ καθαρῳδὸς ἐξιθι,

πολλάκις ἀναςήσασά μ' εἰς ἐκκλησίαν

ἀωρὶ νύκτωρ διὰ τὸν ὄρθριον νόμον.

Vix opus est exempla afferre aliorum adiectivorum sic usurpatorum. Cuique nota χρόνιος ἐλθὼν, χρονία παροῦσα, ex. gr. Thesmoph. 912.

ὦ χρόνιος ἐλθὼν σῆς δάμαρτος ἐς χέρας.

Haec pauca his non subiungere non potui. Sit specimen emendationis in Aristophane, quae fiat adhibito textu Platonico, quippe qui multo integrior ad nos pervenerit quam textus non tantum illius, sed etiam reliquorum omnium scriptorum Atticorum.

SELECTAE EMENDATIONES

IN

PARTHENIO, ALCIPHRONE ET FABULARUM MILESIARUM SCRIPTORIBUS, HELIODORO, XENOPHONTE EPHESIO, LONGO, ACHILLE TATIO, CHARITONE APHRODISIENSI.

SCRIPSIT

G. A. HIRSCHIG.

Accipe benevole lector nostras in Parthenio, Alciphrone et Fabularum Milesiarum scriptoribus emendationes. De quorum aetate, dicendi ratione, lingua quâ utuntur, deque toto hoc scribendi genere quominus nunc disputem prohibet spatium mihi hoc anno in Miscellaneis concessum, quare haec pauca tantum praemonebo. E magna emendationum copia, quas hos auctores legens feceram, illas potissimum elegi quae corrumpentis librarii manum lectoribus quasi ante oculos ponunt, ad quas legendas et intelligendas non opus est ut hos libros in promptu habeant, de quibus spero fore ut omnes qui videant eas simul probent. Hanc etiam ex horum inferioris aetatis scriptorum lectione capere possumus utilitatem, ut discamus rationem qua textus a librariis male legatur et cor-

rumpatur; in his enim perspicue et clare videmus quas voces confundant, quo modo semel corruptis alia addant; quodsi haec tenemus, facilius et tutius aureae aetatis scriptores emendabimus, apud quos saepe tertius et quartus et quintus librarius sententiam a primo corruptam suo quisque modo explent; apud hos contra qui propius a nostra aetate absunt unus aut alter vocem male legit, quare longe facilius in his auctoris manum agnoscimus. Caeterum Fabularum Milesiarum scriptores non accedunt ad Atticorum simplicitatem et elegantiam. Longus et Xenophon Ephesius reliquis praestant. Parthenius, ut Antoninus Liberalis, quum ex antiquis Ionicis scriptoribus hauserit, in narrationibus servat nativum illud, quod in Herodoto observamus et quo fruimur magna cum voluptate. Alciphron haud sine fructu Mediae Comoediae poëtas legit. — In Bibliotheca Academiae Lugduno-Batavae servatur Editio Achillis Tatii, Longi et Parthenii ex officina Commeliniana anni 1601: cui multas adscripsit Iosephus Scaliger emendationes, quas mihi benevole utendas dedit vir Clarissimus mihique amicissimus I. Geel; quarum videbis nonnullas a me esse adhibitas.

PARTHENII EROTICA.

(Edidit Fr. Passow. Lipsiae 1824.)

C. VII. § 3. *Ἐπεὶ δ' ὁ τύραννος τῆς ὥρας ἐγλίχετο τοῦ παιδὸς καὶ οἷός τ' ἦν αὐτὸν βίᾳ ἄγεσθαι κτἑ.* Lege *καὶ οἷος ἦν αὐτὸν βιάζεσθαι.* Nam dixisset auctor *βίᾳ ἄγειν.* Cf. c. XXXVI. § 2. *Ἐλθὼν οὖν ὁ Ῥῆσος βίᾳ μὲν αὐτὴν*

οὐκ ἦγεν κτέ: βιάζεσθαι verbum proprium in hac re. Vid. c. IX. § 2. οὐ γὰρ δή γε θεμιτὸν ἦν ἱκέτιν οὖσαν ἐν τῷ ἱερῷ βιάζεσθαι. Xenoph. Eph. L. I. c. 14 ἀλλὰ καὶ τὸ βιάζεσθαι χαλεπὸν εἶναι αὐτῷ κατεφαίνετο. Longi Pastor. L. IV. c. 12. Apud Parthenium haec sequuntur, δυσανασχετήσας ὁ Ἀντιλέων, ἐκείνῳ μὲν παρεκελεύσατο μὴ ἀντιλέγειν κινδυνεύειν. Ios. Scaliger recte μὴ ἀντιλέγοντα κινδυνεύειν.

C. VIII. § 1. — ἀποσπασθέν τι μέρος τοῦ βαρβαρικοῦ — καὶ ἐξαπιναίως ἐπιδραμὸν ἀνεῖλεν τὰς γυναῖκας. Scaliger recte εἷλεν. Vid. cap. XXVI πορευομένην οὖν — λοχήσας εἷλεν. — Loco laudato auctor pergit Ἔνθα δὴ τὰς μὲν ἐρύσαντο, πολὺ ἀργύριόν τε καὶ χρυσίον ἀντιδόντες κτέ. Pro ἐρύσαντο lege ἐλύσαντο.

C. XII. § 3. — ἦν δ' ἄρα φαρμάκων ἀνάπλεω τὰ ἐδέσματα, φαγὼν θ' ὁ Κάλχας εὐθέως παραπλὴξ ἵεται καὶ αὐτὸν ἤλασεν ἐς συφεούς. Lege παραπλὴξ γίνεται. Cf. c. XXXII. § 2 ἐκτός τε φρενῶν ἐγένετο. Cap. XVII. fin. legitur, παραπλὴξ ἦν νοῦ τε καὶ φρενῶν. Glossema sapiunt haec νοῦ τε καὶ φρενῶν; accusativus requiritur, et aut παραπλὴξ aut ἐκτὸς φρενῶν γίνεσθαι a Parthenio usurpatur.

C. XXIX. Ἐν Σικελίᾳ δὲ Δάφνις Ἑρμοῦ παῖς ἐγένετο, σύριγγί τε δεξιῶς χρήσασθαι καὶ τὴν ἰδέαν ἐκπρεπής. Οὗτος εἰς μὲν τὸν πολὺν ὅμιλον ἀνδρῶν οὐ κατῄει, βουκολῶν δὲ κατὰ τὴν Αἴτνην χείματός τε καὶ θέρους ἠγραύλει. Scaliger δεξιός; quomodo quis defendere possit δεξιῶς non intelligo. In verbis οὗτος εἰς μὲν τὸν πολὺν ὅμιλον ἀνδρῶν οὐ κατῄει gravis corruptela latet, sed simul vestigium remansit, unde auctoris manum agnoscere possumus: facile quidem esset corrigere ἀνθρώπων pro ἀνδρῶν, no-

tum enim est quo compendio illud scribatur, sed quid significat πολὺς ὅμιλος? Sufficit haec vox adiectivo abiecto; atqui κατιέναι εἰς ὅμιλον vitiosum: nam neque κατιέναι unquam hac in re usurpatur, sed alio potius modo hoc exprimunt, v. c. Cap. XXXVI. ἔφη δὲ θέλειν αὐτῇ συγκυνηγεῖν· καὶ αὐτὸς γὰρ ὁμοίως ἐκείνῃ τὴν πρὸς ἀνθρώπους ὁμιλίαν ἐχθαίρειν. Ex quo ipso exemplo videmus quoque voci ἀνδρῶν ante ὅμιλον suum locum esse. — ΠΟΛΥϹ et ΠΟΛΙϹ saepe confusa. Cf. F. I. Bastii Comm. Pal. p. 834. κατιέναι εἰς τὴν πόλιν semper dicitur. His observatis facile videmus auctorem scripsisse οὗτος εἰς μὲν τὴν πόλιν οὐ κατῄει, reliqua addita a librariis, postquam πόλιν abierat in πολύν. Cff. c. XV. αὕτη τὸ μὲν ἅπαν εἰς πόλιν οὐ κατῄει, sed ἐθήρευεν. Anton. Lib. Metam. c. XV. οὗτοι ἀνθρώπων οὐδενὶ συνῆλθον οὔτ' εἰς ἄστυ κατιόντες οὔτε πρὸς εἰλαπίνας καὶ θεῶν ἑορτάς. Longi Past. IV. 5. εἶθ' οὕτως κατελθὼν εἰς τὴν πόλιν ἄξειν τὸν δεσπότην.

ALCIPHRONIS RHETORIS EPISTOLAE.

(Ed. St. Bergler. Lipsiae 1715.)

L. I. Epist. I. εἶτ' ἐνθέμενοι τὰ δίκτυα ἔργων εἰχόμεθα κτἑ. Constanter ἔργου ἔχεσθαι scribitur. Cff. exempla quae Berglerus affert.

Epist. 8. τὰ ἡμέτερα ὡς οἶσθα παντελῶς ἐστιν ἄπορα καὶ βίος κομιδῇ στενός· τρέφει γὰρ οὐδὲν ἡ θάλασσα. Legendum φέρει pro τρέφει; dici potest τρέφει οὐδένα, sed tum auctor scripsisset οὐδένα γὰρ τρέφει ἡ θάλασσα.

L. II. Epist. 1. Σὺ ταύτης τῆς παῤῥησίας αἴτιος ὢν βασιλεὺς εἶτ' ἐπιτρέψας καὶ ἑταίρᾳ γράφειν σοι καὶ οὐχ ἡγησάμενος δεινὸν ἐντυγχάνειν τοῖς ἐμοῖς γράμμασιν ὅλῃ μοι

ἐντυγχάνων. Delendum καὶ ante ἡγησάμενος. Porro legendum ἐπέτρεψας.

Ibid. καὶ ὅταν ἔλθῃς προσκυνῶ σε. καὶ ὅταν περιπλακεὶς μέγα φιλῇς πάλιν πρὸς ἐμαυτὴν τἀναντία λέγω. οὗτός ἐστιν ὁ πολιορκητής; Lege με καταφιλῇς. Cf. L. II. Ep. 3. ἅπαξ αὐτὴν ἁρπάξας κατεφίλησα.

Epist. II. μὴ γάρ ἐστι σωφρονῆσαι διὰ τὸν ἄνθρωπον τοῦτον. καὶ Σωκρατίζειν καὶ στωμυλεύεσθαι θέλει καὶ εἰρωνεύεσθαι· καὶ Ἀλκιβιάδην τινὰ ἢ Πυθοκλέα νομίζει καὶ Ξανθίππην ἐμὲ οἴεται ποιήσειν. De Pythocle Epicuri amasio cf. adn. Bergleri. Lege καὶ Ἀλκιβιάδην τὸν Πυθοκλέα καὶ Ξανθίππην ἐμὲ οἴεται ποιήσειν.

L. III. Ep. XXXVIII. τί ἂν οὐ ποιοίμην κτέ. L. ποιοίην.

Ep. XXXIX. οἷα γάρ, οἷά σε νῦν λανθάνει, Ἀλῷα καὶ Ἀπατούρια καὶ Διονύσια καὶ ἡ νῦν ἑστῶσα σεμνοτάτη τῶν Θεσμοφόρων ἑορτή. Legendum ἡ νῦν ἐνεστῶσα.

Ep. XLIII. Τῇ προτεραίᾳ ξυράμενοι τὰς κεφαλάς, ἐγὼ καὶ Στρουθίων καὶ Κύναιθος οἱ παράσιτοι, λουσάμενοι εἰς τὸ ἐν Σηραγγείῳ βαλανεῖον ἀμφὶ πέμπτην ὥραν δρόμον ἀφέντες, εἰς τὸ προάστειον τὸ Ἀγκύλης τὸ Χαρικλέους τοῦ μειρακίσκου ᾠχόμεθα. Bergl. τὸ Ἀγγελῆσι. Lege porro εἰς Χαρικλέους: nam et Attici ita loquuntur et noster L. III. Epist. LXIV. Ὁ μὲν Κρίτων τὸν υἱὸν εἰς φιλοσόφου φοιτᾶν ἐπέτρεψε. Supprimunt οἶκον.

Ep. XLIV. Ἡμῶν — οὐδεὶς λόγος· εὐδοκιμεῖ δὲ τανῦν Γρυλλίων μόνος καὶ κατάρχει τοῦ ἄστεος καὶ πᾶσα αὐτῷ καθάπερ Κράτητι τῷ Θηβηθεν κοινῇ ἀνέῳγεν ἡ οἰκία. Lege πᾶσα αὐτῷ κ. Κ. τ. Θ. ἀνέῳγεν οἰκία, deleto κοινῇ. Paucis interiectis τί γὰρ καὶ στωμύλον ἔχει; τί δ' ὁμιλητικὸν καὶ ἡδὺ φέρει; Dele φέρει: nam intelligitur ἔχει e proxime praecedentibus, et φέρειν τι ἡδὺ inusitatum.

Ep. XLVI. *πολλὰς γὰρ ὁμοῦ πολλάκις παροινίας ἀνέπλημεν.* Bergl. bene sciebat Alciphronem scribere proprie debuisse *ἀνέτλημεν*, sed eum hic imitatum esse Homerum putat, cuius sunt *ἀναπλήσας κακὰ πολλά, κήδε' ἀναπλῆσαι, ἄλγε' ἀναπλήσειν.* Equidem librariorum *ἀνέπλημεν*, Alciphronis *ἀνέτλημεν* esse putaverim: non enim tam invita Minerva ludere noster solet.

HELIODORI AETHIOPICA.

(Cf. Edit. C. G. Mitscherlich Argentorati a. 1806.)

L. I. c. 1. Charicleam, filiam Hydaspis Aethiopum regis, a matre Persina expositam educat primum Sisimithris, deinde Charicles Pythius sacerdos; puellae iam adultae amore capitur Theagenes Thessalus, qui eam rapit. Fugiunt ambo, navigant in Aegyptum; prope Cretam navis a Trachino pirata capitur; in Aegyptum appelluntur; ibi pugna inter Trachinum eiusque praefectum oritur, (Charicleam uterque amabat); reliquorum piratarum alii huic, alii Trachino favent; fit certamen inter hos, omnesque interficiuntur excepta Chariclea; Theagenes autem gravi vulnere laceratus illam his verbis alloquitur: *ὦ γλυκεῖα, σώζῃ μοι ὡς ἀληθῶς, ἢ γέγονας καὶ αὐτὴ τοῦ πολέμου πάρεργον; οὐκ ἀνέχῃ δ' ὅλως οὐδὲ μετὰ θάνατον ἀποστατεῖν ἡμῶν, ἀλλὰ φάσμα τὸ σὸν καὶ ψυχὴ τὰς ἐμὰς περιέπει τύχας;* Lege *ὅμως*.

C. 17. *ἡ δ' ἅμα πάντα τὰ περιεστῶτα — ἐννοήσασα, τὴν ἀποτυχίαν τῶν προσδοκηθέντων, τὴν ἐπὶ τοῖς πταίουσιν ἀτιμίαν, τὴν ἐκ τῶν νόμων τιμωρίαν, ἀνιωμένη μὲν ἐφ' οἷς ἡλίσκετο, χαλεπαίνουσα δ' ἐφ' οἷς ἠπάτητο, — ὤσεν ἑαυτὴν ἐπὶ κεφαλήν.* Lege *παροῦσιν* pro *πταίουσιν*.

Cod. Xyl. habet ἐπὶ τοῖς μέλλουσαν. Pal. et Vatic. ἐπὶ τοῖς μέλλουσιν, quae est librarii lectio e sensu tale quid suppleri debere putantis, (postquam ab alio παροῦσιν omissum erat), mala illa, quoniam hoc ipsum sequitur, τὰ μέλλοντα id est τὴν ἐκ τῶν νόμων τιμωρίαν timet Demaeneta: τὰ παρόντα et τὰ μέλλοντα κακὰ opponuntur τοῖς προσδοκηθεῖσιν ἀγαθοῖς.

C. 20. — πρὸς τὰς παρούσας οὐ πέπτωκε συμφορὰς κτἑ. Imo οὐκ ἐνέδωκε. Cf. c. 22 τοῦ κυβερνήτου πρὸς τὸ ὑπερβάλλον κακὸν ἐνδόντος.

L. VII. c. 11. — καταγώγιον ὑμῖν ηὐτρέπισται λαμπρὸν καὶ οἷον εὔξαιτ' ἄν τις καὶ τῶν εὐδαιμόνων καὶ ἐγχωρίων, μήτοι γε δὴ ξένων καὶ εὐτελεστέρων τῶν νῦν πράττειν δοκούντων. Lege οἷον εὔξαιτ' ἄν τις τῶν εὐδαιμόνων καὶ ἐγχωρίων μήτοι γε δὴ ξένων καὶ εὐτελέστερον τανῦν πράττειν δοκούντων. C. 20 ζηλωτὰ δὲ ταῦτα καὶ εὖ πράττουσι μήτοι γε δὴ ξένοις, καὶ ἐν ἐνδείᾳ τὸ παρὸν ἐξεταζομένοις.

C. 14. — οἴχεται ἡ σεμνὴ καὶ μείλιχος, ἡ σοφὴ καὶ πολιὰ τῷ ὄντι φρὴν, τῶν εἰς ἡμᾶς εὐεργεσιῶν οὐδ' αὐτὴ τέλος ἀραμένη. Legendum εὑραμένη. Forma haec εὑράμην, ut notum, seriorum est.

L. VIII. c. 3. ὁ Θύαμις — τὰ περὶ τὴν κηδείαν τοῦ Καλασίριδος ἐκτελέσας καὶ τὰ νενομισμένα τῷ πατρὶ πάντα ἐν ἡμέραις ταῖς τεταγμέναις ἐπενέγκας, ἀναζητήσεως ἔννοιαν τῶν περὶ τὸν Θεαγένην ἐλάμβανεν, ὅτε δὴ παραιτεῖσθαι καὶ τοῖς θύραθεν ἐκ τοῦ προφητικοῦ νόμου διατεταγμένον ἐγίνετο. Latine vertunt, quando iam versari etiam cum extraneis lege pontificia permittebatur. Lege διαιτᾶσθαι.

C. 9. p. 242. ἐφ' οἷς οἱ δικάζοντες οὐδὲ μελλήσαντες

μικροῦ μὲν ἐδέησαν ὠμοτέρᾳ τε καὶ Περσικῇ τιμωρίᾳ ὑπερβαλεῖν. Lege *περιβαλεῖν.*

C. 10. *Ἤδη δὲ πλησιάζων* (nempe Bagoas quidam ex eunuchis Orondatis Persarum regis, cum turma equitum proficiscebatur ad dominum suum, qui Aethiopes hostes reprimere et debellare conabatur) *Αἰθιοπικῷ περιπίπτει λόχῳ καὶ πλήθει νεολαίας εὐοπλούσης, οἳ προαπεστάλησαν μὲν ὀπτῆρές τ' ἐσόμενοι, — τότε δ' ὑπὸ νυκτός τε καὶ τόπων ἀπειρίας, ὅπου ᾖ πορρωτέρω τῶν φιλίων προσῆκον ἦν φθάνειν ἀποσφαλέντες — ἄϋπνοι τὴν λόχμην ἐπετείχιζον.* Legendum *τότε δ' ὑπὸ νυκτός τε καὶ τόπων ἀπειρίας ὁμοῦ πορρωτέρω τῶν φίλων ἢ προσῆκον ἦν φθάνειν, ἀποσφαλέντες.*

L. IX. c. 7. *ταῦτ' ἀκούσαντες οἱ πρέσβεις ἔτι ἀνῄεσαν ἅμα καὶ δύο Περσῶν ἀναλαβόντες, πρὸς τὸν Ὑδάσπην ἅπαντα ἀπήγγελλον.* Ex *ΕΤΙΑΝΗΕCΑΝ* reponendum *ΕΠΑΝΗΕCΑΝ.*

L. X. c. 21. Hydaspem Aethiopum regem Chariclea rogat, ut sibi liceat Theagenem Diis immolandum propria manu interficere; negat ille: nam *μόνοις*, inquit, *ταῖς ἱερωμέναις τῷ θ' Ἡλίῳ καὶ τῇ Σεληναίᾳ — ἀποκεκλήρωται ἥδε πρᾶξις, καὶ ταύταις οὐ ταῖς τυχούσαις ἀλλὰ τοῦ μὲν γυναιξί, τῆς δ' ἀνδρὶ συνοικούσῃς· ὥσθ' ἡ κατά σε παρθενία κωλύει τὴν οὐκ οἶδ' ὅπως γιγνομένην αἰτίαν.* Pro *αἰτίαν* lege *αἴτησιν.* Cf. 22. *ἀδύνατον εἶναι μαθοῦσα τὴν αἴτησιν.*

C. 26. *οἱ Ἀράβων τῶν εὐδαιμόνων προσῄεσαν καὶ φύλλου τε τοῦ θυώδους καὶ κάδας καὶ κινναμώμου καὶ τῶν ἄλλων οἷς ἡ Ἀραβία γῆ μυρίζεται τὸν τόπον εὐωδίας ἐμπλήσαντες.* Lege *κασίας* pro *κάδας.* Cf. Herod. III. 107. *Πρὸς δ' αὖ μεσαμβρίης ἐσχάτη Ἀραβίη — ἐν δὲ ταύτῃ*

λιβανωτός τ' ἐστὶ φυόμενος καὶ σμύρνη καὶ κασίη καὶ κιννάμωμον καὶ λήδανον.

XENOPHON EPHESIUS.

(Cf. Edit. Fr. Passow. Lipsiae 1824.)

L. I. c. 1. *Τούτῳ τῷ Λυκομήδει ἐκ γυναικὸς ἐπιχωρίας, Θεμιστοῦς, γίνεται παῖς Ἁβροκόμης, μέγα δή τι χρῆμα, ὡραιότητι σώματος ὑπερβαλλούσῃ, κάλλους, οὔτ' ἐν Ἰωνίᾳ οὔτ' ἐν ἄλλῃ γῇ πρότερον γενομένου.* Mitscherlichius adnotavit ad h. l. "iunge *χρῆμα κάλλους*, noto Graecismo. Vid. Valcken. ad Eurip. Phoen. 206 et ad Theocrit. XXII, 4." Recte, nec cuivis notam dicendi rationem *μέγα τι χρῆμα κάλλους* explicare opus est: sed quis unquam *χρῆμα* et *κάλλους* ita separavit? Praeterea quae interponuntur prorsus idem significant, quare haec *ὡραιότητι σώματος ὑπερβαλλούσῃ* abiiciantur, quae sunt librarii hanc dicendi formulam explicantis; quae deinde in textum irrepserunt istoque loco, unde facile aliena esse illa appareat.

Ibid. Bonus ille Habrocomes corporis pulchritudine superbiebat *πάντων δὲ τῶν ἄλλων — κατεφρόνει. Καὶ εἴ τινα ἢ παῖδα καλὸν ἀκούσαι ἢ παρθένον εὔμορφον κατεγέλα τῶν λεγόντων, ὡς οὐκ εἰδότων ὅτι ἓν καλὸν αὐτός.* Cocchius correxit *ὅτι εἷς καλὸς αὐτός.* Codex Florent. verae lectionis vestigia servavit, in hoc enim legitur *ὅτι ἔνι καλός*: scripsit enim auctor *ὅ τι εἴη κάλλος.* Abiiciendum *αὐτός.*

Ibid. c. 6. Habrocomae et Anthiae parentes Apollinis Colophonii oraculum adeunt consultum de suis liberis qui gravi affecti erant morbo. *Χρᾷ δ' ὁ θεὸς κοινὰ*

ἀμφοτέροις τὰ μαντεύματα ἐμμέτρως τὰ ἔπη τάδε. Dele *τὰ* ante *μαντεύματα* et repone *ἐν μέτρῳ*: nam et noster haec Atticis usurpata *ἐν μέτρῳ* sive *μετὰ μέτρου*, cui oppositum *καταλογάδην*, novit et adhibet. Cf. L. V. c. 4. *οἱ δὲ περὶ τὸν νεὼ τοῦ θεοῦ Αἰγύπτιοι ἃ μὲν καταλογάδην, ἃ δ' ἐν μέτρῳ προλέγουσι τῶν ἐσομένων ἕκαστα.*

Ibid. c. 7. Parentes oraculum accipiunt quo durissima mala liberis suis portendebantur; consilii inopibus, *ἔδοξεν αὐτοῖς — παραμυθήσασθαι τὸν χρησμὸν ὡς οἷόν τε καὶ συζεῦξαι γάμῳ τοὺς παῖδας, ὡς τοῦτο καὶ τοῦ θεοῦ βουλευομένου, δι' ὧν ἐμαντεύσατο.* Lege *βουλομένου*: nam et apud nostrum *βουλεύεσθαι* deliberare significat; in hac ipsa periodo *ἔδοξεν οὖν αὐτοῖς πολλὰ βουλευομένοις*: porro *συμβουλεύειν* consilium dare c. 15 occurrit.

Ibid. c. 14. In Aegyptum Habrocomes et Anthia navigant; prope insulam Rhodum navis a Corymbo piratarum duce capitur, omnesque qui vitam defendere conabantur interficiuntur: *Ὁ δὲ Ἁβροκόμης καὶ Ἀνθία προστρέχουσι τῷ Κορύμβῳ — καὶ λαβόμενοι τῶν γονάτων αὐτοῦ, τὰ μὲν χρήματα, ἔφασαν, ὦ δέσποτα, καὶ ἡμᾶς οἰκέτας ἔχε, φεῖσαι δὲ τῆς ψυχῆς καὶ μηκέτι φόνευε τοὺς ἑκόντας ὑποχειρίους σοι γενομένους. — Ἀκούσας ὁ Κόρυμβος, εὐθὺς μὲν ἐκέλευσε φείσασθαι φονεύοντας. μεταθέμενος δὲ κτέ.* Vides praecedere *φεῖσαι τῆς ψυχῆς*: hoc sanum, sed quid significat *φείσασθαι φονεύοντας*? Scripsit, ni fallor, auctor *παύσασθαι φονεύοντας*.

Ibid. *Ἐν δὲ τῷ τοῦ πλοῦ διαστήματι ἐκ πολλῆς τῆς καθ' ἡμέραν ὄψεως ἐρᾷ ὁ Κόρυμβος τοῦ Ἁβροκόμου σφοδρὸν ἔρωτα. — Καὶ ἐν μὲν τῷ πόνῳ οὔ τι πεῖσαι δυνατὸν ἐδόκει εἶναι — ἀλλὰ καὶ τὸ βιάζεσθαι χαλεπὸν εἶναι αὐτῷ κατεφαίνετο· ἐδεδοίκει γὰρ μή τι ἑαυτὸν ἐργάσηται. Ἐπεὶ*

δὲ κατήχθησαν κτὲ. Vitiosum πόνῳ corrigitur a viris doctis, πόρῳ, πόντῳ; πλῷ: haec Hemsterhusii est emendatio: auctorem scripsisse ἐν μὲν τῷ πλῷ indicant seqq. Ἐκεῖ δὲ κατήχθησαν, quae istis respondent.

L. II. c. 14. Habrocomes et Anthia fatis a se invicem separantur, ille hanc quaesitum abit in Ciliciam, haec a praedonibus capitur, dein a Perilao liberatur, qui pugnam inierat cum latronibus eosque excepto duce Hippothoo interfecerat. Perilaus Anthiam secum Tarsum ducit. ὁ δὲ Ἁβροκόμης ᾔει τὴν ἐπὶ Κιλικίας ὁδόν· καὶ οὐ πρὸ πολλοῦ τοῦ ἄντρου τοῦ λῃστρικοῦ (ἐπεπλάνητο γὰρ καὶ αὐτὸς τῆς ἐπ' εὐθὺ ὁδοῦ) συντυγχάνει τῷ Ἱπποθόῳ ὡπλισμένῳ. Ὁ δ' αὐτὸν ἰδὼν — δεῖται κοινωνὸν γενέσθαι τῆς ὁδοῦ. Ἴωμεν οὖν (ait Hippothous) Κιλικίαν μὲν ἀφέντες ἐπὶ Καππαδοκίαν καὶ τὸν ἐκεῖ Πόντον· λέγονται γὰρ οἰκεῖν ἄνδρες εὐδαίμονες. Habrocomes illi assentitur; ἐκείνην μὲν οὖν τὴν ἡμέραν ἐπανελθόντες εἰς τὸ ἄντρον — αὐτοὺς καὶ τὸν ἵππον ἀνελάμβανον. Quanta difficultate haec οὐ πρὸ πολλοῦ τοῦ ἄντρου τοῦ λ. premantur observaverunt interpretes, varioque modo emendare conati sunt, sed satis infeliciter. Quum in huius aetatis scriptoribus nimis canti esse non possimus, eos emendantes semper fere exemplis indicare debemus, qua dicendi ratione quisque utatur: apud Xenophontem οὐ πρὸ πολλοῦ significat *non diu ante*, cf. L. III. c. 2. συνεστησάμην λῃστήριον οὐ πρὸ πολλοῦ τοῦ σε ἰδεῖν: in his igitur corruptio latet. In quem locum autem latro fugere solet metuens ne ab hostibus capiatur? Hippothoum in speluncam iter tetendisse probabile, quae non in publica via, sed in loco ab hominum conspectu remotissimo sita esset: verba autem ἐπεπλ. κτὲ. non de Hippothoo (solent enim latrones viarum

esse periti), sed de Habrocome dicta esse videntur. Quid multa? Ita restituatur locus: *καὶ οὐ πόῤῥω τοῦ ἄντρου τοῦ λῃστρικοῦ (ἀπεπλάνητο γὰρ τῆς ἐπ᾽ εὐθὺ ὁδοῦ) συντυγχάνει τῷ Ἱπποθόῳ ὡπλισμένῳ.* Videmus semel lecto πρὸ reliqua corrupta esse a librariis: noster L. III. c. 3. *οὐκ ἔστι πόῤῥω τοῦ λῃστηρίου.* — In sequentibus transponamus vocem *ἐκεῖ* legentes *ἴωμεν — ἐπὶ Καππ. καὶ τὸν Πόντον λέγονται γὰρ ἐκεῖ κτἑ.*

L. IV. c. 2. Habrocomes cruci adnectitur in rupe ad Nili flumen adiacente; *ὁ θεὸς οἰκτείρει καὶ πνεῦμα ἐξαίφνης ἀνέμου γίνεται καὶ ἐμπίπτει τῷ σταυρῷ. — Ἐμπίπτει δ᾽ ὁ Ἀβροκόμης τῷ ῥεύματι καὶ ἐφέρετο — φερόμενος δ᾽ εἰς τὰς ἐκβολὰς δέχεται τὰς εἰς τὴν θάλασσαν τοῦ Νείλου.* Lege *ἔρχεται* pro *δέχεται.*

L. V. c. 8. Fortunas suas deplorans ille *ἰδού, φησίν, Ἀνθία, ὁ σὸς Ἀβροκόμης ἐργάτης τέχνης πονηρᾶς. — Καὶ εἰ μὲν εἶχόν τιν᾽ ἐλπίδα εὑρήσειν σε καὶ τοῦ λοιποῦ συγκαταβιώσεσθαι, τοῦτο πάντων ἄμεινόν με παρεμυθεῖτο.* Ex *ΠΑΝΤΩΝΑΝΤΩΝΔΕΙΝΩΝ* male lectum *ΠΑΝΤΩΝΑΜΕΙΝΟΝ*, omisso altero *ΑΝΤΩΝ*. L. IV. c. 2. *παρεμυθεῖτο δ᾽ αὐτὸν τῆς τελευτῆς ὅτι κτἑ.*

C. 13. *οἱ δ᾽ ἀναλαβόντες ἑαυτοὺς διαναστάντες εἰς τὸ τῆς Ἴσιδος ἱερὸν εἰσῆλθον. — ΕΑΥΤΟΥCΔΙΑΝΑCΤΑΝΤΕC* lectum pro *ΕΑΥΤΟΥCΚΑΙΑΝΑCΤΑΝΤΕC.*

LONGI PASTORALIA.

(Edidit P. L. Courier. Exemplar Romanum emendatius recudendum curavit G. R. Lud. de Sinner. Paris. 1829.)

L. I. c. 3. fin. Lamon Caprarius in sylva expositum puerum invenit, cui capella mammas praebebat; hunc ad uxorem Myrtalen portat narratque ei πῶς ἠδέσθη καταλιπεῖν ἀποθανούμενον. Δόξαν δὴ κἀκείνῃ τὰ μὲν συνεκτεθέντα κρύπτουσι, τὰ δὲ παιδίον αὐτῶν ἐπονομάζουσι, τῇ δ' αἰγὶ τὴν τροφὴν ἐπιτρέπουσιν· ὡς δ' ἂν καὶ τοὔνομα τοῦ παιδίου ποιμενικὸν δοκοίη, Δάφνιν αὐτὸν ἔγνωσαν καλεῖν. Lege νομίζουσι pro ἐπονομάζουσι: nam in postrema periodi parte de nomine agitur. Cf. c. 6. τῇ γυναικὶ διηγεῖται τὰ ὀφθέντα, δείκνυσι τὰ εὑρεθέντα, παρακελεύεται θυγάτριον νομίζειν, λανθάνουσαν ὡς ἴδιον τρέφειν.

C. 12. In foveam inciderat Daphnis: extrahitur a Chloë, opem ferente bubulco quodam, quo facto αὐτοὶ ἐπανελθόντες ἐπεσκοποῦντο τὴν ποίμνην καὶ τὸ αἰπόλιον· καὶ ἐπεὶ κατέμαθον ἐν κόσμῳ νομῆς καὶ τὰς αἶγας καὶ τὰ πρόβατα ἐσκόπουν μή τι μέρος τοῦ σώματος ὁ Δάφνις ᾕμαξε καταπεσών. Ex *ΝΟΜΗϹΚΑΙ* lege *ΝΕΜΕϹΘΑΙ-ΚΑΙ*. Cf. c. 32. καὶ μετὰ τοῦτ' ἐλθόντες ἐπεσκόπουν τὰς αἶγας καὶ τὰ πρόβατα. Τὰ δὲ πάντα κατέκειτο μήτε νεμόμενα μήτε βληχώμενα κτἑ. Illic scribatur etiam ἐπεσκόπουν.

C. 25. Chloae dormienti adstans Daphnis ita secum loquitur: ἀλλὰ φιλῆσαι μὲν δέδοικα· δάκνει τὸ φίλημα — ὀκνῶ δὲ καὶ μὴ φιλήσας αὐτὴν ἀφυπνίσω. Ὢ λάλων τεττίγων. Οὐκ ἐάσουσιν αὐτὴν καθεύδειν μέγα ἠχοῦντες. Ἀλλὰ

καὶ οἱ τράγοι τοῖς κέρασι παίουσι μαχόμενοι. Pro *παίουσι* legendum videtur *παταγοῦσι*, quoniam requiritur verbum, quod sonum indicet.

L. II. c. 29. *Θαύματι πάντων ἐχομένων καὶ τὸν Πᾶνα ἀνευφημούντων ὤφθη τούτων ἐν τοῖς στοιχείοις ἀμφοτέροις* (id est terra marique!) *θαυμασιώτερα.* E praecedente syllaba *ανα* fluxit *ἀνευφημούντων*, cuius generis errores sexcenties in his scriptoribus a librariis commissi, qui nondum ab editoribus correcti. Vid. L. III. c. 28. *οὐ πρόσθεν ἀπῆλθε πρὶν τὰς Νύμφας εὐφημῆσαι.*

L. III. c. 7. Dryas pastor, qui Chloën expositam invenerat et tanquam filiam educaverat, Daphnidi occurrens: *Χαῖρε, ὦ παῖ,* inquit, *περιεπλέκετο καὶ κατεφίλει καὶ χειρὶ ἦγεν ἔσω λαβόμενος.* Transponatur et legatur *καὶ χειρὸς λαβόμενος ἦγεν ἔσω.*

C. 18. *Ἐκέλευσεν αὐτὸν καθίσαι πλησίον αὐτῆς, ὡς ἔχει, καὶ φιλήματα φιλεῖν οἷα εἰώθει κτέ.* I. Scaliger iam *ὡς εἶχε.*

L. IV. c. 12. *οἷός τ' ἦν ὁ Γνάθων βιάζεσθαι τὰς χεῖρας προσφέρων.* Lege *οἷος ἦν*, id est paratus erat vim inferre. *Οἷός τ' ἦν* et *οἷος ἦν* frequenter confusa.

ACHILLIS TATII ALEXANDRINI DE CLITOPHONTIS ET LEUCIPPES AMORIBUS L. VIII.

(Cf. Edit. Chr. G. Mitscherlich. Biponti 1792.)

L. I. c. 12. *Ὁ δὲ κακοδαίμων Χαρικλῆς, ὑπὸ τοῦ τῆς ἱππείας ταλαντευόμενος κύματος, ἐκ τῆς ἕδρας ἐσφαιρίζετο ποτὲ μὲν ἐπ' οὐρὰν κατολισθαίνων ποτὲ δ' ἐπὶ τράχηλον κυβιστῶν. ὁ δὲ τοῦ κλύδωνος ἐπίεζεν αὐτὸν χειμών. τῶν*

δὲ ῥυτήρων οὐκέτι κρατεῖν δυνάμενος, δοὺς δ' ἑαυτὸν ὅμως τῷ τοῦ δρόμου πνεύματι, τῆς τύχης ἦν. Certum quid definiri nequit in huius generis scriptoribus, utrum *ῥεύματι* an aliud quid scribendum, sed sine dubio scribendum *δοὺς δ' ἑαυτὸν τῷ τοῦ δρόμου πνεύματι ὅλος τῆς τύχης ἦν.* Alciphron L. I. Ep. XIII. *καὶ ὁ ποτὲ γελῶν τοὺς ἐκ τρυφῆς πάθει δουλεύοντας, ὅλος εἰμὶ τοῦ πάθους.*

L. II. c. 19. Leucippes thalamum auctor describit: *εἶχε δ' ὁ θάλαμος αὐτῆς οὕτως. χωρίον ἦν μέγα τέτταρα οἰκήματα ἔχον, δύο μὲν ἐπὶ δεξιᾷ, δύο δ' ἐπὶ θατέρᾳ· μέσος δὲ διεῖργε στενωπὸς ὁδὸς ἐπὶ τὰ οἰκήματα· θύρα δ' ἐν ἀρχῇ τοῦ στενωποῦ μία ἐνεκλείετο.* Legendum *ἐπέκειτο* pro *ἐνεκλείετο*: sensus est: "ianua una in limine semitae aderat." In sequentibus narrat auctor *ἡ μήτηρ ἔκλειεν ἔνδοθεν τὴν ἐπὶ τοῦ στενωποῦ θύραν· ἔξωθεν δέ τις ἕτερος ἀπέκλειε.*

Ibid. c. 23. *ἔτυχεν — ὄνειρος αὐτὴν πατάξας.* Lege *ταράξας.* Mox *ταραχθεῖσα οὖν ὑπὸ δείματος.*

L. II. c. 34. *ἐξαίφνης δὲ σῦς τῆς ὕλης προπηδᾷ καὶ τὸ μειράκιον ἐδίωκεν καὶ ὁ σῦς ἐπιστρέφει τὴν γένυν καὶ ἀντιπρόσωπος ἐχώρει δρόμῳ. καὶ τὸ μειράκιον οὐκ ἐξετρέπετο βοῶντος ἐμοῦ — ἕλκε τὸν ἵππον μετενέγκας τὰς ἡνίας, πονηρὸν τὸ θηρίον· ἀλλάξας δ' ὁ σῦς σπουδῆς ἔτρεχεν ὡς ἐπ' αὐτόν.* Legendum *ἀναΐξας δ' ὁ σῦς σπουδῇ ἔτρεχεν ὡς ἐπ' αὐτόν.*

L. V. c. 3. *Ὁ γὰρ Χαιρέας πρὸ πολλοῦ τῆς Λευκίππης ἐλάνθανεν ἐρῶν — εἰδὼς ἀμηχανίαν τοῦ τυχεῖν συντίθησιν ἐπιβουλήν, λῃστῶν ὁμοτεχνῶν συγκροτήσας, ἅτε θαλάσσιος ὢν ἄνθρωπος κτἑ.* Scaliger *λῃστήριον* pro *λῃστῶν.*

Ibid. c. 6. — *ἤλθομεν εἰς τὴν Φάρον. Πρῶτον μὲν οὖν ἡμᾶς ὁ Χαιρέας ἐπὶ τὸν πύργον ἄγει, καὶ δείκνυσι*

τὴν κατασκευὴν κάτωθεν θαυμασίαν τινὰ καὶ παράλογον. ὄρος ἦν ἐν μέσῃ τῇ θαλάσσῃ κείμενον ψαῦον αὐτῶν τῶν νεφῶν. ὑπέῤῥει δ' ὕδωρ — τὸ δ' ἐπὶ θαλάσσης εἱστήκει κρεμάμενον. ἐς δὲ τὴν τοῦ ὄρους ἀκρόπολιν ὁ τῶν νεῶν κυβερνήτης ἀνέτελλεν ἄλλος. Vertunt "In turri, summo in monte aedificata, ignis elucet, quae quasi gubernator alius navigantes noctu dirigat." Certe hic sensus est: nec Scaligerum fugit quid esset legendum; ille ἥλιος pro ἄλλος vult; recte ἥλιος, sed ἄλλος retinendum. Achilles Tatius enim scripsit ὁ τῶν νεῶν κυβερνήτης ἀνέτελλεν ἄλλος ἥλιος: ita enim noster v. c. c. 2. huius l. ἦν δέ πως — ἱερομηνία τοῦ μεγάλου θεοῦ. ἦν δὲ καὶ πυρὸς δᾳδουχία — ἑσπέρα μὲν γὰρ ἦν καὶ ὁ ἥλιος κατεδύετο καὶ νὺξ ἦν οὐδαμοῦ· ἀλλ' ἄλλος ἀνέτελλεν ἥλιος. Scaligeri egregia quoque emendatio est πᾶς legentis pro παῖς in his c. 5. L. IV. ἔστι δὲ τοῖς ἐλέφασι σιτίον — ἡ πόα. ἅτ' οὖν ἐκ πρώτης γονῆς αὐτῷ τραφεὶς, ὀδωδέν τε πᾶς κατὰ τὴν τροφὴν κτέ.

Ibid. c. 20. Οἴμοι, πῶς ἀπολογήσομαι, Σάτυρε; ἔφην — Λευκίππη κατέγνωκεν ἡμῶν. ἀλλὰ πῶς ἐσώθη, φράσον σύ· — Αὐτή σοι - φράσει, τὸ δὲ νῦν ὁ Σάτυρος ἔφη ἀντιγράψαι σε δεῖ καὶ ἱλάσασθαι τὴν κόρην. κἀγὼ γὰρ διωμοσάμην, ὡς ἄκων αὐτὴν (Melitten) ἔγημας. Εἶπας γὰρ, ἔφην, ὅτι καὶ ἔγημα· ἀπολώλεκάς με τῆς εὐηθείας· ὅλη γὰρ ἡ πόλις οὐκ οἶδε τὸν γάμον. ἀλλ' οὐκ ἔγημα, μὰ τὸν Ἡρακλέα, Σάτυρε, καὶ τὴν παροῦσαν τύχην. Haec ita distinguenda: ἀπολώλεκάς με. Τῆς εὐηθείας, ὅλη γὰρ ἡ πόλις οὐκ οἶδε τὸν γάμον; quae sunt Satyri. His respondet Clitophon: ἀλλ' οὐκ ἔγημα κτέ.

L. VIII. Postquam Clitophon Leucippes suaque fata narraverat huius patri Sostrato, hic ἐπεδάκρυεν, εἴ ποτε

τὸ κατὰ Λευκίππην ἐγεγόνει δρᾶμα. καὶ ἐπεὶ ἐπαυσάμην· τὰ μὲν ἡμέτερα, εἶπον, ἠκούσατε κτέ. Lege ὁπότε κατὰ Λευκίππην ἐγεγόνειν· καὶ ἐπεὶ ἐπαυσάμην: librarium addidisse δρᾶμα manifestum et reliqua corrupisse et ἐγεγόνειν, quum non intelligeret quid significaret κατὰ Λευκίππην ἐγεγόνειν, id est, quandō narrando veniebam ad Leucippen. Cf. c. 15. Ἡ Λευκίππη — τὰ συμβάντα μεθ' ἡδονῆς διηγεῖτο. ἐπεὶ δὲ κατὰ τὴν Φάρον ἐγεγόνει καὶ τοὺς λῃστάς, λέγω πρὸς αὐτὴν κτέ.

CHARITONIS APHRODISIENSIS DE CHAEREA ET CALLIRRHOË NARRATIONUM AMATORIARUM L. VIII.

(Cf. Edit. I. Ph. D'Orville. Amst. 1750.)

L. I. c. 3. Chaereas ὑφαίμοις τοῖς ὀφθαλμοῖς καὶ παχεῖ τῷ φθέγματι Callirrhoën allocutus est. Lege τραχεῖ pro παχεῖ, quae sexcenties a librariis confunduntur.

Ibid. Callirrhoë ταῦτ' εἰποῦσα ἀπεστράφη καὶ συγκαλυψαμένη δακρύων ἀφῆκε πηγάς. Lege ἐγκαλυψαμένη, uti recte scriptum huius libri c. I. p. 3. ἡ δὲ παρθένος — ἔρριπτο ἐπὶ τῆς κοίτης ἐγκεκαλυμμένη καὶ κλαίουσα.

C. 4. Chaereae uxorem ejus moechari dixerat aliquis, seque paratum esse illi adulterum sistere ἐπ' αὐτοφώρῳ, quo magis falso huic crimini fidem haberet. Chaereas, his auditis, δυστυχῆ μέν, εἶπεν, αἰτῶ παρὰ σοῦ χάριν, αὐτόπτης γενέσθαι τῶν ἡμῶν κακῶν. ὅ μὲν δὲ δεῖξαι, ὅπως εὐλογώτερον ἐμαυτὸν ἀνέλω. Lege τῶν ἡμετέρων κακῶν, ὅμως δὲ δεῖξαι κτέ. D'Orvillius etiam ὅμως legit.

Ibid. κόμην εἶχε λιπαρὰν καὶ βοστρύχους μύρων ἀπο-

πυκνοῦντας, — *δακτύλιοι βαθεῖς ὑπέστιλβον*. Lege *βαρεῖς*, quod dici quoque posse adnotat D'Orvillius. Nesciens tamen *δακτύλιοι βαθεῖς* nihil significare, vertit "bene saturi coloris," sed nullum exemplum affert, unde pateat *βαθὺς*, nil addito, hoc significare.

C. 9. *Ἐλέησον, ὅστις ποτ' εἶ*, Callirrhoë dicebat viva in sepulchro iacens, quod a latronibus diripiebatur, *τὴν οὐκ ἐλεηθεῖσαν ὑπ' ἀνδρὸς οὐδὲ γονέων μὴ ἀποκτείνῃς ἣν σέσωκας μᾶλλον. ἐθάρρησεν ὁ Θήρων καὶ — ἐνόησε τὴν ἀλήθειαν*. Distingue *σέσωκας. μᾶλλον ἐθάρσησεν κτἑ.*

L. II. c. 1. *Μίαν ταύτην ἐγὼ νύκτα μετὰ τὸν θάνατον τῆς ἀθλίας ἡδέως κεκοίμημαι· καὶ γὰρ εἶδον αὐτὴν ἐναργῶς μείζονά τε καὶ κρείττονα γεγενημένην καὶ ὡς ὕπαρ μοι συνῆν*. Legendum *καὶ γὰρ εἶδον αὐτὴν ὄναρ ἐναργῶς μείζονα κτἑ.* Quod excidisse indicat sequens *ὕπαρ*.

C. 4. *Οὐκ αἰσχύνῃ, Διονύσιε*, — *ἅπαξ ἰδὼν ἐρᾷς καὶ ταῦτα πενθῶν πρὶν ἀφοσιώσασθαι τοὺς τῆς ἀθλίας δαίμονας. τούτου τε ἧκες εἰς ἀγρὸν, ἵνα μελανείμων γάμους θύσῃς καὶ γάμους δούλους;* Lege *τούτου γ' ἕνεκεν ἧκες κτἑ.* Excidit *ἕνεκεν* propter similitudinem litterarum in voce sequente.

C. 5. *Ἀκούσασα μὲν οὖν ἐβάδιζεν ἡ Καλλιῤῥόη, θαῤῥοῦσα δ' ὅμως διὰ τὸ ἐν ἱερῷ γενήσεσθαι τὴν ὁμιλίαν αὐτοῖς.* Lege *ἄκουσα* pro *ἀκούσασα*, quod numquam opponitur *τῷ θαῤῥοῦσα*.

C. 8. Callirrhoën osculandi occasionem nactus erat Dionysius Plangonis operâ; cui ille *Τὰ μὲν πρῶτά σοι, ἔφη, ἐστρατήγηται καὶ χάριν ἔχω τοῦ φιλήματος κτἑ.* Lege *εὖ ἐστρατήγηται.*

L. III. c. 3. p. 47. — *οἱ μὲν οὖν ἄλλοι πάντες ἔθνησκον ὑπὸ δίψης. Θήρων δὲ καὶ ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ παν-*

οὖρνος ἦν. ὑποκλέπτων γὰρ τοῦ ποτοῦ καὶ τοὺς συλλη-στὰς ἐλῄστευεν. ᾤετο μὲν οὖν τεχνικόν τι πεποιηκέναι. τὸ δ' ὅρα τῆς προνοίας ὀργὴν βασάνοις καὶ σταυρῷ τὸν ἄνδρα τηρούσης. Legendum τὸ δ' ἄρα τῆς προνοίας ἔργον ἦν βασ. κτέ.

L. V. c. 6. *Μιθριδάτης γὰρ — ξένος ἐμὸς καὶ φίλος, ἐπίβουλος ἐμοὶ καὶ οὐκ εἰς ἄλλο τι τῶν κτημάτων, ἀλλ' εἰς — τὴν γυναῖκα. ὃν ἐχρῆν, εἰ καί τις ἄλλος ἐπλημμέ-λησεν εἰς ἡμᾶς, αὐτὸν βοηθεῖν, εἰ καὶ δι' ἐμὲ τὸν φίλον, ἀλλὰ διὰ σὲ τὸν βασιλέα.* Lege *εἰ μὴ δι' ἐμὲ κτέ.*

L. VI. c. 9. Persarum regi Callirrhoës amore capto Aegyptios defecisse quum nuntiatum esset, eosque Syriam et Phoeniciam vastare, cum exercitu iis obviam ire statuit, reginam secum ducit; *Καλλιῤῥόην δ' ἡ βασιλὶς οὐκ ἤθελεν ἐπάγεσθαι. διὰ τοῦτ' οὐδ' ἐμνημόνευσεν αὐτῆς πρὸς τὸν βασιλέα. — ἀλλὰ καὶ Ἀρταξάτης κατεσιώπησεν — ἐδόκει δέ μοι καὶ χάριν ἔχειν τῷ πολέμῳ διακόψαντι τὴν βασιλέως ἐπιθυμίαν ὑπ' ἀργίας τρεφομένην.* Absurdum *μοι*, quod significaret, Charitoni Aphrodisiensi: lege *μόνον οὐ χάριν ἔχειν*: quod scribendum esse sensus docet.

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLAE TRES

AD T. POMPONIUM ATTICUM.

EMENDAVIT ET COMMENTARIO INSTRUXIT

I. C. G. BOOT.

PRAEFATIO.

Multi sunt anni, ex quo coepi novam parare editionem omnium epistolarum, quae supersunt e frequenti Ciceronis commercio cum illo amico, quocum omnia sua aperte communicare solebat. Atque illud consilium, multis aliis negotiis et literariis et domesticis saepe intermissum, nunquam tamen neglectum aut abiectum, ita perfeci, ut diuturni laboris finem quodammodo iam prospicere possim. Absolvi enim commentarium in omnes epistolas, et nunc versor in recensendis et expoliendis iis, quae scripseram. Quod ipsum tamen quam non sit facile, non est quod dicam. Interim quum ad hoc Miscellaneorum volumen aliquid deesse videretur, si externa specie superiori non impar futurum esset, ex conditis fructibus hic aliquid proferre decrevi, unde alii, quid de eorum bonitate sperandum esset, coniectura assequerentur.

Sciant autem casu magis, quam certo consilio factum esse, ut has tres epistolas, non alias quasvis, e magno corpore seligerem.

In epistolis Ciceronis recensendis omnes diligentia longe superavit Orellius in Vol. III editionis secundae omnium Operum. Quare hunc ducem sequor et, si quando eum relinquo, quid ab eo scriptum sit, in inferiori margine appono.

LIBRI I. Epist. 13.

(scripta A. U. 693.)

1. Accepi tuas tres iam epistolas, unam a M. Cornelio, quam Tribus Tabernis ut opinor ei dedisti; alteram, quam mihi Canusinus tuus hospes reddidit; tertiam, quam ut scribis ancora soluta de phaselo dedisti. Quae fuerunt omnes, † rhetorum

1. *tris* — 5. *dedisti: quae fuerunt omnes † rhetorum. Pure*

COMMENTARIUS.

1. *Accepi tuas — epistolas.* Post longiorem commorationem in Urbe Atticus anno 692 exeunte (cf. subscriptio epist. praec.) discesserat et mense Ianuario in Graeciam rediit. Brundisio, quum mare traiecturus erat, epistolam Ciceroni misit et bis in itinere dederat, primum *Tribus Tabernis*, quae erat statio in via Appia inter Ariciam et forum Appi, nota e narratione itineris Paulini, Act. Apost. 28, 15 et ex Itinerario Antonini; deinde *Canusio* in Apulia, ubi Horatium poetam quoque devertisse scimus e festiva illa itineris Brundisini descriptione, Sat. I, 5, 91.

4. *ancora soluta de phaselo.* Cicero verbis *ut scribis* indi-

pure loquùntur, cum humanitatis sparsae sale, tum insignes amoris notis. Quibus epistolis sum equidem abs te lacessitus ad scribendum, sed idcirco sum tardior, quod non invenio fidelem ta-

---

cat esse haec Attici et tacite notat dictionis insolentiam. Nam ancorae *tolluntur*, funes *solvuntur*. Error tribuendus videtur festinationi scribentis, non ortus ex ignoratione sermonis nautici, quod Ciceroni aliquando accidit. cf. Att. XIII, 21, 2. *Phaselus*, quod erat fictile navigium Aegyptiorum, in oratione soluta raro memoratur.

5. *Quae fuerunt omnes* † *rhetorum pure loquuntur*, cet. Ernestus illa nimis abrupta iudicabat; potius inepta dixisset. *Pure loqui* autem exigua Attico laus erat. Aliquando putabam non male me sic correxisse: *quae fuerunt omnes*, *ut rhetorum more loquamur*, *cum humanitatis sparsae sale*, *tum insignes amoris notis*, ut illa ipsa laudatio morem referret rhetoris discipulum laudantis. Postea vidi Madvigium in Schneidewini Philologo II, 1. p. 142 corrigentem: *ut rhetorum pueri loquuntur;* quod mutationis lenitate se commendat, neque tamen verum est. Nam nemo vel ῥητόρων παῖδας, vel eos qui rhetoris disciplina utuntur, *rhetorum pueros*, sed *filios* aut *discipulos* vocat. Utrique autem coniecturae hoc maxime adversatur, quod illa *cum humanitatis* cet. minime rhetorem sapiunt. Quare verba nunc ita legam: *quae fuerunt omisso rhetorum fuco eloquentes*, *cum* — *tum* —. Epistolas in suo genere perfectas primum universe laudat, tum duas earum virtutes separatim persequitur.

8. *sed idcirco sum tardior*, cet. De eadem re queritur Fam. I, 7, 1. IV, 4, 1. Att. XV, 4, 4.

bellarium. Quotus enim quisque est, qui epistolam paullo graviorem ferre possit, nisi eam pellectione relevarit? Accedit eo, quod mihi non † est, ut

---

12. *non perinde est*

---

10. *Quotus enim quisque — relevarit?* Iocatur in verbis *graviorem ferre* et *relevarit.* Similia ex Aristophane et Luciano collegit Fritzschius ad Aristoph. Thesmoph. p. 588. — *Pellectionem*, ut *pellego* pro *perlego*, quod fortasse ferendum apud Plautum Pers. IV, 3, certe *pellucendi* analogia defenditur, de plebe hominibus ut tabellariis in ore fuisse suspicor. Ciceronem hoc vocabulo nunc usum esse, non vero scribendum esse *per lectionem* et optimi libri Mss. et observatio consuetudinis Tullianae arguunt.

12. *Accedit eo, quod mihi non † est, ut quisque — proficiscitur.* Haec verba ita praebent libri scripti, ut Med. omittat *ut*, in codd. Malaspinae et cod. Hispano, mihi collato, *est* desideretur. Manifestum est aliquid excidisse, sed e supplementis, quae vidi, nullum probo. Nam quod vett. editt. habent: — *quod mihi non est notum, ut — proficischtur*, a Ciceronis mente alienum est minimeque cohaeret cum sententia sequenti, qua haec explicantur. Nec minus errat Orellius putans hoc dicere scriptorem, *non perinde* sibi *esse*, qui proficiscatur, utrum homo fidelis an perfidus ac levis. Nam de hac re satis dixerat; nunc aliud addit, quo suam in scribendo tarditatem excuset. Nesciebat enim, ubi Atticus moraretur, in Epiro an apud Antonium an Sicyone. cf. ep. 16, 16. Atque hoc idem valet ad refutandam Muetzneri coniecturam, alio etiam nomine reiiciendam: *Accedit eo, quod mihi non sextus quisque in Epirum proficiscitur.* Equidem nihil aptius invenio hac cor-

quisque in Epirum proficiscitur. Ego enim te arbitror caesis apud Amaltheam tuam victimis statim esse ad Sicyonem oppugnandam profectum, neque tamen id ipsum certum habeo, quando ad Antonium proficiscare aut quid in Epiro temporis ponas. Ita neque Achaicis hominibus neque Epiroticis paullo liberiores litteras committere audeo. 2. Sunt autem post discessum a me tuum

15. *oppugnandum*

---

rectione: — *quod mihi non bonus est, ut quisque in E. proficiscitur* ɔ: quoties aliquis in E. proficiscitur, mihi non utilis est. De hoc usu v. *bonus* cf. Kritz. ad Sall. Iug. 17, 5 et 82, 2.

14. *caesis apud Amaltheam tuam victimis.* Diis faciebant imperatores ad bellum profecturi. Lepide hoc transfert in Atticum, qui constituerat Sicyonem oppugnare ɔ: Sicyonem petere, ut nummos a debitoribus exigeret. cf. ep. 19, 9 h. l. — *Amaltheum* (ep. 16, 15 et 18 h. l. Leg. II, 3, 7) erat nomen praedii Epirotici ad flumen Thyamin, sic dicti ab antiquo sacello Amaltheae Nymphae (cf. II, 20, 2), quod Atticus epigrammatis Graecis et anaglyphis mythicis exornavit. Cf. Orell. Onom. Tull. p. 33.

15. *ad Sicyonem oppugnandam.* Ita scripsi cum Lambino. Male ceteri editores propagarunt errorem codd. *oppugnandum.* Deberet saltem esse *ad oppugnandum Sicyonem;* quamquam ne hoc quidem Tullianum esse demonstravit Madvigius Op. Acad. I. p. 380 seqq. cff. quoque Reisigii Schol. §. 441. Nam de nominis genere nulla dubitatio est. Ut Graeci constanter τὴν Σικυῶνα vocant, sic feminini generis adiectivum addunt Ovidius in Ibide 319 et Statius Theb. IV, 50.

res dignae litteris nostris, sed non committendae eiusmodi periculo, ut aut interire aut aperiri aut intercipi possint. Primum igitur scito primum me non esse rogatum sententiam praepositumque esse nobis pacificatorem Allobrogum, idque admur-

---

23. *Primum* cet. Saepe scriptores in enumerando post primum membrum orationis formam mutant, ut a multis est observatum, e quibus unum laudo Madvigium ad Cic. Fin. p. 36, cuius animadversiones l. c. p. 7, 86, 465 cavebunt, ne repetitio eiusdem vocabuli (*primum* — *primum*), praesertim diversa vi positi, quemquam offendat. De quo loco etiam consulendus I. F. Reitzius in Apologia, libro de Ambiguis, mediis et contrariis praemissa, p. 18 sq.

23. *primum me non esse rogatum sententiam.* Loquitur de eo, quod factum est in senatu a M. Pisone, qui Kal. Ianuariis cum M. Messala consulatum inierat. Recte Casaubonus hinc suspicatur superiore anno, qui erat post ipsius consulatum primus, Ciceronem primum sententiam dixisse. De ordine, quo consul sententias rogabat, praecipue legendi sunt Cicero Att. XII, 21, 1. Phil. V, 13 et Gellius N. A. IV, 10. E recentioribus cf. Beckeri Antiq. Rom. II, 2. p. 425 seqq.

25. *pacificatorem Allobrogum.* C. Pisonem dicit, de quo diximus ad ep. 1, 2. Non sine acerbitate hunc, qui in Gallia aliquem motum composuerat, *pacificatorem Allobrogum* nominat, quasi ob tantum de re publica meritum non indignus esset, qui sibi patriae conservatori praeponeretur. Nam quamquam dolorem iniuriae acceptae dissimulat, facile tamen apparet animo eum commoto fuisse, quum haec scriberet.

25. *admurmurante senatu* ɔ: improbante senatu suumque iudicium rumore indicante. *Admurmurare* plerum-

mirante senatu neque me invito esse factum. Sum enim et ab observando homine perverso liber et ad dignitatem in republica retinendam contra illius voluntatem solutus, et ille secundus in dicendo locus habet auctoritatem paene principis et voluntatem non nimis devinctam beneficio consulis. Tertius est Catulus, quartus, si etiam hoc quaeris, Hortensius. Consul autem ipse parvo animo et pravo tamen, cavillator genere illo moroso, quod

34. *pravo, tantum*

---

que in malam partem ponitur, *acclamare* in bonam; sed etiam contrarium obtinet, ut Q. fr. II, 1, 2 et 3, ubi infesta *acclamatio* opponitur *secundis admurmurationibus*. Conferri potest v. ἐπιρροθεῖν, quod de clamoribus tam adversis quam secundis dicitur.

26. *neque me invito* ɔ: et tamen me non invito. Cf. de hoc usu particulae *neque* Att. II, 1, 4. 24, 2. VI, 9, 1. X, 2, 1. Ochsnerus ad Cic. Ecl. p. 58. Brem. ad Corn. Ages. 1, 4.

33. *parvo animo et pravo tamen.* Non satis causae video, cur relinquatur haec cod. Medicei eiusque familiae scriptura. Nam qui parvo animo sunt, saepe sunt homines boni; Piso vero coniungebat cum *μικροψυχίᾳ* animi perversitatem. Nullius libri certa fide (nam quid in XYZ fuerit, non constat) plerique minore distinctione post *pravo* posita scripserunt *tantum cavillator* cet. Si e codice Ms. esset, probarem.

34. *cavillator genere illo moroso.* *Cavillatio* est genus quoddam festivitatis, aequabiliter per totum sermonem fusum, diversum a *dicacitate*, quae cernitur in dictis brevibus et peracutis, in iaciendo mittendoque ridiculo. Vid. Orat. II, 54, 218. Orat. 26 cum Goelleri

etiam sine dicacitate ridetur, facie magis quam facetiis ridiculus, nihil agens cum re publica, seiunctus ab optimatibus, a quo nihil speres boni rei publicae, quia non vult, nihil mali, quia non audet. Eius autem collega et in me perhonori-

38. *nihil* [*metuas*] *mali*

---

adnot. Cicero h. l. tribuit M. Pisoni — nam de eo agit — cavillationem, sed minus urbanam, difficilem et stomachosam, denique ex illo genere, quod improbatur Orat. II, 62, 251. Similiter fere de eo iudicat in Bruto 67, 236: (M. Piso) *habuit a natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limaverat, quod erat in reprehendendis verbis versutum et sollers, sed saepe stomachosum, nonnumquam frigidum, interdum etiam facetum;* ubi pro *etiam tamen* scribendum videtur. — *Mocosum*, quod Salmasius a Gr. *μῶκος*, *sannio*, derivatum (cf. Franc. *moqueur*) Ciceroni h. l. et Quinctiliano I. O. XI, 3, 183 obtrudere volebat, Latinis inauditum est.

36. *nihil agens cum republica.* Insolentia huius dicti offendit interpretes. Igitur Malaspina malebat *in re p.*, quod etiam in libris scriptis invenitur, sed manifesto falsum est; Muretus *cum populo.* Neque dubito, quin recte dicatur *nihil agere e re p.* Sed bene observat Matthiaeus ad Cic. Cat. III, 6, 14, qui a consiliis de rep. se ipse removet, dici nihil agentem cum rep., ut res publica per *προςωποποιΐαν* ipsa consilia inire fingatur.

38. *nihil mali.* Abieci his interpositum *metuas*, quod glossam sapit. Nam omnes codices noti, quibus nunc addo duos Hispanos, dant *nihil speres mali.* Verbum e priori membro eliciendum male repetierunt librarii; quod sententiae convenit contra codices adiecerunt primi editores.

ficus et partium studiosus ac defensor bonarum. Qui nunc leviter inter se dissident; sed vereor, ne hoc, quod infectum est, serpat longius. 3. Credo enim te audisse, cum apud Caesarem pro populo fieret, venisse eo muliebri vestitu virum, idque sacrificium cum virgines instaurassent, mentionem

---

41. *Quin nunc* — 41. *dissident.* 3. *Sed*

---

41. *Qui nunc.* Med. a prima manu habebat *quin immo*, quod non Tullianum esse, sed serioris aetatis, quae delectaretur similium verborum coacervatione observat Handius Tursell. III. p. 233. Atque h. l. ne *quin nunc* quidem ferri posse, quum in his verbis nulla gradatio sit, monuit Wesenbergius Emend. p. 123, quem etiam in verbis distinguendis sequor. E cod. Hisp. mihi affertur *qui nec*, quod non longe a vero abest.

41. *sed vereor, ne hoc, quod infectum est, serpat longius.* Perperam haec vulgo referuntur ad sacra Bonae Deae violata. Immo opponuntur iis, quae praecedunt neque ab iis divelli possunt. Cicero itaque dicit se vereri, ne discidium illud vel dissensio inter consules causa Clodiana ingravescat. Verebatur autem propterea quod exitum illius certaminis reipublicae perniciosum animo prospiciebat, id quod mox plane declarat.

43. *apud Caesarem.* Vix recte abest praenomen *C.*, quod sane facile a librariis omitti potuit.

44. *idque sacrificium cum virgines instaurassent.* Cum sacra polluta essent, denuo erant facienda; qua in re *instaurare* est verbum legitimum. Cf. Q. fr. II, 6, 4. Liv. V, 19 in. *Virgines* autem sunt *Vestales*, quae aliquoties ἁπλῶς ita vocantur. Cf. Cic. Cat. III, 4, 9.

45. *mentionem — factam.* Mentionem alicuius rei in se-

a Q. Cornificio in senatu factam — is fuit princeps, ne tu forte aliquem nostrum putes —; postea rem ex senatus consulto ad pontifices relatam idque ab iis nefas esse decretum; deinde ex senatus consulto consules rogationem promulgasse; uxori Caesarem nuntium remisisse. In hac causa Piso amicitia P. Clodii ductus operam dat, ut ea rogatio, quam ipse fert et fert ex senatus consulto et de religione, antiquetur. Messala vehementer adhuc agit severe. Boni viri precibus Clodii removentur a causa, operae comparantur,

---

natu facere omnibus senatoribus fuit permissum; *referre ad senatum* ei tantum magistratui, qui senatum habebat. — Q. Cornificius, qui in annum 691 consulatum petierat (vid. ep. 1, 1), videtur fuisse praetorius, ut Cicero *aliquem nostrum* dicat aliquem e consularibus.

47. *ne tu — putes* ɔ: hoc propterea dico, ne tu — putes. De quo elliptico dicendi genere monuit Madv. ad Cic. Fin. II. 24, 77.

48. *ad pontifices.* Collegium pontificum iudicabat de omnibus causis, quae ad sacra et religionem pertinebant. Ineptum additamentum cod. Z et Med. *ad virgines atque pontifices*, a Malaspina aliisque reiectum, infirmo argumento frustra defendit Meutznerus in Diar. Antiq. anni 1837, p. 433.

50. *rogationem promulgasse* "ut iudicium [extraordinarium] de pollutis sacris constitueretur. Cf. ep. seq." *Corradus.*

51. *uxori Caesarem nuntium remisisse.* Cf. ep. 12, 3. Plutarch. in Cic. 28, in Caes. 10.

55. *Boni viri et optimus quisque* saepe dicuntur optimates, publicae salutis studiosi et populari levitati ad-

nosmet ipsi, qui Lycurgei a principio fuissemus, quotidie demitigamur; instat et urget Cato. Quid multa? Vereor, ne haec neglecta a bonis defensa ab improbis magnorum rei publicae malorum causa sit. 4. Tuus autem ille amicus — scin quem dicam? — de quo tu ad me scripsisti, postea quam

---

61. *causa sint*

---

versantes, οἱ ἄριστοι. Cf. Beierus ad Cic. Off. II, 12, 43.

57. *Lycurgei* ɔ: in oppugnando homine improbo acres, qualis fuit Lycurgus, orator Atticus, quem Cicero in Bruto 34, 130 invidiosius *accusationem factitasse* scribit, Diodorus autem XVI, 88 πικρότατον κατήγορον appellat. Cf. praeter Dion. Halic. et Plutarchum (p. 841 D), quos citavit Bosius, Ammianum XXII, 9. XXX, 8. — In verbis *qui* — *fuissemus* cogitatione addas: *si Clodius statim reus factus esset* aut aliquid eiusmodi.

59. *Vereor, ne haec* — *causa sit.* Plerique *sint* ex antiqua correctione. *Sit*, non tantum in Med., sed a Lamb. in Z repertum, defendit Wesenbergius, Emend. p. 75 numeri quadam attractione ad proximum praedicatum; sed quod affert exemplum (II, 6, 1 γεωγραφικά — *magnum opus est*) rem non conficit. Fortasse melius: *vereor, ne haec res, neglecta — causa sit.*

61. *Tuus* — *ille amicus* cet. Cum superiores interpretes his verbis Cn. Pompeium indicari arbitrarentur, exstitit Tunstallus, qui in Epist. ad Middlet. p. 36 seqq. speciosis argumentis haec ad Hortensium spectare contenderet, et in suam sententiam perduxit Ernestum et Garatonium ad Plancianam 34, 85. Sed Hortensium egregie liberavit ab hac calumnia L. C. Luzacius in disp. docta de Q. Hortensio orat. p. 44—50,

non auderet reprehendere, laudare coepisse, nos ut ostendit admodum diligit, amplectitur, amat, aperte laudat, occulte, sed ita ut perspicuum sit, invidet. Nihil come, nihil simplex, nihil ἐν τοῖς πολιτικοῖς honestum, nihil illustre, nihil forte, nihil liberum. Sed haec ad te scribam alias subtilius; nam neque adhuc mihi satis nota sunt et huic terrae filio nescio cui committere epistolam tantis de rebus non audeo. 5. Provincias praetores nondum sortiti sunt. Res eodem est loci, quo reliquisti. Τοποθεσίαν, quam postulas, Miseni et Puteolorum includam orationi meae. A. d. III

---

post quem Orellius in Onom. Tull. p. 471 et Abekenus op. l. p. 51 ad Pompeium redierunt.

63. *reprehendere*, res a Cicerone consule gestas, ut apparet ex epist. seq. § 1—3. Nullus liber Ms. favet Faerno ante hoc verbum *nos* scribenti.

69. *neque adhuc mihi satis nota sunt.* Pompeius enim vixdum ex Asia in urbem redierat, neque de eo, quod acturus erat, certum affirmari poterat.

70. *terrae filio.* Sic appellantur homines obscuri. Cf. Cic. Fam. VII, 9, 3. Pers. Sat. VI, 56 seqq. Interpretis vicem praestat Tertullianus Apolog. 10: *terrae filios vulgus vocat, quorum genus incertum est*, unde profecit Minucius Felix in Octavio, 22, ubi scribit: *ignobiles et ignotos terrae filios nominamus.*

72. *Res eodem est loci.* Adverbia *eo* et *eodem* semper motum indicant, ut contra Handium docuit F. Haase in Diar. Antiq. 1838, p. 268. Sed *eo loci* (Cic. Sest. 31, 68) et *eodem loci* ponitur de eo, quod est in loco. Vid. Handii Turs. II, p. 410 et 421 et Haasii adnot. 534 ad Reisigii Scholas.

74. *Orationi meae.* Quam dicat orationem, non liquet; in

Non. Decembr. mendose fuisse animadverteram. Quae laudas ex orationibus, mihi crede, valde mihi placebant, sed non audebam antea dicere; nunc vero, quod a te probata sunt, multo mi ἀττικώτερα videntur. In illam orationem Metellinam addidi quaedam. Liber tibi mittetur, quoniam te amor nostri φιλορήτορα reddidit. 6. Novi tibi quidnam scribam? quid? Etiam. Messala consul

---

iis, quae supersunt, frustra quaeras. At suavem Arpini descriptionem inclusit exordiis lib. I et II de Legibus.

74. *A. d. III Non. Dec.* — *animadverteram* ɔ: Errorem in tempore constituendo a me in quadam oratione commissum ipse animadverteram, antequam tu de eo monueras.

79. *In illam orationem M. addidi quaedam.* Orationem habuerat mense Ianuario superioris anni contra concionem Q. Metelli Nepotis trib. pl., a quo consulatu abiens pro more verba ad populum facere fuerat prohibitus. Eius orationis fragmenta sunt in edit. Orell. IV, 2, p. 455 sq. — Forma *Metellina* immerito displicebat Spaldingio. Eam defendunt Reisigius in Scholis, p. 166 sq. et C. F. Hermannus in Epim. Vindic. Brutinarum, p. 25. — Similis constructionis exemplum dabit Cicero in ep. 53, lib. XII ad Att. *Eas in eundem fasciculum velim addas*. Cff. intt. ad Liv. IV, 25, 13.

81. *Novi tibi quidnam scribam? quid? Etiam*. Formulam sermonis familiaris exemplis Tullianis illustravit Manutius, Att. II, 6 extr. II, 19, 5. VII, 3, 12. Q. fr. III, 1, 24. Sed nusquam ponitur *quidnam*, quod Ernestus hic stare posse negat, quoniam *etiam*, quod affirmantis est, illi interrogationi non conveniat. Propterea Orellius h. l. adscripsit: "Fort. *quid iam*." Sed non opus est correctione, modo teneas *quidnam*

Antronianam domum emit HS XXXVII. Quid id ad me? inquies. Tantum quod ea emptione et nos bene emisse iudicati sumus et homines intelligere cooperunt licere amicorum facultatibus in

83. CXXXIV.

---

non esse Gr. τί γάρ, sed τίη, quo utuntur, qui paullo intentius quaerunt. Cf. Handii Turs. IV, p. 18 et II, p. 568, ubi haec verba sic explicat: "Novi tibi quidnam scribam? estne aliquid? Est vero."

83. *HS. XXXVII.* Omnes fere codd. scripti in hoc numero turbant. Vid. adnot. Orellii in edit. priore. E codd. Hispanis alter habet CXXXIIV, alter CXXXXIIII. Sequor Casaubonum, qui recte iudicat Ciceronem, qui superiore anno domum Palatinam, quam M. Livius Drusus aedificaverat (Vell. Paterc. II, 14), de Crasso emerat HS XXXV (vid. Fam. V, 6, 2) ɔ: tricies quinquies sestertio, suum factum defendere Messalae emptione, atque requiri aut similem aut maiorem etiam summam. At HS CXXXIV si explicamus *sestertium centies tricies quater*, pretium aedium omnem fidem superat; sin de millibus dictum volumus, adeo exigua summa cum Ciceronis emptione minime comparari poterit.

85. *bene emisse* dicuntur, qui iusto pretio emunt; qui nimium magno emunt, *male emere* dicuntur. Cf. Att. II, 4, 1. Q. fr. I, 1, 33.

86. *amicorum facultatibus.* Erant qui dicerent Ciceronem, ut aedium pretium solveret, HS vicies mutuum sumpsisse a P. Sulla, quem illo tempore defendere cogitabat. Gell. N. A. XII, 12. Fuerit falsum; amicorum certe facultatibus se adiutum esse non negat. Atque emptionem illam non caruisse invidorum reprehensione apparet ex ep. 16, 10 h. l.

emendo ad dignitatem aliquam pervenire. Τεῦκρις illa lentum negotium est, sed tamen est in spe. Tu ista confice. A nobis liberiorem epistolam exspecta. VI Kalend. Febr. M. Messala, M. Pisone coss.

---

87. *Τεῦκρις illa lentum negotium est.* Cf. quae diximus ad ep. 12, 1.
88. *est in spe.* Esse in spe, in exspectatione, in timore dicitur, de quo aliquid speratur, exspectatur, timetur. Vid. Oudend. Scholia, p. 264 sq. Sed etiam active is, qui sperat cet. Cf. Handii Turs. III. p. 256 sq.
89. *Tu ista confice.* Haec quo spectent ignoramus. Ad negotium cum Teucride non pertinere manifestum est ex iis, quae legimus ep. 14, 7: *Τεῦκρις promissa patravit. Tu mandata effice, quae recepisti.* Quae verba evertunt hanc Casauboni suspicionem: *Tu insta, confice.*
90. *M. Messala, M. Pisone coss.* De mutato consulum ordine notavi ad subscriptionem epistolae praecedentis.

LIBRI VIII. Epist. 14.

(Scripta, ut videtur, a. d. VI Non. Mart. 705).

1. Non dubito, quin tibi odiosae sint epistolae quotidianae, cum praesertim neque nova de re aliqua certiorem te faciam neque novam denique iam reperiam scribendi ullam sententiam. Sed si dedita opera, cum causa nulla esset, tabellarios ad te cum inanibus epistolis mitterem, facerem inepte; euntibus vero, domesticis praesertim, ut nihil ad te dem litterarum, facere non possum et simul, crede mihi, requiesco paullum in his miseriis, cum quasi tecum loquor; cum vero tuas

epistolas lego, multo etiam magis. Omnino intelligo nullum fuisse tempus post has fugas et formidines, quod magis debuerit mutum esse a litteris, propterea quod neque Romae quidquam auditur novi, nec in his locis, quae a Brundisio absunt propius quam tu biduum aut triduum. Brundisii autem omne certamen vertitur huius primi temporis. Qua quidem exspectatione torqueor. Sed omnia ante Nonas sciemus. Eodem enim die video

19. *ante nos*

COMMENTARIUS.

13. *mutum — a litteris.* Dicam de hac constructione ad I, 1, 2 *inopes ab amicis.*

15. *in his locis.* Cicero, quum haec scriberet, erat in Formiano.

16. *Brundisii autem* cet. ɔ: omne certamen nunc quidem consistit Brundisii, quo Pompeius a Canusio, Caesar a Corfinio profectus est. Brundisii igitur aut pax conveniet, aut exitiosum bellum orietur. Cf. ep. 13, 1 h. l.

18. *Qua q. exspectatione* ɔ: cuius certaminis exspectatione. De hoc usu pronominis vid. Seyffert ad Cicer. Lael. p. 17. Madv. ad Fin. II, 20, 66. V, 15, 42.

19. *ante Nonas.* Libri scripti et editi omnes dant *ante nos*, quod multis de causis probari non potest. Nam quae sequuntur minime rationem continent, cur ipse ante Atticum hoc sciret, — neque opus erat rationem reddi eius rei, quam Atticus non ignorabat, — sed cur et ipse et qui in urbe erant brevi, quid Brundisii ageretur, cognoscerent. Tum si illud voluisset, scripsisset, opinor: *Sed omnia prius quam tu ego sciam.* Quum autem quotidie nuntios Brundisio

20. Caesarem a Corfinio post meridiem profectum esse [id est Feralibus], quo Canusio mane Pompeium. Eo modo autem ambulat Caesar et iis dictis mili-

21. *id est, Feralibus*, sine uncis — 22. *iis diariis*

exspectaret (ep. 13, 1), et haec epistola aliquot diebus ante Nonas Martias scripta sit, *nos* ortum puto e *non.* scribendi compendio pro *Nonas*. Confirmatur haec emendatio iis, quae Atticum dicentem facit §. 2, neque obstant, quae ep. 16 extr. leguntur: *Cum haec scribebam IV Nonas iam exspectabam aliquid a Brundisio.* Iam vide, quam egregie nunc omnia cohaereant: Certaminis exitum scire aveo; sed paucis his diebus sciemus: nam Caesar festinat.

21. [*id est Feralibus*]. Feralia seu Parentalia placandis diis Manibus celebrabantur a. d. IX Kal. Martias (21 m. Febr.), ut constat e Calendariis Maffeiano et Farnesiano, eoque die Pompeium Canusio profectum esse iterum narratur ep. IX, 1, 1, ubi VIIII recte scribi, non VIII, facili computatione evincitur. Itaque haec vere adduntur, sed tamen non a Cicerone ipso profecta videntur. Propterea uncinis inclusi. Nam nec suo loco posita sunt, nec opus erat Attico diem indicare profectionis, qui Romae tam omnibus notus erat. Verbis autem *id est* saepe glossemata prodi, critici docuerunt. Cf. Ruhnk. ad Vell. Pat. II, 23 extr. et docta adnot. Madvigii ad Cic. Fin. p. 144 sq., ubi summus ille criticus disputat de multis locis Tullianis merito aut falso suspectis.

22. *iis dictis*. Posui id, quod Bosius in XYZ invenit mihique e cod. Hisp. notatur. Orellius sequitur Victorium, qui e correctione cod. Med. scripsit *iis diariis*. Atque si *diaria* essent stipendia in singulos dies militibus proposita, ut P. Manutius interpre-

tum celeritatem incitat, ut timeam, ne citius ad Brundisium, quam opus sit, accesserit. 2. Dices: Quid igitur proficis, qui anticipes eius rei molestiam, quam triduo sciturus sis? Nihil equidem, sed, ut supra dixi, tecum perlibenter loquor et simul scito labare meum consilium illud, quod satis iam fixum videbatur. Non mihi satis idonei sunt auctores ii, qui a te probantur. Quod enim unquam eorum in re publica forte factum exstitit? aut quis ab iis ullam rem laude dignam desiderat? Nec mehercule laudandos existimo, qui trans mare belli parandi causa profecti sunt — quanquam haec ferenda non erant —; video enim,

---

tatur, aut si vera esset huius loci explicatio ap. Facciolatum in voce "nempe stipendia maiora in dies singulos militibus promittendo," mihi quoque ea correctio non displiceret. Sed unicus locus, qui in hac re affertur, Caesaris B. C. III, 53, ubi Graevius e coniectura P. Victorii, Var. Lect. I, 23 legit: *cohortemque duplici stipendio, frumento, veste, diariis, militaribus donis amplissime donavit*, si vel admittas recte sic emendatos esse codicum ductus *vespetiariis*, quod negamus, illi explicationi plane adversatur. Itaque *diaria* ubique sunt *cibi in dies demensi*, ut in locis Horatii, Petronii, Martialis apud lexicographos citatis. Quis autem est, quin videat neque Caesarem cibis aut datis aut promissis militum celeritatem incitasse neque milites tali re moveri potuisse? At in optimorum codd. lectione nihil duri vel obscuri inest.

30. *auctores ii, qui a te probantur.* M. Lepidus et L. Volcatius. Vid. verba ex litteris Attici a. d. IIX Kal. Mart. datis IX, 10, 7. et cf. VII, 3, 3. VIII, 1, 3.

quantum bellum illud et quam pestiferum futurum sit; sed me movet unus vir, cuius fugientis comes, rem publicam recuperantis socius videor esse debere. "Totiesne igitur sententiam mutas?" Ego tecum tanquam mecum loquor. Quis autem est, tanta quidem de re quin varie secum ipse disputet? Simul et elicere cupio sententiam tuam: si manet, ut firmior sim; si mutata est, ut tibi assentiar. 3. Omnino ad id, de quo dubito, pertinet me scire, quid Domitius acturus sit, quid noster Lentulus. De Domitio varia audimus, modo esse in Tiburti † haut lepide quod cum Lepidus ad urbem accessisse; quod item falsum video esse.

---

36. *quantum id bellum* † *illud* — 43. *est*, *tibi*

---

36. *quantum bellum illud.* Vulgo *quantum id bellum*, abiecto *illud*, quod tamen e Med. est, de quo solo constat. Quum alterum utrum pronomen deleri debeat, *id* delevi, quum bellum transmarinum rectius *bellum illud* dici videatur. Orellii suspicio *q. id bellum illim* mihi non placet.

46. *modo esse in Tiburti* † *haut lepide* cet. In verbis misere corruptis codicis Y omnium integerrimi scriptura plerumque optime archetypi vestigia servat. Diversas aliorum librorum scripturas et criticorum suspiciones recensuit Orellius. Proxime a vero abesse mihi videor, si partim cum aliis sic fere sententiam restituo: *De Domitio varia audimus, modo esse in Tiburtino M. Lepidi; quod falsum; modo cum Lepidis ad urbem accessisse; quod item falsum video esse.* Nam, ut Malaspinae verbis utar, "et *modo* alterum *modo* desiderat, et illa *quod item falsum video esse* improbatum aliquid ante prae se ferunt."

Ait enim Lepidus eum nescio quo penetrasse itineribus: occultandi sui causa an maris apiscendi, ne is quidem scit. Ignorat etiam de filio. Addit illud sane molestum, pecuniam Domitio satis

---

50. *apiscendi? ne id quidem scit.*

---

49. *eum nescio quo penetrasse itineribus.* Ad voc. *itineribus* cum Lambino adiectivum requiro, sed quum e duobus ab illo datis *occultis* vel *devils* neutrum placeat, quoniam sequitur *occultandi sui causa*, unice aptum videtur *magnis*, quo fugae celeritas declaretur. Scribo igitur: *eum nescio quo penetrasse magnis itineribus.* Cf. Plancus in Ep. Fam. X, 9, 3 et 15, 3. Non satis caute Graevius verba restituisse putabat, voc. *itineribus* cum seqq. coniuncto, neque Muretus corrigendo *itineris occultandi sui causa* veram Tullii manum reduxit.

50. *an maris apiscendi.* Dubito, an scriptor hoc uno loco *apiscendi* verbo uti noluerit, quod veteres poetae saepius posuerunt. Cf. Lachm. ad Lucr. p. 312. Nam Leg. I, 20, 52 interpolatori debetur. Vidd. Moserus et Bakius ad e. l. Incertum tamen est, utrum scripserit, *adipiscendi* an *assequendi.*

51. *ne is quidem scit. Ignorat etiam de filio. Is* et *etiam* debetur Madvigio, Emend. in Cic. lib. philos. p. 76. Nam neque *id* neque *enim*, quod libros occupavit, defendi potest.

52. *pecuniam Domitio — non esse redditam.* Rumorem falsum fuisse scimus e Caes. B. C. I, 23: *Sestertium sexagies, quod advexerat Domitius atque in publico deposuerat, allatum ad se ab duumviris Corfiniensibus Domitio reddit, ne continentior in vita hominum, quam in pecunia fuisse videatur, etsi eam pecuniam publicam esse constabat datamque a Pompeio in stipendium.*

grandem, quam is Corfinii habuerit, non esse redditam. De Lentulo autem nihil audimus. Haec velim exquiras ad meque perscribas.

LIBRI XV. Epist. 27.

(Scripta V Non. Quint. 710.)

1. Gaudeo id te mihi suadere, quod ego mea sponte pridie feceram. Nam cum ad te VI Non. darem, eidem tabellario dedi etiam ad Sestium scriptas *πάνυ φιλοστόργως*. Ille autem, quod Puteolos prosequitur, humane; quod queritur, iniuste. Non enim ego tam illum exspectare, cum de Cosano rediret, debui, quam ille aut non ire, antequam me vidisset, aut citius reverti. Sciebat enim me celeriter velle proficisci, seseque ad me in Tusculanum scripserat esse venturum. 2. Te, ut a me discesseris, lacrimasse moleste ferebam. Quodsi me praesente fecisses, consilium totius itineris fortasse mutassem. Sed illud praeclare, quod

---

COMMENTARIUS.

4. *Ille autem — iniuste.* Sestius noster humane facit, quod me Puteolos (ubi Cicero haec scribens nondum erat, sed quo Nonis Quint. venit. vid. XVI, 1, 1) prosequitur, sed iniuste queritur, quod se de Cosano (cf. IX, 6, 2) redeuntem non exspectaverim.

10. *in Tusculanum.* Cicero paucis ante diebus inde profectus erat, pridie Kal. Quint. vid. ep. 25 extr. et nunc in itinere deverterat in Arpinas, unde datae sunt ad Atticum epistolae 26, 28 et haec ipsa.

te consolata est spes brevi tempore congrediendi; quae quidem exspectatio me maxime sustentat. Meae tibi litterae non deerunt. De Bruto scribam ad te omnia; librum tibi celeriter mittam de Gloria; excudam aliquid Ἡρακλείδειον, quod lateat in

---

17. *librum — de Gloria.* Cf. XVI, 2, 6. De huius operis, quod duobus libris constabat, tempore, fontibus, argumento disputavit Fr. Schneiderus in Diariis Antiq. Zimmermanni 1839, p. 219—230. Cf. Orellius in edit. Opp. Cic. IV, 2, p. 487 sq.

18. *excudam.* Verbum sumptum a statuariis, ut in illo Vergiliano: *Excudent alii spirantia mollius aera.* Eodem utitur Plinius Ep. I, 3, 4: *Effinge aliquid et excude, quod sit perpetuo tuum.* Cf. ἐκτυποῦν in Platonis Timaeo, p. 50 D.

18. *aliquid Ἡρακλείδειον* ɔ: opus πολιτικόν, quale scripsit Heraclides Ponticus, qui, teste Cicerone Leg. III, 6, 14: *illustravit omnem civilem in disputando* (ɔ: in philosophia, ut interpr. Bakius) *locum.* Idem opus significatur in his epistolis XV, 4, 3. XVI, 2, 6, postremo XV, 13, 3, ex quo loco apparet exeunte mense Octobri anni 710 Ciceronem illud nondum scribere aggressum esse. Neque postea scripsisse videtur. Quare temere Beierus in disputatione, quam invenies in Iahnii Annal. Philol. II, p. 342 sq., putabat hoc nomine libros de Legibus indicari; cui opinioni etiam alia obstant.

18. *quod lateat in thesauris tuis.* Hullemannus in Diatr. de T. P. Attico, p. 185, 3 refert ad Annalem Attici, collatis his e Fin. II, 21, 67: *suppeditabit nobis Atticus noster e thesauris suis quos et quantos viros.* Sed ad illud opus, quod Cicero nunc cogitabat, non videtur admodum multa petere potuisse ex

thesauris tuis. 3. De Planco memini. Attica iure queritur. Quod me de Bacchide, de statuarum coronis certiorem fecisti, valde gratum, nec quidquam posthac non modo tantum, sed ne tantulum quidem praeterieris. Et de Herode et Mettio me-

---

illo libro, et aliud dicere Ciceronem ostendit coniunctivus *lateat*. Cf. ex II, 6, 2: *ἀνέκδοτα, quae tibi uni legamus*. Thesauros itaque recte interpretantur bibliothecam Attici, pretiosis libris refertam, quorum usus paucis patebat.

19. *De Planco memini* ɔ: quod ad Plancum attinet, memini. Fortasse hoc vult, se Planco causam Buthrotiam commendasse et amplius esse commendaturum. Cf. XVI, 16 A et B.

19. *Attica iure queritur*. Cf. ep. 28 extr.

20. *de Bacchide*. Mimae nomen videtur, in Onom. Tull. omissum. Eius mentio et coronarum honoris causa statuis impositarum satis certo docet, hic agi de ludis Bruti. Cf. Mongaltius ad h. l.

23. *de Herode et Mettio*. Nihil obstat, quominus cogitemus hic quoque agi de illo Herode Atheniensi, cuius mentio fit XIV, 16, 3. 18, 4 et saepius. Attici libertum cognominem, quem statuit Orellius in Onom. Tull. p. 283 nullum fuisse censeo. *Mettium* vel *Metium*, ut in Med. scribitur (cf. Schneiderus ad Caes. B. G. I, 47, 4), ignoramus. — Caeterum haec verba affert Freundius in Lexico v. *memini*, probaturus Ciceronem scripsisse *meminisse de aliquo*. In quo virum Latini sermonis peritissimum non minus falli arbitror, quam quum ibidem e Phil. II, 36 ostendere vult *meminisse* apud Tullium esse nonnunquam idem, quod *mentionem facere*, quod recte negat Phil. Pareus in Lexico Critico. Verba enim illa

minero et de omnibus, quae te velle suspicabor modo. O turpem sororis tuae filium! Cum haec scriberem, adventabat αὐτῇ βουλύσει coenantibus nobis.

---

23 sq. *filium, cum haec scriberem! Adventabat autem β.*

---

illa sic distinguenda sunt: *Meministi ipse, de exsulibus, scis, de immunitate quid dixeris*, ut utrumque *de exsulibus* et *de immunitate* ex *dixeris* pendeat. Cf. Phil. I, 1, 3.

25. *O turpem sororis tuae filium! Cum haec scriberem, adventabat αὐτῇ βουλύσει c. n.* Scripsi de mea coniectura, quam veram esse facile obtinebo, si id quod vulgo legitur non ferendum esse ostendero. Est illud: *O turpem sororis tuae filium, cum haec scriberem! Adventabat autem βουλύσει c. n.* Itane vero? eratne Quintus filius turpis, quum patruus haec scriberet? non turpis, quum aut non scriberet ille aut scribere desineret? *Autem* porro offensioni fuit quoque Malaspinae et Graevio, quam ille tollere volebat geminando v. *adventabat*, hic vel eodem modo vel deleto *autem*. Sed qui non ignorant, quoties vocabula Graeca Latinis litteris exarata turbas dederint, meam correctionem veriorem iudicabunt. Quod autem Schutzius dedit: *Obturbabat me sororis tuae filius, quum haec scriberem. Adventabat autem βουλύσει c. n.*, quantumvis speciosum, certe verum non est.

Scrib. mense Februario exeunte.

QUAERITUR DE SCRIPTURA IN CICERONIS BRUTO, 21, 83.

In edit. princ. multisque aliis est: *De ipsius Laelii et Scipionis ingenio quamquam ea est iam opinio, ut plurimum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus est in Laelio illustrior.* Nihil vitii in his verbis inesse diceres, nisi constaret voc. *opinio* in nullo codice scripto inveniri. Recte igitur delerunt recentiores, Orellium secuti. Sed quod docent nihil deesse et e membro sequenti ad illa *ea est iam* repetendum esse *laus*, mihi quidem durum videtur. Et plane otiosum est *iam*, sive cum Ellendtio ita distinguas: *De ipsius L. et S. ingenio, quamquam ea est iam, ut —*, sive cum Sternio *iam ut* coniungas. Quare in archetypo scriptum fuisse coniicio: *De ipsius Laelii et Scipionis ingenio quamquam ea est* FAMA, *ut plurimum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus est in Laelio illustrior.*

I. C. G. B.

BERIGTEN EN VERSLAGEN

ONTRENT

GYMNASIËN

EN

GYMNASIAAL ONDERWIJS.

I.

SCHOOLBERIGTEN

OVER 1850.

Den 21 Januarij verloor het Haarlemsche Gymnasium zijnen om kunde en ijver hoog geachten Leeraar THEUNIS KUYPER, EZ. [1], *Bezitter van den 2en rang en eene acte van toelating, ook voor de Wiskunde.* Geboren te Weesp den 1 November 1806, was hij reeds op 20-jarigen leeftijd, den 3 April 1827, benoemd tot Onderwijzer aan de School der Doopsgezinden voor behoeftige kinderen te Haarlem, en sedert October 1833 tevens belast met het onderwijs in de Reken-, Meet- en Natuurkunde bij de Stedelijke Industrie-school aldaar. Met beide deze betrekkingen vereenigde hij sedert 16 Januarij 1841 den post van *Leeraar in de Wiskunde* bij genoemd Gymnasium.

Behalve vele Wis- en Natuurkundige bijdragen, die in de *Egeria*, *Tijdschrift voor Jongelieden van den beschaafden stand*, en in het Tijdschrift van het Genootschap *Onver-*

---

[1]) Ten gevolge van eene onjuiste opgave, op welke men ook later verzuimd heeft ons opmerkzaam te maken, is op bl. 216 van den 1en en bl. 230 van den 2en Bundel der *Miscell.* de naam vermeld van H. O. F. KUYPER.

moeide arbeid komt alles te boven zijn opgenomen, en die van zijne wetenschappelijke kennis gunstig getuigen, schreef KUYPER eene *Natuurlijke historie voor kinderen*, welke in 1848 te Haarlem is uitgegeven. Zijn laatste werk heeft tot titel *Panorama der bewoonde aarde;* maar slechts van de 1e Aflevering, die in 1849 verschenen is, heeft hij de uitgave beleefd. De overige Afleveringen, grootendeels uit de door KUYPER nagelaten bouwstoffen bewerkt, zullen bezorgd worden door zijn' opvolger bij het Gymnasium W. H. LOGEMAN, in vereeniging met Dr. D. LUBACH.

Te Kampen overleed den 14 Februarij WILLEM SMAASEN, *Math. Mag. Phil. Nat. Doct.*, geboren te 's Gravenhage den 5 Januarij 1820. Zijne eerste opleiding en voorbereiding tot het Akademisch onderwijs ontving hij te Loosdrecht, Prov. Utrecht, waar toen zijn Vader den post bekleedde van Rijks-Ontvanger. In September 1840 werd hij Student aan de Hoogeschool te Utrecht, en behoorde nog geruimen tijd tot de Leerlingen van SCHRÖDER. Den 24 Maart 1846 eindigde hij daar zijne studiën met het verdedigen van een *Specimen physico-mathematicum de aequilibrio dynamico electricitatis in plano et in spatio.* Stond hem nu de gelegenheid open om te dingen naar eene praktische loopbaan, gelijk het Leeraarambt in de Wiskunde bij een Gymnasium, om persoonlijke redenen dong hij aanvankelijk daarnaar niet. Nog meer werd het hem ontraden door vrienden en vroegere Leermeesters, die voor SMAASEN het verkrijgen van eene zuiver wetenschappelijke betrekking zoo wenschelijk oordeelden, als hem harer waardig. Daar evenwel zulk eene niet spoedig zich voordeed, bleef hij vooreerst te Utrecht onverdeeld zich wijden aan de beoefening der mathematische en physische wetenschappen, totdat hij in Augustus 1848 besloot zich aan te bieden tot de vervulling van den post van *Leeraar in de Wiskunde* bij het Gymnasium te Kampen. (vgl.

D. I. bl. 204.) Den 1 September werd hij tot het gevraagde ambt benoemd, den 14 aanvaardde hij het, juist 17 maanden vóór zijn' dood.

Genoot en verdiende SMAASEN reeds als Student, om karakter en zeden zoowel als om de ijverigste beoefening der wetenschap, eenparig van Leermeesters en Medeleerlingen de vriendschap en hoogachting, steeds zich zelven gelijk, was hij ook later niet minder geacht en bemind van allen, tot welke hij in betrekking stond. Vooral en duidelijk bleek dit gedurende zijne kortstondige loopbaan als Docent. Zoo iemand, dan was hij voor Ambtgenooten een vriend, wiens opregt, vast en edel karakter zij eerden en waardeerden; hij voor zijne Leerlingen een Onderwijzer, die zelf bij hen zoo geliefd was, als zij door hem eene wetenschap leerden liefhebben, voor welke met eene zeldzame gave van gemakkelijke mededeeling en bevattelijke voorstelling de lust bij hen werd opgewekt en gaande gehouden. Wat wonder dan, dat het verlies van zulk een' vriend allen innig trof, dat algemeen SMAASEN's dood werd aangemerkt als een der gevoeligste slagen, die aan het Gymnasium konden worden toegebragt?

Als man van wetenschap had SMAASEN meer dan gewone verdiensten, die ook in Julij 1849 erkend zijn door zijne benoeming tot Lid van het Utrechtsch Genootschap. Hoog stond hij aangeschreven in de schatting van beoordeelaars als VAN REES, die hem eene eerste plaats toekende onder de Wiskundigen van ons Vaderland; gunstig bekend was hij in Duitschland, Frankrijk en Italië, gelijk na zijn overlijden gebleken is uit verscheidene brieven, door mannen van naam hem geschreven en onder zijne papieren teruggevonden. Hij had die bekendheid te danken aan zijn boven vermeld Akademisch proefschrift, dat herdrukt is in POGGENDORFF's *Annalen für Chemie u. Physik*. B. LXX. bl. 161 volgg. en B. LXXII. bl. 435 volgg. Hier te lande

had hij buitendien door het schrijven van andere degelijke werken de verwachting, die men vervolgens van hem koesterde, volkomen geregtvaardigd. Zijne *Ontwikkeling of bepaling der waarde eener integraal-uitdrukking* is geplaatst in het *Tijdschrift voor Wis- en Natuurkunde*, uitgegeven door het Kon. Nederl. Instituut, en zal waarschijnlijk vervolgd worden uit een nagelaten handschrift. Gedurende zijn verblijf te Kampen wist hij, in weêrwil van vele ambtsbezigheden en lessen, welker verdeeling eigen studie voor hem meer belemmerde dan beperkte, tijd te vinden en opgewektheid te behouden tot het afwerken van zijne *Gronden der hoogere Algebra*, in 1849 te Rotterdam uitgekomen en wel, naar zij verdienen, openlijk beoordeeld [1], maar niet algemeen bekend. In hetzelfde jaar zijn zij gevolgd door *Voorstellen ter oefening in de allereerste beginselen der Algebra, met de antwoorden op dezelve*, welke te Zwolle uitgegeven en zouden voortgezet zijn in een ander gedeelte, ware den Schrijver een langer leven vergund geworden. Het geheel was bestemd om te dienen tot eene voorbereiding op STROOTMAN's *Beginselen der Stelkunst*. Wij zouden hierbij nog kunnen voegen een beoordeelend verslag over LOBATTO's *Lessen over de hoogere Algebra* [2], zoo die vermelding noodig ware om aan te toonen, welke duurzame vruchten van SWAASEN's geleerdheid, scherpzinnigheid en volhardende vlijt de Wiskunde in ruim 3 jaren geplukt heeft, en welk treffend verlies door zijn jeugdig afsterven haar is toegebragt. Liever eindigen wij met de volgende getuigenis over zijn' wetenschappelijken arbeid van den Hoogleeraar C. H. D. BUIJS BALLOT, die, waar het wiskundige bekwaam-

[1] Door Dr. D. BIERENS DE HAAN in *de Gids* 1849. 2e Dl. bl. 373—393, en door Profr BUIJS BALLOT in het *Algem. Letterl. Maandschr.* 1849. bl. 417—433.

[2] *Algem. Letterl. Maandschr.* 1847. bl. 338—349.

heid gold, in zijn' studie- en boezemvriend SMAASEN niet schroomde zijn' meerdere te erkennen. "Zoo is hij in zijn kortstondig leven werkzaam geweest voor beoefenaars der Wiskunde op elken trap van ontwikkeling, van den hoogsten tot den laagsten. Zijne dissertatie zal door den meestgevorderden met genoegen gelezen worden, en wordt ook buiten 's lands zeer gewaardeerd; wat hij over bepaalde integralen gaf, is gedeeltelijk in het Tijdschrift voor de Wis- en Natuurkundige wetenschappen opgenomen; een ander, nog niet uitgegeven gedeelte, dat wij echter hopen te doen verschijnen, — toont fouten aan, door de eerste wiskundigen begaan. Deze stukken kunnen slechts door weinigen in ons vaderland verstaan en behoorlijk gewaardeerd worden. Zij dragen den stempel der rede: want zij zijn het uitvloeisel van de overtuiging, — die ook — in zijne *Gronden der hoogere Algebra* doorstraalt; dat de rede, naar eenheid strevende, met noodzakelijkheid voortgaat om de waarheid te vinden, en dus de wiskunde dan waarheid kan geven, als zij aan deze voorschriften der rede zich onderwerpt [1]."

Den 7 April is te Hindelopen overleden HORATIUS AREND FERF, geboren te Leeuwarden den 16 Maart 1790. Zijne studiën volbragt hij aan de Hoogeschool te Groningen, welke hij in Julij 1809 als Proponent verliet. Den 5 November van hetzelfde jaar werd hij Predikant bij de Hervormde Gemeente te Terkaple, den 4 November 1810 te Wommels c. a., den 28 Februarij 1813 te Hindelopen, waar toen de betrekking van Predikant verbonden was met die van *Rector der Latijnsche Scholen.* Na de invoering van het Kon. Besluit van 2 Augustus 1815 bleef FERF laatstgenoemden post vervullen, daar hem op den duur vrijstelling verleend werd van den bij Art. 18 ge-

---

[1] *Letterl. Maandschr.* 1860. bl. 585 volg.

